SC.SUP.6.Pl.3.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO ORESE
43
4 C
5

ARA 2797

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLEGOMENON I.

IN METAPHYSICAM.

CUm omnes diſciplinæ ad obtinendam, adipiſcendamque Hominis felicitatem inſtitutæ fuerint; tum nulla meo quidem judicio aptior, aut magis idonea exiſtimari debet, quam illa Phililoſophiæ pars, quæ de rerum omnium origine, & principio pertractat, intimas ipſarum naturas, proprietateſque perpendit, & mutuum inter ſe nexum, & ſingularem ordinem contemplatur. Quem enim non tangat creatrix illa rerum omnium, & effectrix natura, numquam interrupta ipſius cura, & providentia ſingularis, qua totus hic terrarum orbis regitur, & gubernatur, tum nexus ille, & pene divinus ordo, cui omnia ſubjacent, & quo omnes Mundi partes apte diſpoſitæ, & inſtitutæ ſunt, & cujus ipſe Homo maximam partem conſtituit, totuſque ad ſui felicitatem ordinatus eſt? Ex quo amor, & timor oritur, & quidam inteſtinus appetitus, & quoddam innatum deſiderium, quo in illam Naturam ferimur, & ſcire, & inveſtigare delectat, quid illa ſit, quid vero poſſit, & quantum ad noſtram felicitatem conducat. Ergo mirum non eſt, quod hujuſmodi diſciplina omnium Hominum animos, menteſque rapuerit, atque ad ſe converterit, ipſorumque perpetuam occupationem efformarit. Quocumque enim oculi injicerentur, illuſtria quædam, & impreſſa offerebantur veſtigia, quæ divinam, & infinitam vim, & poteſtatem evincerent, ſummam rationem, & intelligentiam oſtenderent, & incredibilem beneficentiam pari cum benevolentia, & amore conjunctam declararent. Ex quo omnis virtutis principium, & origo. Ex eo namque repeti debet tum in ſupremum rerum omnium Conditorem amor, tum in humanum genus benevolentia, & in nobis metipſis temperantia, tum fortitudo, & ſpes, qua erigimur in perferendis laboribus, & rebus difficillimis peragendis, tum timor, & horror ad aſpectum vitiorum, & in uſu bonorum modera-

tio

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tio quadam & comitas, & urbanitas, & patientia in Hominum vita, & conſuetudine neceſſaria, tum denique nexus ille divinus, & vinculum numquam diſſolvendum, quo nos nobis, & cum aliis conjungimur, & cum ipſo rerum omnium Effectore copulamur. Quibus rebus omnibus nihil poteſt dici, aut fingi ſapientius ad felicitatem, ad quam quiſque natura fertur, aſſequendam. Neque enim alia Diſciplina eſt, quæ magis efferatos Homines mores emendare valeat, mitioreſque efficere, eoſque, & a vitiis ad meliorem frugem traducere; nulla quippe eſt, quæ magis cum ipſa Hominis natura nexa, & copulata ſit, quæque Hominem propterea magis interſit, aut quæ utiliores, veritates inveſtigandas proponat.

Quapropter rejiciendi meo quidem judicio ſunt, & ne audiendi quidem Philoſophi nonnulli, & Mathematici, qui etſi veritatis cupidiſſimi, at nimium fortaſſe, quam par erat, veritatibus hypotheticis delectati, pulcherrimam hanc, fæcundiſſimamque Diſciplinam contempſerunt. Neque vero ſi in commune odium, atque invidiam ob imperitiam maxime illorum, qui eam tradidere, ipſa vocata fuerit, & putidis, ridiculiſque quæſtionibus, & ab ipſius ſcopo, & dignitate abhorrentibus maculata; idcirco ea minus utilis credenda erit, nec rejici a quopiam poterit: neque vero ex abuſu utilitas, aut bonitas rerum definienda eſt: qui ſi præterea animadvertiſſent, duo illa principia ſolum in hujuſmodi diſciplina demonſtrari, ex quibus rerum corporearum, & incorporearum origines, proprietates, effecta, vires pendent, numquam, opinor, tam iniquum, nec ferendum de ea judicium protuliſſent.

Quapropter danda omnis opera eſt, ut totam hanc Diſciplinam, quam perfectiſſimam habeamus, eamque ab erroribus, & captioſis quæſtiunculis, & inutilibus liberemus, quibus ſæculorum barbarie irretita fuit: quæ cum Hominem plurimum interſit, totaque ad ipſius felicitatem conformata ſit, tum nihil ſine ea conſtituere, aut demonſtrare poterimus, cum a veritatibus mere hypotheticis ad reales veritates progredimur; eſtque propterea Scientiarum omnium fundamentum, quæ non meris hypotheticis veri-

veritatibus ſiſtunt, ſed in abſoluta ipſarum veritate definienda ſiſtunt, planeque incumbunt.

Quare dubium non eſt, quin hujus ſcientiæ origo antiquiſſima fuerit, & una pene nata cum ipſo Homine; quam omnes gentes, & Nationes, quæ aliquam nominis celebritatem adeptæ fuerunt, plurimum coluerunt, Hebræi nempe Chaldæi, Perſæ, Indi, Phœnicii, Ægyptii, & Tracii, donec tandem apud græcos Philoſophos maximam obtinuit dignitatem. Neque enim fieri poterat, ut Homo rationis capax, & ad ipſam rationem inſtitutus, & ſe, & hanc rerum omnium mirabilium ſeriem, & ordinem intueretur, quin continuo raperetur, & quidem ipſi irrequietus inceſſerit amor, & cupiditas quærendi, & inveſtigandi, quæ harum rerum natura, quis Author, aut quæ earumdem origo, & principium: an ſemper extiterint, an aliquando eſſe cœperint, & quem tandem finem habituræ ſint; quibus rebus omnibus Metaphyſica vel maxime continetur.

At non ita vetus hujus ſcientiæ nomen credendum eſt; quæ autem origo nondum conſtat. Illud vero certum, libros quoſdam Ariſtotelem reliquiſſe, quos libros poſt Phyſicam inſcripſit, in quibus ad veram ſcientiam nihil eſſe momenti Plutarcus contendit in Alexandri Magni vita: quamquam Author ultra æquum acerbus fortaſſe. In his enim Ariſtoteles agit de rerum omnium naturis, & communibus proprietatibus, deque ipſarum origine, & principio plura quidem acute diſputat, & egregie pertractat, ex quo totum fortaſſe ſcientiæ nomen inditum, & ab ipſo mutuatum fuit, ut Metaphyſica ſcientia ſit, quæ Phyſicam quodammodo conſequatur. Ut ut autem hoc fuerit illud vero pro comperto eſt, rem ipſam ab Averroe, Avicenna, aliiſque ipſis æqualibus monſtris, quos Scholaſtici excepere, tractatam fuiſſe, quam mirum in modum vocibus barbaris, & captioſis ratiunculis, & quæſtionibus ſic deformarunt, ut excuſari debeant Philoſophi, qui illorum temporum Metaphyſicam rejecere, diriſque, ut ajunt, omnibus devovere. Vix enim quidpiam ab illis diſputatum, aut traditum fuit, quod ad veram Metaphyſicam pertineret; idque

que etiam plerumque tot captioſis, putidiſque rationibus implicatum, ut totum profecto contemnendum videretur.

Nihilominus cum Leibnitio fateor, plura apud Scholaſticos inveniri, quibus ipſi vel maxime Metaphyſicam promovere, nec quia in pluribus ipſi peccavere, eos in omnibus rejiciendos eſſe puto. Nam in his rebus, quæ ex principiis mechanicis nullo modo pendent, Scholaſticorum judicium ſæpe numero inprobandum non eſt, pluraque ab ipſis vel penitus demonſtrata fuere, vel certe in meliori lumine collocata. Itaque ſæpe numero conſulendi ſunt illi quidem, & ipſorum ratio certiſſime tenenda eſt, & ubi a veritate deflexerint, corrigendi, & utilia, & quæ ad rem pertinent, & cum ratione quoquomodo nexa, & copulata ſunt, a captioſis ratiunculis ſecernenda, quæ rationem non augent, ſed deprimunt, & imminuunt. Neque vero Philoſophos illos imitari volumus, qui omnes, & toti ſunt, in vitiis Authorum accumulandis, & criminandis. Quod quidem ſi fecerimus, certe conjunctis Veterum, & Recentiorium luminibus Metaphyſicam longe lateque per omnes ſcientias vagantem mirum in modum perficiemus.

Et quoniam tria ſunt rerum omnium exiſtentium genera; ſpiritus nimirum, materia, Mundus, & harum rerum omnium Conditor, atque effector Deus; facile quiſque percipit, partes eſſe omnino quatuor, quibus tota Methaphyſica continetur. Quarum prima *Ontologia*, quæ quidquid rebus omnibus, animæ ſcilicet, & corpori, & Deo ipſi commune, atque proprium eſt, contemplatur. Secunda *Coſmologia*, quæ proprietates illas expendit, quas hæc terrarum machina cum aliis mundis poſſibilibus communes habet, qui ab Auctore Maximo Naturæ Deo procreari potuiſſent. Tertia *Pſycologia*, in qua res illæ, quæ ad noſtros animos pertinent, complectuntur. Denique *Theologia Naturalis*, quæ quidquid de Deo optimo Maximo mente, & ratione aſſequi poteſt, omnino expendit, demonſtratque.

PRO-

PROLEGOMENON II.

JAm ab antiquiſſimis temporibus duo rerum principia cognita quoquomodo, & conſtituta fuere, ex quibus res omnes coaleſcerent, & ad unum, vel alterum, vel ad utrumque pertinerent: quorum alterum principium dixerunt, quod maxime efficacitatis eſſet, alterum ſimpliciter elementum, quod nullam in ſe vim, & efficacitatem haberet: ex quibus veluti ex quadam materia hoc terrarum machinamentum conflaretur. Quæ autem hæc duo principia ſint, *quorum alterum ſummo efficax, atque ex intima natura ad motum inducendum paratum*; *alterum non ita efficax, atque ex ſe quodammodo ineficax, & agendi facultate deſtitutum, & indifferens plane ſive ad motum, ſive ad quietem* vix noſtris temporibus ignoratur. Poſtquam enim Joſephus Ballus in opuſculo quodam, Venetiis edito, illam corporum proprietatem demonſtravit, quam inertiam poſtea appellavit Keplerus, vi cujus corpora omnia ad motum, vel quietem indiferentia ſunt, & ut ab una in aliam directionem tranſeant; nullus ſane Philoſophus inventus fuit, qui hanc corporibus proprietatem denegaverit, nec aliquod diſcrimen inter vires ſpiritus, & materiæ poſuerit. Nihilominus vis quædam corporibus tribuenda eſt, ex qua pleraque Naturæ phœnomena originem ſuam ducunt. Atque hinc tota obſcuritas, & incertitudo oritur, quid ſint vires, quæ in corporibus inveniuntur, quæ ipſarum natura, quodnam tandem principium, & cauſa, quæ rationes, & leges, & ex quo tandem principio harum virium mutationes repetantur. Id namque totum tot, tantiſque difficultatibus obnoxium eſt, & variis, diverſiſque notionibus ſic implicatum, ut de tota Balli demonſtratione jure dubitari poſſit, & quid hujuſmodi vires ſint, aut quodnam inter materiæ, & ſpiritus vires diſcrimen intercedat, penitus ignoretur. Nam ſi vis quædam materia tribuatur, quæ & ipſi materiæ inhæreat, atque ex ipſa materia oriatur, vi cujus agat, trahat, & repellat corpora; quo pacto ea iners erit, & in-

da non erit, & verum, & efficax rerum omnium principium potiſſimum cum major, vel minor efficacitas, & vis totam notionem ſpiritus non evertat. Nec enim omnes ſpiritus ipſius efficacitatis ſunt, nec ipſam vim & poteſtatatem habent, nec totam idcirco ſpiritus naturam, & eſſentiam amittunt, & rebus corporeis confunduntur. Quapropter in id vel maxime incumbant Metaphyſici neceſſe eſt, ut utriuſque principii communes proprietates, & attributa definiant, tum illas, quæ cuivis competunt, & propriæ ſunt, & quibus alterum ab altero differt, & ſecernitur. Neque enim fieri poteſt, niſi prius duorum principiorum naturas, & vires demonſtraverimus, totumque ipſarum virium initium, ex quibus res omnes coagmentantur, ut effecta ab ipſis orta definiantur, totuſque Univerſi ordo & pulcritudo, & mirabiles leges declarentur. Effecta enim omnia cauſarum rationes, & leges perpetuo ſequuntur, quæ idcirco perpetuo deliteſcent, & denſiſſimis tenebris obvolventur, niſi prius omnis indoles cauſæ, & origo, & lex, & ratio tota in aperto lumine collocetur.

Digitized by Google

METAPHYSICÆ
LIBER I.
DE ONTOLOGIA.

ONtologia, quæ præ cæteris in Metaphyſica tractanda eſt, ſcientia entis dicitur, reſque omnes ſub hoc attributo ens contemplatur. Igitur tota circa notiones maxime communes, & univerſales, remotaſque a rebus, ſenſibuſque omnibus verſatur. Ita fit, ut certa omnino, & evidens prorſus evadat; quippe quæ, & de ideis nobis utique notiſſimis agit, nec deinceps ſingulares rerum naturas, nec effectorum, cauſarumque peculiares proprietates inquirit; adeo ut tam parum hic controverſiis locus, quam in pura Geometria relictus eſſe videatur. Quapropter Ontologia non modo ſcientia eſt, ſed etiam fere geometrica methodo ea tractari poteſt; quam cum veteres ſcholaſtici neglexiſſent, aut verius fortaſſe ignoraviſſent; nemo profecto, qui in ipſorum diſciplina verſatus fuerit, inficiari poterit, Ontologiam confuſe admodum ab ipſis traditam, atque tractatam fuiſſe. Quare dabimus in primis operam, ut certis definitionibus in ſubſidium vocatis, cujuſvis vocabuli vim, & poteſtatem, prout ex uſu erit, & res ipſis ſubiectas nitide exponamus. Quo fiet, ut res diverſæ uno, eodemque vocabulo minime ſubjiciantur, & omnis Logomachiæ locus auferatur.

CAPUT I.

De Ente, & non Ente.

1. ENs illud dicitur, quod, ut ſit, nullam repugnantiam involvit; contra vero non Ens illud, quod ut exi-

ſtat, contradictionem involvit. Quocirca tota entis, & non entis eſſentia, atque natura in contradictione vera, aut nulla contradictione attributorum ad exiſtendum ſita erit. Si quid autem præterea non ſecum ipſum natura ſua pugnet, viribus tamen naturæ effici nullo modo queat, id quidem metaphyſice poſſibile erit, non autem phyſice; quia naturæ viribus adverſatur. Quod ſi res nec ſuis attributis pugnet, nec vim naturæ, & poteſtatem ſuperet; ingens tamen quædam difficultas obſtet, & impediat, ne prorſus efficiatur; id *moraliter* exiſtere nullo poteſt, ut alibi obſervatum fuit. Sic lapis ratione præditus methaphyſice prorſus repugnat, quia ipſius notæ eſſentiales, & attributa invicem opponuntur. Lunæ autem a motu ceſſatio fieri phyſice nullo modo poteſt. Siquidem nulla tantæ virtutis cauſa in natura reperitur, quæ hunc effectum producere valeat. Denique moralis repugnantia, & oppoſitio tum habetur, cum quis mediis in periculis conſtitutus ab omni vel minima culpa ſe abſtinet. Hæc quidem certa ſunt, & ad unum omnes conſentiunt.

2. Quæſtio igitur eſſe poteſt, an detur rerum interna poſſibilitas. Poſſibilitatem autem internam illam dicimus non repugnantiam, quam res poſſibiles ad exiſtendum habent; externam vero illam, quæ ex vi, & efficacia cauſæ oritur, ex qua res interne poſſibiles generari poſſunt. Sic quia minime repugnat, ut ex marmore ſtatua fiat; hæc quidem intrinſecus non repugnat, & vere poſſibilis erit; at non idcirco externe poſſibilis dicenda, niſi adſit deinceps artifex, qui eam efformare queat; qui ſi adſit, res non minus interne, quam externe poſſibilis evadit; quibus conſtitutis, ſit prima propoſitio. Res omnes non externe ſolum, ſed interne etiam poſſibiles ſunt. Pars prima certiſſima eſt; ſiquidem adeſt Deus, qui res omnes procreare poteſt, quæ nullam intimam in attributis eſſentialibus contradictionem involvunt. Quare tota, ſi quæ eſt, difficultas in altera dumtaxat propoſitionis parte ſita erit; quæ tamen clariſſime demonſtratur. Nam res, quæ exiſtere nullo modo poſſunt, internam quamdam repugnantiam dicunt. Cur non ergo poſſibiles hanc totam repugnantiam

exlu-

excludent, & internam, ſibique intimam poſſibilitatem dicent? Quippe alterum ex altero nectitur, & deducitur. Neque enim ſatis intelligitur, cur res exiſtere nullo modo queant, idque etiam impotentia cauſæ ſecluſa, quæ poſſit ipſas producere, nec res ipſæ poſſibiles fiant, etiamſi nulla concipiatur cauſa, quæ poſſit eas ex nihilo in alium ſtatum transferre.

3. Quod ſi quis negaret rebus internam repugnantiam, ut ſint; nonne is Dei circumſcriberet omnipotentiam? Aliquid enim intus minime repugnans, nec aliquam internam in attributis eſſentialibus contradictionem involvens effici a Deo nullo modo poſſet; ex quo certe circumſcribitur omnipotentia Dei. Deus namque id omne efficere poteſt, quod intus minime repugnat. Cur enim Deus circulum quadratum non efficeret, ſi is minime natura ſua repugnaret? Scilicet, quia habeat potentiam certis ſine dubio limitibus definitam.

4. Nihilominus ultro, libenterque fatemur, omnem tolli neceſſario effectum, ſi omnis cauſæ vis, & poteſtas auferatur. Ex quo minime arguendum eſt, rationem effecti in cauſæ rationem ingredi, aut res non interne, ſed externe ſolummodo poſſibiles neceſſario fore. Nam ſi fingamus, cauſam dumtaxat tolli, nilque aliud præterea, certe non tolletur effectus. Tolleretur autem, ſi effectus ratio in ipſa cauſæ ratione includeretur, rerumque poſſibilitas interna per poſſibilitatem externam conſtitueretur.

5. Quare quæſtio tota huc reddit, ſcilicet an quidpiam in rebus concipi poſſit, & vere adſit a virtute, & poteſtate cauſæ diverſum. Quid? nonne virtus, & poteſtas cauſæ duo involvit, & vim ſcilicet, & potentiam ipſius cauſæ, & effectus poteſtatem, ut ab illa cauſa generetur? Ergo effectus aliquid dicit a poteſtate cauſæ diverſum. Quid hoc? niſi ipſa natura effectus, & eſſentia? Igitur etſi effectus, quicumque fuerit, ſine vi, & actione cauſæ exiſtere nullo modo queat, & ab ipſa pendeat, & cum ipſa copulatus ſit, idcirco tota ipſius natura in virtute cauſæ collocanda erit, nec aliquod inter utrumque diſcrimen intercedet.

6. Qua-

Digitized by Google

6. Quapropter tota quæſtio, ſi, quemadmodum a nobis inſtituta fuit, intelligatur, nihil ea, aut certius, aut evidentius excogitari poſſe puto. Neque enim hic quæritur, an quæ res mere poſſibiles ſunt, habeant naturam quamdam, aut phyſicam proprietatem a natura cauſæ diverſam. Id enim certum eſt, & fatentur omnes. Res enim, quas mere poſſibiles concipimus, nullam niſi in cauſa vim phyſicam, & virtutem habent. Verum hoc quidem hic non inquiritur. Illud enim vero dumtaxat inquiritur, an res poſſibiles aliquid habeant a potentia, & poteſtate cauſæ diverſum, ut alterum ſine altero perfectiſſime cognoſcatur, & alterum ſine altero ab humana mente attingatur. Quo quid certius dici, aut imaginari poteſt? Ut enim phyſica rerum natura a cauſæ natura diverſa eſt, idque etiamſi illa ſine cauſa numquam extitiſſet, nec tamen alterum per alterum conſtituitur, ut omnes quidem confiteri debent, ſic rerum poſſibilitas, quæ divinæ omnipotentiæ terminus quidam neceſſarius eſt, aliquid in ſe habet, & prorſus in ſe continet a virtute cauſæ diverſum, in quod tota virtus, & poteſtas cauſæ exerceri, & quodammodo terminari queat. Quod quidem negari vix poteſt, niſi rerum naturas, & eſſentias immutemus, & naturam rei poſſibilis a natura rei jam exiſtentis dividamus.

7. Nihilominus nonnulla ab adverſariis objiciuntur; at ſunt ea inutilia & nullius fere ponderis, & momenti, quæ potius declaranda, quam ſolvenda videntur.

8. Et primo quidem rem eſſe poſſibilem, & rem a Deo effici poſſe mutuo converti; nec tam duas res, quam duo nomina plane diverſa dumtaxat haberi volunt; atqui hujus tota ratio in Dei omnipotentia ſita eſt: & illius igitur, ac propterea rerum tota poſſibilitas ex ſola Dei omnipotentia repetenda erit. Quod argumentum mihi quidem nec ſatis efficax, nec robuſtum ſatis videtur. Quis enim non videat, rem a Deo effici poſſe, plus dicere, & ampliorem ſignificationem habere, quam rem ipſam mere eſſe poſſibilem? Hoc enim dicit, & rem, & rei non ſolum ad exiſtendum nullam contradictionem, verum etiam Dei ad ipſam rem producendam efficientiam, & poteſtatem

ſum-

ſummam, in quibus duabus rebus minime rerum poſſibilitas collocanda eſt, ſed in altera dumtaxat; quamquam verum ſit, & minime dubium, quin alterum ex altero deducatur. Et certe ſi hoc argumentum valeret, res omnes illæ, quæ aliis nexæ, & jugatæ neceſſario ſunt, non duæ res diverſæ, ſed una, & individua res habendæ forent; quo nil magis a veritate alienum.

9. Deinde ſi rerum poſſibilitas interna ſit, igitur & æterna, & neceſſaria, & immutabilis erit. Quod quidem veluti quoddam abſurdum habent. Nam omne quod æternum, neceſſarium, & immutabile, id Deum eſſe volunt. Atque hoc quidem in quocumque ſtatu res accipiatur, ſive exiſtat, ſive mere dumtaxat poſſibilis habeatur. Ut enim quod omnipotens, immenſum, & ſapientiſſimum id Deus eſt, ſic & Deus quidquid æternum erit; æque enim Deus æternus, ac immenſus habetur. Hæc adverſarii. Atqui maximum eſt inter illa attributa diſcrimen. Quidquid enim immenſum, & omnipotens eſt, id Deum dicimus, neque hoc rebus creatis congruit, omni vi, & perfectione infinita deſtitutis. Atque hoc quidem in quocumque ſtatu rerum naturæ concipiantur. Etenim ſi quidpiam præter Deum etiam in ſtatu logico, aut mere poſſibilitatis immenſum omniſcium, aut omnipotens diceretur; nonne id, cum ab ſtatu logico ad exiſtendum transferetur (transferri autem poſſet, cum eſſe poſſibile conſtituatur) illa prorſus attributa neceſſario retineret? Neque enim hujuſmodi attributa ſtatum dumtaxat logicum reſpiciunt, ſed naturam perpetuo comitantur, quæ niſi mutetur, aut varietur, dum diverſum exiſtendi modum acquirit ipſas utique proprietates habebit, ſive in ſtatu logico, ſive in ſtatu phyſico contempletur. Et vero quia rerum naturæ æternæ, neceſſariæ, & immutabiles ſunt, numquam immutari poſſunt, neque, ſi preſſe loqui velimus, a Deo ipſo generantur, quamquam ab uno in alium ſtatum transferri queant. Sive enim res exiſtant, ſive in ſtatu mere logico concipiantur, ipſa utique natura eſt, quæ in utroque ſtatu ſubſiſtit; nec propterea ad aliquem ſtatum neceſſariam relationem dicit, & ut exiſtat

non

non minus, quam ut in ſtatu logico perſiſtat, indifferens plane eſt. Nihil enim per creationem immutatur, niſi merus ſtatus rei, ut quæ prius res mere poſſibilis erat, phyſicam deinceps acquirat exiſtentiam. Quod quidem probe notandum eſt, ne ex ſola ſtatus mutatione in natura mutationem arguamus. Ergo omnis neceſſitas, æternitas, & immutabilitas in natura perfectionem finitam minime excludit, niſi deinceps hujuſmodi attributa ſtatum reſpiciant. Quo in genere Deus ſolus eſt, de quo dumtaxat hujuſmodi attributa in exiſtendo vere dici, & affirmari poſſunt. Ipſe namque ſolus in exiſtendo æternus, & neceſſarius, & immutabilis eſt, quia ipſam, quam ab æterno, etiam in tempore habet exiſtentiam, nec ab uno in alium ſtatum transferri poteſt. Res autem creatæ, & perfectione infinita deſtitutæ nullam in aliquo ſtatu neceſſitatem, & immutabilitatem dicunt, & ſunt prorſus indiferentes, ut ab uno in alium transferantur: quamquam ipſa, atque individua natura ſit, quæ diverſis ſtatibus collocatur. Quapropter non minus certum, & evidens exiſtimo, æternitatem, neceſſitatem, & immutabilitatem in exiſtendo perfectionem infinitam arguere, eamque ſolummodo ſoli Deo tribuendam, quam neceſſitatem, immutabilitatem in natura dumtaxat, nihil dicere, quod perfectionem infinitam redoleat, & enti non minus perfectiſſimo, quam enti finito, & rerum omnium naturis convenire, deque ipſis id totum vere dici & affirmari poſſe.

10. Nec majorem vim, aut robur alterum argumentum habet ab artificis imperfectione petitum. Poſita namque interna rei poſſibilitate nonne ea egeret Deus in rerum effectione? Sed abſurdum hoc quidem, quippe quod pleniſſimam Dei omnipotentiam everteret. Ut enim artifex quivis finitus, & imperfectus habetur, quia ſtatuam non niſi ex materia prius exiſtente efformare poteſt; ita & Deus, ſi rerum interna poſſibilitate, tamquam materia quadam uteretur. Verum hoc quidem argumentum totum innititur ambiguitate verborum, quæ ſi explices, confecta res erit, totumque corruet argumentum. Neque enim rerum naturæ inſtar cauſarum exiſtimari debent, quæ Deum adjuvent ad ipſa-

ipſarum procreationem. Nihil quippe aliud ſunt, niſi meri termini, in quos divina omnipotentia fertur. Ut enim Deus quidpiam cognoſcere nullo modo poteſt, quod minime ſit, ita nec quidpiam efficere, quod non ſit poſſibile. Et quemadmodum objectum divinam intelligentiam non perficit, nec viſſionem auget; ſic & rerum poſſibilitas, quæ eſt veluti quidam terminus, & quaſi conditio quædam, ut in ea omnipotentia terminetur, & ſine qua res procreari minime poteſt, vera cauſa dici, & haberi non debet, quia nullas vires omnipotentiæ tribuit: qua ſola, quidquid eſt efficitur, & generatur. Quare in rerum effectione poſſibilitas rerum interna, ut mere terminus, & conditio requiritur, ut ipſæ res fiant.

11. Nec minus id evincit exemplum Artificis, qui & materiam prius exiſtentem requirit, nec ipſi exiſtentiam tribuit, novamque ſolum figuram, & formam diverſa partium conſtitutione, & diſpoſitione inducit. Hoc enim vim infinitam nullo modo dicit, nec vires cauſarum ſuperat. Multo autem ſecus ſe res habet in Deo, qui quamvis rerum poſſibilitatem tamquam terminum exigat, & plane requirat; ipſam tamen poſſibilitatem ex ſtatu logico extrahit, atque in phyſicum transfert. Ex quo quis non videat, infinitum inter utramque rem diſcrimen inveniri?

12. Quidquid igitur aut exiſtit, vel exiſtere tantum poteſt, ens eſt. Si quid tamen ſolo mentis noſtræ commento, & imaginatione exiſtit, ens rationis dicitur. Cujus generis ſunt notæ omnes rerum eſſentiales, & attributa, ab ipſis rebus, & individuis ratione noſtra ſejuncta.

13. Itaque per hujuſcemodi cognitiones diverſos terminos objectorum cognoſcimus, qui cum inter ſe differant, ſatis idoneum menti fundamentum tribuunt, ut attributa ipſa, prout diverſos terminos habentia, quoquomodo ſeparet, & disjungat. Hæc autem attributorum per mentem diſtinctio, & ſeparatio diverſis nominibus ab Scholaſticis donata fuit: quam Scotiſte diſtinctionem formalem ex natura rei, Thomaſiani *objectivam*; ex parte autem actus ſive perceptionum mentis appellarunt, qui Suarium plerumque ſequuntur. Verum hæc omnia meræ nugæ ſunt, & ſub di-

ver-

verſis nominibus res eadem declaratur. Neceſſe namque eſt, ut aliquod, tum in objecto, tum in ipſa natura objecti inſit, ut ipſius attributa quoquomodo diſcerpi, & diſtrahi poſſint. Ex quo ſi quis totam ſeparationem, aut objectivam, aut formalem ex natura rei dicere concupierit, non equidem repugnabo.

14. At cum tota hæc attributorum disjunctio per cognitiones fiat, quibus ipſius objecti diverſas relationes, & proprietates recognoſcimus; cur ea formalis ex parte perceptionum dici nullo modo poſſit; ego vero non video. Quare hujuſmodi omnes quæſtiones, quibus Philoſophiam non ſolum, ſed totam Theologiam Scholaſtici ſophiſtici impleverunt, ſola nominis definitione dirimi certe, & abſolvi potuiſſent. Illud vero erroneum & menti Hominis adverſatur, quod exiſtat ens rationis fictum, quod nullum eſt, & putidum haberi debet nonnullorum Scholaſticorum commentum. Siquidem mens noſtra nihil fingit, nec quidpiam imaginari poteſt, quod non habeat in objecto aliquod certum fundamentum. Deinde ens aliud *poſitivum*, *privativum* aliud, ſive negativum dicitur. Et illud quidem, quia reapſe ens eſt; hoc autem, quia entis inopia inſtar entis concipitur, ut ſunt *ignoratio*, *imortalitas*, paupertas &c. Magnopere itaque cavendum eſt, id quod in Logica monuimus, ne in veris naturis, ſive rerum proprietatibus æſtimandis, aut defectibus grammaticalium vocabulorum quadam analogia illudamur. Ita *paupertas*, quamquam rem affirmare videatur, negat tamen; contra vero *infinitas*, & *immenſitas* affirmant, quamquam ad ſpeciem negare videantur.

15. Univerſim vero vocabula omnia, quæ negant, abſentiam tantum idearum poſitivarum explicant, veluti *inſipidum*, *ſilentium*, *nihil*, quemadmodum egregie docet Lockius rerum methaphyſicarum peritiſſimus. Eſt namque negatio ſeparatio quædam, & ſecretio idearum unius ab altera; quam ſeparationem, quæ mentis actio realis eſt, vocabulo nihil, vel alio quovis termino negante exprimimus. Quare de his numquam quæſtiones inſtituendæ ſunt,

qui-

quibus tota Methaphyſica, atque adeo, quo nihil minus ferendum eſt, ipſa Theologia abundabat Scholaſticorum.

CAPUT II.

De exiſtentia Entis, unitate, bonitate, & veritate ipſius, deque Ordine.

16. Quod ita exiſtit, ut eſſentia ipſa ſit tota exiſtendi ratio, id quidem a ſe, aut ex ſe exiſtere dicitur: qua ratione Deus Optimus Maximus ſolum exiſtit; non quia ſeipſum effecerit, aut produxerit, ſed quia tota ipſius eſſentia. & natura omnem in ſe perfectiſſimam exiſtendi rationem contineat. Contra vero id omne, cujus ſufficiens exiſtendi ratio neutiquam includitur in eſſentia, ab alio exiſtit, & contingens, nec neceſſarium eſt. Quo in genere res Univerſi omnes, ſi Deum excipias, complectuntur.

17. Quæſtio autem prima eſſe poteſt, an rerum exiſtentia ab ipſarum naturis, ſive eſſentiis diſtingui debeat. Hæc autem quæſtio quamquam non multum utilis videatur, tamen ad id maxime conducit, ne ex diverſis mutationibus, quæ in entibus contingere ſolent, diverſas qualitates, & formas quaſdam imaginemur a rebus ipſis ſecretas, & ſejunctas. Nihil enim ſunt, aut eſſe poſſunt, niſi exiſtendi diverſi modi, aut partium diverſa conſtitutio, & figura, aut diverſæ objectorum relationes, quæ ſine alicujus entis exiſtentia obtineri poſſunt. Et vero ſi rerum mutatio maxima, quæ tum fit, dum e nihilo extrahuntur, & creantur res, nihil aliud præter ipſam naturam dicat, totamque mutationem nullam naturæ addat entitatem, vi cujus exiſtat; quæ tandem in ente mutatio poterit contingere, quæ quidpiam ipſi ſuperaddat, vi cujus illum determinatum, & definitum exiſtendi modum, totamque illam relationem acquirat? Ergo ſi ne omnibus quidem Peripateticis id placuit, totamque mutationem in ente, dum creatur, & a non eſſe ad eſſe transfertur, fieri voluerunt per diverſum ſolummodo exiſtendi modum naturæ; ecquis erit, qui

qui totam illam illuviem entium non irrideat, a quibus diverſas corporum proprietates repetebant? Quare omnes corporum mutationes, ut una ſola quæſtione infinitas propemodum Scholaſticorum quæſtiones abſolvamus, ne ipſa quidem excepta creatione nihil diverſum dicunt a corporibus proprietate diverſum, nihilque ipſis addunt, nec totum id fit, & operatur in Natura per aliqua entia, quæ ex ipſis corporibus educantur, ipſiſque inhæreant, & in ipſis quodammodo recipiantur, quemadmodum Peripatetici voluere. Quod quidem generatim verum erit, ſi ne ipſa quidem exiſtentia a natura rei differat, totaque mutatio intelligatur, quin quidpiam naturæ ſuperadditum ſit, vi cujus ea phyſicam exiſtentiam acquirit.

18. Rem autem ita eſſe ſic facillime demonſtratur. Nam ſi ſola rerum eſſentia, & natura creetur, & ponatur, nihilque aliud præterea; certe jam res exiſtit; non exiſtit autem per quidpiam ab eſſentia diverſum; ſecus enim quidpiam aliud ab eſſentia diverſum crearetur, quod eſt contra hypotheſim: Ex quo ſane intelligitur, rerum eſſentias, & exiſtentias unum, idemque eſſe, nec debere diſtingui.

19. Et vero quis non intelligit, eſſentiam ex hoc ipſo, quod producta, & generata ſit, non eſſe amplius poſſibilem? Quid ergo ſupereſt, niſi eam plus quam poſſibilem eſſe dicamus? Quod quidem ſi ponatur, jam rem exiſtere concludendum erit. Nullum quippe medium ſtatum inter res mere poſſibiles, aut non exiſtentes concipimus. Quidquid enim mere poſſibile non eſt; id jam exiſtit; quemadmodum, quæ non exiſtunt res, ſunt mere poſſibiles. Nec Sophiſtarum captioſas ratiunculas perhorreſcimus, qui diverſos entium ſtatus conſiderant. In præſentia enim ſolum illos ſtatus rerum contemplamur, cum res a non exiſtendo ad exiſtendum tranſit; quique inter actionem, & non actionem divinam concipiuntur. In quo certe nullus inter utrumque ſtatus medius fingi, aut imaginari poteſt. Ergo cum ſola poſita actione divina jam res, & tota rei natura extra non exiſtendi ſtatum poſita intelligatur; cur non ergo exiſtens? Ex quo ſane perſpicitur inter rei naturam, & exiſtentiam nullum diſcrimen intercedere, totamque phyſicam

cam entium mutationem nihil quidpiam includere a natura entis diverſum.

20. At fingamus ſane totum hoc fieri per aliquam formam, ac entitatem, quæ ex ſubjecto extrahatur, atque in ipſo recipiatur, ut inter eſſe, & exiſtere rei aliquod diſcrimen reperiatur. Illud ergo quæram, an exiſtentia rerum per ſuam propriam naturam, & eſſentiam exiſtat, an per aliud quidpiam? Si primum, cur non ergo res omnes per ſuam propriam eſſentiam exiſterent? Ipſa namque eſt in utriſque rebus ratio. Si vero per aliud, quæro iterum, an hoc aliud per quidpiam aliud ab illo diverſum exiſtat, atque ita deinceps in infinitum progredietur, quod ſane abſurdum eſt. Nihilominus nonnulla ſunt, quæ obſtant, & impediunt. Certe ſi eſſentia ab exiſtentia nullo modo ſecernenda foret; nonne quæ exiſtunt res vi propria, atque eſſentia exiſterent, nec res creatæ ab increatis ſecernerentur. Quis autem hoc dicat? Nihil enim vi propria, aut natura exiſtit, quin neceſſario exiſtat. Neque vero alia de cauſa Deus neceſſario exiſtit, niſi quia vi propria, & natura exiſtit: ergo Deus, & creaturæ æque exiſtent, nec vi mutuata exiſtent. Quodnam ergo diſcrimen erit inter Dei exiſtentiam, & rerum contingentium exiſtentiam?

21. Hæc quidem Adverſarii. Quare ſedulo animadvertendum eſt, quo pacto Deus, & res omnes creatæ exiſtant, ut late patens inter ipſas res diſcrimen appareat. Quippe Deus ita exiſtit, ut ipſius natura perfectiſſima totam rationem contineat, cur exiſtat. Itaque non eget alio, ut formam exiſtendi acquirat; quam ſibi ipſe dat; non quia ſe ipſum effecerit, aut produxerit, ſed quia tota ipſius natura, quæ neceſſaria, & immutabilis in exiſtendo eſt, totam exiſtentiam phyſicam includat, ſolumque illum ſtatum reſpiciat. Quare eſſe, & exiſtere Dei unicus, & ſimpliciſſimus ſtatus eſt, nec mutari, aut variari poteſt, nec ab uno in alium ſtatum transferri. Ex quo ſane perſpicitur, cur Deus a ſe, & neceſſario exiſtat. Quid autem huic ſimile in entibus creatis invenitur? quæ etſi formam exiſtendi non habeant a ſeipſis diverſam, egent tamen actione cauſæ producentis, ut hanc ſibi formam acquirant, &

vero exiſtant. Quocirca in ipſorum eſſentia nullo modo exiſtendi ratio continetur, nec eſſentia formalis ratio eſt, cur exiſtant, nec ſtatus, quicumque ille ſit, in entium naturas ingreditur. Neque enim ſtatus exiſtendi eſſentia eſt, quemadmodum nec ſtatus mere poſſibilitatis eſſentias rerum conſtituit. Hoc autem nullo modo impedit, quominus, ſi res exiſtant, & ab alio generentur, per quidpiam aliud ab eſſentia diverſum exiſtant. Quis enim umquam aſſeruit res fieri mere poſſibiles per aliquod, quod ab ipſarum naturis differat? Cur non æque per ipſam naturam exiſtent, cum ab uno in alium ſtatum transferuntur?

22. Ex his omnibus jam tota patet reſponſio ad alterum, quod aſſerri ſolet, argumentum. Nec enim ſi eſſentia æterna, immutabilis, neceſſaria ſit, idcirco exiſtendi ſtatus in rebus æternus, neceſſarius, & immutabilis prorſus habendus. Hæc enim attributa naturam ſolum, non autem naturæ ſtatum reſpiciunt, uti ſupra diximus, ad quem prorſus indifferentes ſunt, nec a ſe ipſis ab uno in alium transferri poſſunt. Ut enim translatio rei ab uno in alium locum, nihil præterea dicit, niſi rem ipſam, quæ diverſis ſpatiis collocatur, nec quidpiam aliud continet, niſi ipſius rei diverſam relationem; ita ipſa natura eſt, nec quidpiam aliud ipſi ſuperadditur, ſive in ſtatu meræ poſſibilitatis ſit, ſive phyſicam habeat exiſtentiam. Et quemadmodum de eſſentia rerum non eſt, ut hoc potius loco, quam alio exiſtant, ſic neque in rerum naturas ingreditur, ut hunc exiſtendi modum potius, quam alium habeant. Quo fit, ut attributa illa, quæ de ſolis naturis vere dici, & affirmari poſſunt, de ipſarum ſtatu minime prædicentur. Quare rerum exiſtentia non neceſſaria, non immutabilis eſt, quemadmodum de natura id minime prædicatur, quia videlicet natura hunc ſtatum neceſſario non poſtulat; poteſt enim & alium ſtatum habere; quamquam utrum habeat, non per aliud, ſed per ipſam naturam habeat, quæ diverſis ſtatibus donari poteſt. Contrarium autem obtinet in Deo O.M, cujus natura exiſtentia eſt, & determinatum exiſtendi modum, & rationem habet, nec ab uno propterea in alium

ſtatum transferri poteſt, ut quidquid de natura, etiam de ipſius phyſica exiſtentia, ſive ſtatu veriſſime, & pleniſſime prædicetur.

23. Ex quo ſi quiſpiam vellet arguere, etiam exiſtentiam a natura eſſe diverſam, quia naturæ ſtatus ab ipſa differt; is certe oſtendat, oportet, etiam res illas, quæ diverſis locis collocantur, per aliquid ſuperadditum in illis locis exiſtere. Æque enim ſitus rerum, ac ſtatus a rebus ipſis differt, & ad ipſos res plane indifferentes ſunt. Quod ſi in aliquo ſtatu ſint; certe non per aliud, quam per ipſam naturam in illo ſtatu erunt.

24. Quæ cum ita ſint, duo mihi quidem in hac quæſtione confundi videntur, quæ prorſus diſtinguenda cenſeo, ne ſola verborum ambiguitate pugnetur. Nam ſi id ſolum Adverſarii velint, res omnes, dum ab ſtatu meræ poſſibilitatis ad phyſicum transferuntur, diverſum ſtatum, & diverſas relationes acquirere; id quidem ne inviti quidem fatemur, & omnes præterea confiteri debent, cum ſtatus a naturis rerum diverſus ſit. Quod ſi præterea voluerint, rem ab uno ſtatu in alium minime transferri poſſe, quin aliquid ſuperaddatur, quod & a re, & a termino relationis diverſum concipiatur, id quidem negamus, & negare deinceps omnes debent, qui ſciunt entia relativa, nihil aliud præterea, quam, & rem, & terminum relationis includere; quorum alterum ſi deficiat, totum ens relativum neceſſario deficiet. Quare integra, & prorſus immutata natura diverſas relationes ſibi acquirere, & comparare poterit; idque totum per ipſam naturam, quæ diverſis ſtatibus collocetur, nec quidpiam diverſum dicit, niſi volueris diverſum terminum relationis.

25. Sed jam, quæ ſint proprietates entis videamus. Ens itaque omne, *unum*, *bonum*, *verum eſt*. Quodlibet namque ens eſſentiam, & naturam habet unicam, ſibi propriam, & congruentem: attributa præterea nexu numquam diſſolvendo cum eſſentia copulata, in quorum, ut ita dicam, coacervatione, & conjunctione unitatis tota ratio ſita eſt. Quamquam, ut ingenue fatear, entis unitas non tam definitione, quam communi omnium ſenſu, & judicio intelligitur.

Neque enim ex omnimoda entium ſimilitudine hoc argui, & deduci poteſt, quemadmodum poſtea declarabimus.

26. Etenim cum notionem comprehendat ſimpliciſſimam, multo ſentitur facilius, quam declarari oratione poſſit. Quis enim non intelligit, ſe eſſe unum, non duos? Idem dicito de idea multitudinis, quæ unitati contraria eſt. Deinde ens omne cum poſſibile ſit, nullamque propterea contradictionem involvat; conſentit quidem contradictionis principio, & attingi poteſt ab humana mente, & veritatem habet metaphyſicam. Cum autem rerum eſſentialium conſentio ſit quædam eſſentialis, ſive metaphyſica perfectio, profecto perſpicitur, nullum adeſſe poſſe ens bonitate metaphyſica deſtitutum.

27. Ordinem, teſte Tullio, definiebant Stoici; compoſitionem rerum aptis, & accomodatis locis: ſic in Bibliotheca ordinem elucere dicimus, cum libri ita diſponuntur, ut quædam emineat æqualitas, & ſimilitudo, ut in ipſis diſtribuendis ratio formæ, argumenti, & eruditionis habeatur. Doctrina de ordine magis, quam vulgo creditur, momenti eſt. Ut enim prætemploy, id quod in proverbio eſt, ordinem eſſe animam Mundi, tum contemplatio diligens ordinis luculentum de Divinitate, & de animis noſtris ſuppetit argumentum. Singularis autem, & pene divinus in hac rerum univerſitate elucet ordo. Nihil enim eſt ſine ſufficienti ratione, & quidquid huic principio conſentit, quamdam ordinis regulam habeat, ac præſeferat neceſſe eſt.

28. Totus autem rerum ordo in mechanicum, & moralem dividitur; quorum hic poſtremus in ratione, & intelligentia Dei ſitus eſt, cui recta Hominis ratio neceſſario conſentit. Quidquid ergo rectæ Hominis rationi conſentaneum eſt; id cum Dei ratione conjunctum, & copulatum, id præterea a Deo ſuprema, & perfectiſſima voluntate præcipitur, cui omnes Creaturæ parere debent, ſuaſque actiones penitus conformare. Quidquid enim ſunt, & habent; id ſolum certe a Deo datum, & mutuatum habent. Atque hinc omnes leges morales fluunt, quæ neceſſariæ, & immutabiles ſunt, & ne a Deo quidem perturbari poſſunt,

cum

cum ex ipſius mente, & voluntate neceſſaria originem ducant, quas hi ſolum inficiantur, qui cum Epicureis Dei Providentiam negant. Sed de hoc poſtea redibit ſermo.

29. At mechanicus ordo totus in mechanicis viribus poſitus eſt, quibus corpora in univerſo exiſtentia perpetuo ſubjacent, totuſque terrarum orbis perpetuo conſervatur. Leges autem, quæ ex hac virium conſtitutione oriuntur, mechanicæ audiunt, nec neceſſariæ ſunt illæ quidem, cum impediri poſſint, ſaltem Dei omnipotenti virtute, vel ſine ipſis aliquis effectus generari queat. Nihilominus ejus generis ſunt, ut effectum neceſſario inducant, niſi quidpiam obſtiterit, aut alterius cauſæ reactione impediantur. Nulla autem cauſa in hoc orbe terrarum eſt, quæ totam virium conſtitutionem impediat; ergo leges mechanicæ neceſſariæ ſunt, poſita hujus orbis conſtitutione. At Deus, qui totum ordinem poſuit, ſua potentia efficere poteſt, ne effectus ſit, & tota vis cauſarum impediatur: ergo ſolum ex hypotheſi, qua hujuſmodi vires minime impediantur, neceſſariæ prorſus exiſtimari debent: quæ res, dum de miraculis diſputabitur, illuſtrior prorſus evadet.

CAPUT III.

De Ente abſoluto, & relativo; deque Ente ſimplici, & compoſito.

30. ETſi innumera entia ſint, quæ miram in Orbe pulchritudinem, & variationem inducunt, tamen ad duo potiſſimum capita referuntur, quorum alterum *abſolutum* dicitur, *relativum* alterum. Et illud quidem, quia nulla alia re prius concepta concipitur, & ipſa ſua natura, & eſſentia abſolutum eſt; hoc vero poſtremum, quia non ſola ſua natura continetur; nec concipitur ſine relatione quadam ad alterum, ſeu quod idem eſt, quia alterum non autem alterum ſine ulla ad alias res relatione concipitur. Ita *lapis* ens abſolutum eſt; *Filius* autem, *Pater* ens prorſus relativum. Quodcumque igitur ens ab alio pendere dicitur, cum ea, quam habet, exiſtentia in altero continetur. Sic effecta a cauſis

pendent, & res omnes creatæ a Deo, qui omnium rerum effector, & conditor eſt.

31. Hic autem rerum nexus, & unius in alteram incluſio, non interna minus, quam externa eſſe poteſt. Neque enim dubitabit quiſpiam, quin res omnes a ſuis attributis eſſentialibus intrinſecus pendeant, atque ex ipſis quoquomodo proficiſcantur. Extrinſecus autem res omnes ex cauſis pendere dicuntur, a quibus producuntur: quæ duæ res diverſæ ſunt, nec invicem permiſceri debent. Quapropter errat impius Spinoza, qui id omne, quod in ſe exiſtit, & vi propria, nec aliena exiſtit, nec rei alicujus notione eget, ut concipiatur, a nullo pendere dicit, atque a ſe, vel ex ſe neceſſario ſubſiſtere. Hujus generis fore conſtituit ſubſtantias omnes, quæ vi propria, & natura ſua, nec ab alio mutuata, & per ſe exiſtunt. Verum hic quidem periſſimus Philoſophus ſemper ludit terminis, quibus pro arbitratu diverſam ſignificationem tribuit. Quo nihil certe magis putidum, & ridiculum, magiſque inquiſitioni veritatis inimicum. Illud enim vi propria, & a ſe exiſtit, quod ne in eo quidem, *ut ſit*, & exiſtat, a quopiam alio pendet, & fixam, & immutabilem exiſtendi rationem habet; ex qua definitione, quæ certa apud omnes eſt, conficeret, vellem, Spinoza, ſubſtantias omnes, quæ ut creatæ certiſſime ad Deum relationem dicunt, ex ſe, & a ſe neceſſario exiſtere. Quod ſi voluerit, id propria virtute, & a ſe exiſtere, quod ſine alio concipitur, (neque enim in verbo invidia eſſe poteſt) illud vero negabimus, entia omnia, quæ ſine dubio creari poſſunt, & prorſus debent, ſine aliqua relatione ad cauſam concipi poſſe. Quocirca ens neceſſarium, & quod a ſe exiſtit, illud diximus, quod, ut ſit, & verè exiſtat, non includit notionem alterius: Itaque id maxime probandum ab Spinoza fuit, ſubſtantias omnes nullam notionem a ſe diverſam includere, ut ſint, & ut ab uno in alium ſtatum transferantur, nihilque in entibus abſolutis inveniri poſſe, præter diverſas ad terminos diverſos relationes. Verum de his quidem poſtea.

32. At ut res tota pleniſſime intelligatur, illud etiam perpendendum, & conſiderandum eſt, maximum inter nexum,

xum, ſive connexionem, & pendere ab alio, atque ab eo ortum, & originem ducere, inveniri diſcrimen. Neque vero quidpiam ab alio idcirco pendet, quia ſine eo exiſtere nullo modo poteſt. Sic enim entia alia aliis nexa, & copulata ſunt, ut alia ſine aliis exiſtere nequeant; quin tamen alia ab aliis procreentur. Ipſe vero Deus cum Creaturis nexus, & copulatus eſt; non enim ſine earum ſaltem poſſibilitate exiſtere poteſt; nec tamen a Creaturis pendet; neque enim, ut ſit, indiget rebus creatis, nec illarum virtute generatur. Quare qui ita cum alio nexus, & copulatus eſt, ut totam exiſtendi rationem ab alio mutuarit: is certe ab alio erit, & ab alio pendebit, nec cum illo ſolummodo copulabitur.

33. Minime vero ab alio pendebit quiſpiam, quamquam alterum ſine altero exiſtere nullo modo poſſit, ſi nullam vim, & virtutem ab eo acceperit, nec ab eo originem, & principium exiſtendi duxerit. Cujus generis ſunt rerum omnium naturæ, atque eſſentiæ neceſſariæ, Deuſque ipſe, qui naturarum omnium conditor, & creator eſt. Conſtans quippe terminorum ſignificatio variari, atque ad alias res transferri non debet, ſi, quid dicamus, velimus intelligi.

34. Inter entium autem relationes illa certe prætermittenda non eſt, quæ oritur ex entium ſimilitudine. Similia autem entia illa dicimus, quorum proprietates æquales ſunt. Sic duo triangula ſimilia erunt, quæ in angulis ſaltem æqualitatem obtinent. Eo autem major ſimilitudo erit, quo major partium æqualitas, ut omnimoda ſimilitudo, ſi minus identitatem, perfectam partium, & rerum æqualitatem dicat. Quare tractari hic ſolet, an rerum omnimoda ſimilitudo, ſolam æqualitatem, an etiam veram identitatem inducat, totumque individuationis principium, quo res ſit una, & ab aliis diſtinguitur numero, & ſeparatur, in omnimoda ſimilitudine conſiſtat.

35. Et Stoici quidem, teſte Tullio, non poſſe duas res omnino ſimiles, & ſolo numero diverſas exiſtere crediderunt. Quam ſententiam jam obſoletam, & pene emortuam inſtauravit Leibnitius Philoſophus, & Geometra pene divinus, quem mira deinceps contentione ſecuti ſunt V.Vol-

ſius, Canthius, Bulſingerus, Hanſchius, Baumeiſterus, aliique bene multi, qui Leibnitii adorant dogmata. Itaque nos contra ſentimus cum Nevvtono, Clarkio, Boſcovichio, Scherfero, aliiſque multis. Omnis autem illorum Philoſophorum opinio duobus fundamentis innititur; quorum alterum ex principio rationis ſufficientis petitur, alterum ex difficultate explicandi rerum diverſitatem, & diſtinctionem. Sed ſunt ea meo quidem judicio debilia.

36. Et vero res omnes illæ exiſtere poſſunt, quæ nullam in attributis eſſentialibus contradictionem involvunt. Quid autem certius, quam duas res ſimiles omnino inter ſe minime ſecum ipſis pugnare, nullamque in attributis eſſentialibus dicere contradictionem? Sic duæ lineæ omnino ſimiles exiſtere poſſunt. Quid? Nonne duo individua, quamquam inter ſe omnino ſimilia, ſi ſeorſim ſumantur, nec conjungantur ſimul, exiſtere poſſunt, ut optime perſpexit Leybnitius? Quod quidem ſi ponatur, quæ tandem cauſa fingi, aut excogitari poterit, ex qua res illæ, quæ nec intrinſecus repugnant, exiſtere nullo modo poſſint? præſertim cum rerum intimam poſſibilitatem externa poſſibilitas comitetur. Quod quidem adeo certum eſt, ut eum id ſolum negare poſſe putem, qui Deo deneget poteſtatem efficiendi omne, quod nullam contradictionem dicit; præterea neminem.

37. Hoc autem argumento nihil robuſtius dici, aut imaginari poteſt. Nam ſi dixerint duo entia omnino ſimilia intrinſecus idcirco pugnare, quia ſimilia ſunt, nec duo fore, ſed unicum, atque individuum, id certe ponerent, quod maxime diſputatur, & rem per rem ipſam oſtenderent. Id enim quæritur; an omnimoda ſimilitudo unitatem efficiat, an vero ſolam æqualitatem? Nihilominus plura Leybnitiani objiciunt, quæ ad duo potiſſimum capita referuntur, nec magni ſunt, opinor, momenti.

38. Et primo quidem inquiunt, duorum ſimilium procreatio ſapientiæ divinæ opponitur. Cur ita? Quia quidquid Deus agit; id quidem ſumma cum ratione agitur. Omnis autem ratio ſufficiens abeſſet in duorum ſimilium entium creatione. Nulla quippe ratio ſufficiens Deo ineſſe poſſet,

ut

ut alterum potius in loco A, quam in B collocaret: neque enim in locis, aut in entibus aliqua diſſimilitudo eſt, in qua ſuprema, & intelligens ratio inniti queat. Ex quo ſane perſpicitur alterum ex his duobus neceſſario conſequuturum, vel Deum non ſumma cum ratione agere; vel neceſſitate quadam urgeri, ut ipſas ſimilibus entibus denominationes, & affectiones tribuat, totamque entium proprietatem tollat; quod utrumque æque repugnat. Verum hoc totum argumentum principio quodam innititur, cujus uſus, & ſignificatio non omnino certa, & explorata eſt. Neque enim conſtat, in quo tota ratio ſufficiens collocanda ſit; in rebus ne ipſis, an in ſola agentis voluntate, an in utroque, ſi de rebus, quemadmodum hic, liberis ſolummodo diſputetur. Quare dicimus totam rationem ſufficientem ad agendum in Deo ex ipſius ſolum arbitrio, & perfectiſſimo pondere ſuæ voluntatis pendere. Ergo certum, & minime dubium, quin totum hoc principium, quo mirum in modum abutuntur Leibnitiani, Deum O.M, vel maxime dedeceat, idque etſi in liberis creaturis ratum, fixumque ſit, & habeatur; quarum cognitiones in infinitum augeri valeant, & perfectiones fieri, totaque propterea ratio ſufficiens, ex ipſarum arbitrio, & poteſtate fluit. At quia Deus perfectiſſimus eſt, omnia pervadat, nec perfectiorem idearum copiam ſibi acquirere, & comparare queat, optimum certe eligere teneretur, ut cum ſumma ratione ſufficiente ageret. Quid ni liber, qui quadam adigitur agendi neceſſitate? Quapropter videant Leibnitiani, ne dum Deum ſumma cum ratione agentem volunt, ipſum libertate deſtituant, brutiſque animantibus, quam ſimilimum efficiant. Quare, ut ego quidem exiſtimo, omnis ratio ſufficiens, qua totum innititur principium, vel in rebus ipſis, vel in agentis liberi arbitrio, & poteſtate ſita eſſe poteſt, immo & debet, cum de divina agitur libertate, quæ prorſus everteretur, niſi tota agendi ratio ſufficiens, ex imperio, & pondere ipſius perfectiſſimæ voluntatis oriretur.

39. At magis efficax alterum Leibnitianorum argumentum eſt. Et vero ſi omnimoda individuorum in attributis eſſentialibus ſimilitudo unicam ſpeciem conſtituit; cur

cur non æque omnimoda individuorum ſimilitudo unicum individuum efficiet? Quid? ſi omnia ſimilia ponantur, quid tandem erit, quo alterum ab altero differat? Neque enim poſſibilitate, neque natura, neque exiſtendi ratione diſſimilia forent. Cur non ergo eadem? Nulla quippe ratio ſufficiens adeſſet ad diverſitatem, & diſtinctionem individuorum ſimilium conſtituendam.

40. Hæc quidem Leibnitiani, quibus nihilominus reſpondemus, unitatem ſpecificam a numerica unitate differre. Majorem namque, ut ita dicam, ſimilitudinem requirimus ad unitatem numericam, quam ad ſpecificam unitatem conſtituendam. Hæc enim habetur, etiamſi individua inter ſe differant, & attributa diverſa numero ſint. Ex quo intelligitur totam unitatem ſpecificam ex ſola attributorum ſimilitudine in diverſis individuis coaleſcere, quam propterea veluti quoddam unum ens confingimus, quod ſub ſe plures ſimiles res numero tamen diverſas contineat. Itaque tota unitas ſpecifica ex ratione conſurgit, nec vera, aut realis eſt, nec ex ipſis entibus efformatur. At multo ſecus ſe res habet in individua unitate. Neque enim res individuæ ita ſimiles ſunt, ut neque unitate differant. Æquales igitur omnino inter ſe poterunt inveniri, ut nulla diſſimilitudo, aut inæqualitas adſit, at invicem nihilominus different. Quid autem hoc, quod etſi alteri ſimile ſit, alterum ab altero diſcriminet, & ſecernat; facilius quidem percipitur, quam declaratur. At quam multa ſunt, quorum, cum diverſitatem perſpicimus, & oculis aſpectamus, nullam nihilominus in proprietatibus diverſitatem videmus? Quis enim umquam proprietates illarum rerum monſtravit, quarum ſimplicem tantum notionem obtinemus? Nulla igitur proprietas erit, qua alterum ab altero ſecernatur? Minime gentium. Quidquid enim ab alio differt, per aliquam proprietatem ab alio, oportet, differat. Quæ enim diverſas proprietates non habent, quo pacto ſecerni, & diſtingui poſſunt? Quod ſi differant, totamque diſtinctionem videamus, jam aliquid, obſcure ſaltem, percipimus, quo altera res altera non ſit, & quo altera ab altera ſeparetur. Sed quamvis hoc demonſtrare non poſſimus, & ne clare quidem

per-

percipiamus; at Deum minime fortaſſe latebit, qui perfectiſſimus eſt, rerumque omnium perfectiſſimam poſſidet cognitionem,eaque ut plane diverſa concipit.Quidquid autem hoc ſit, illud vero certum,illam proprietatem ex ſola diſſimilitudine minime repetendam. Etſi enim vis ſentiendi, quæ in duobus individuis invenitur, altera alteri omnino ſimilis fiat, diverſa tamen in utroque eſt; quod diſcrimen, omniſque ſimilium diſtinctio, ex aliqua diſſimilitudine oriri non poteſt, niſi ipſi hypotheſi repugnemus. Quare identitas, ſeu perfectiſſima conjunctio, & convenientia cum aliqua re nullam neque diſſimilitudinem, neque diverſitatem dicit: quo fit, ut alia ab alia minime ſeparetur. Omnimoda autem ſimilitudo perfectiſſimam æqualitatem ſolum inducit, quæ cum rerum diſtinctione, & varietate neceſſario conjungitur. Quæ enim mere ſimilia ſunt, diverſa ſunt, & plane diſtincta, quæ diſtinctio unitati e regione adverſatur. Quapropter diverſitas, & diſtinctio diſſimilitudinem non neceſſario dicunt; quamquam diſſimilitudo numquam cum unitate copulari queat, quod probe tenendum eſt, ne aliud ex alio nectamus, & in plurimos errores dilabamur.

41. Huic non diſſimilis Antonii Genuenſis opinio exiſtimari debet, qui omnem diverſitatem, & unitatem rerum ex ſola vel loci, vel temporis unitate, & multitudine pendere exiſtimavit. Verum inepte iſtud quidem, ne quid gravius, aut acerbius dicam. Nam primo & loca, & tempora inter ſe utique differunt. At neque per aliud, niſi per ſe ipſa differunt. Quæ igitur ratio erit, quæ ſecus in aliis rebus ſuadeat? Quid? Nonne eſſe in loco duo involvit inter ſe maxime diſſita, & disjuncta, & eſſe nimirum ipſum rei, quæ eſt in loco, & ordinem quemdam, & rationem ad alias res, quæ ſimul exiſtunt? Atqui prius intelligitur, eſſe rem, quam habere hanc, vel illam determinationem. Ex quo ſane palam eſt identitatem, & diſtinctionem, & multitudinem neque ex loci unitate, aut varietate, aut multitudine proficiſci. Deinde res duæ poſſunt exiſtere in eodem loco; at neque Deus efficere poteſt, ut duæ res rem unam, eamdemque efficiant. Etenim quid certius eſt,

quam

quam partes Corporis Chriſti in uno, eodemque punćto in Euchariſtiæ Sasramento contineri? Nec tamen ipſius partes permixtæ, aut confuſæ ſunt, nec unam partem efficiunt. Quod certe nullo modo eveniret, ſi diſcrimen illud, totumque individuationis principium, quo ſit, ut una res non ſit altera, ſolummodo ex unitate, aut loci varietate penderet, quamquam difficile, & vix ab humana mente intelligibile eſſe fatear diſcrimen illud, quo res duæ invicem differunt, & ad invicem ſeparantur.

42. Ex his omnibus duo illa dumtaxat eadem numero, nec unitate diverſa erunt, quæ omnes determinationes communes habent; quæ vero non habent, diverſa plane. Si quæ autem communi ſpecie continentur, ſpecie eadem erunt, unumque ſpecificum conſtituent, etiamſi numero plane differant inter ſe. Ita Cicero, & Pompejus ſpecie unum ſunt; ſpecie vero diverſi Alexander, ipſiuſque Bucefalus, quia in notis eſſentialibus non modo differunt, ſed perfećtiſſimam habent diſſimilitudinem. Quocirca quæ inter ſe differunt, revera diſtinguuntur; quæ vero ſunt eadem, ratione dumtaxat; ex quo oritur ens rationis, de quo ſupra.

43. Jam ex rebus, quæ eſſe poſſunt, aliæ dicuntur compoſitæ, & item aliæ ſimplices. Primi generis illæ res habentur, quæ ex pluribus partibus coagmentantur; cujus generis ſunt palatium, ædificium, quod ex partibus apte conjunćtis extrućtum eſt; ſimplices vero, quia partibus omnibus deſtituuntur; ſic Gaſſendi atomi ſimplices ſunt, quæ dentur, nec ne, quæmadmodum ab ipſo confićtum fuit, incertum plane, & dubium eſt, & meo judicio a veritate prorſus alienum, quemadmodum in Phyſica demonſtratur. Illud vero certum exiſtimo, ens ſcilicet omnino ſimplex, & partibus omnibus deſtitutum exiſtere poſſe. Cum enim exiſtant entia compoſita, exiſtant etiam partes, ex quibus illa coaleſcant, neceſſe eſt. Quocirca ens compoſitum ex entibus ſimplicibus quaſi totidem principiis oriri debet, ſive illa ſint numero infinita, ſive finita; ſimplicia vero ex aliis entibus oriri non debent, & ſunt rerum compoſitarum primæva principia. Sic numerus compoſitus ex aliis numeris ſimplicioribus efformatur, non au-
tem

tem unitas. At minime negandum eſt, entia ſimplicia procreari non poſſe, quamquam fortaſſe nonniſi a Deo procreari queant. Sed de rerum corporearum ſimplicitate, & compoſitione poſtea diſputabitur.

CAPUT IV.

De ſubſtantia, & Accidente.

44. QUæcumque in ente exiſtunt, ea certe vel ad notas eſſentiales, vel accidentales referri debent. At cum notæ rerum eſſentiales immutabiles ſint, tota, ſi quæ eſt, ipſorum mutatio, modorum variatio eſt, quæ modificatio dicitur. Status igitur entis, quem modi cum eſſentia conjuncti conſtituunt, internus; quem vero relationes efficiunt, externus nominatur. Sic ſtatus eruditionis in homine eſt internus, quippe qui ex majori idearum, & cognitionum numero, & copia coaleſcit; ſtatus vero regiæ dignitatis totus externus.

45. Hujuſmodi autem ſtatus ſi ita cum ente conjungatur, ut abeſſe ab eo non poſſit, character audit, uti ſunt ſtatus Sacerdotis, Chriſtiani, &c. a Deo animæ impreſſus, qui deleri niſi ab ipſo Deo poteſt. Sed ſtatum internum in duas partes diſtribuimus in quarum altera ſtatum illum includimus, qui ex modis ab ipſa quaſi eſſentia profectis, coaleſcit, quemadmodum lux ex Sole, & Planetis omnibus; alterum illum dicimus, qui ortum ducit ex proprietatibus illis, quæ eſſentiam non neceſſario comitantur, ſed eſſe, & abeſſe poſſunt, uti albedo a pariete, & niger laterum color a triangulo.

46. Jam mutatio ſtatus, cujus ratio ſufficiens continetur in ſubjecto, in quo mutatio fit, nomine *actionis* venit. Mutatio vero, cujus ratio ſufficiens extra ipſum ſubjectum mutatum continetur *paſſionis* vocabulo exprimitur. Cuipiam autem enti ineſt quædam agendi facultas, quæ *potentia* dici conſuevit; itidemque patiendi facultas, ſive poteſtas, quæ *paſſio*, ſive effectus nominatur.

47. Hæc

Digitized by Google

47. Hæc autem agendi facultas multiplex, & varia eſt, nec ex ipſis principiis originem ducit, nec alia alia copulari poteſt. Quæcumque tandem illa ſit, certe potentia effectrix, ſive motrix, & activa appellatur, quia aliquam mutationem inducit; quæ vero mutationem non inducit, ſed ſolam quodammodo in ſe recipit mutationem, patiens potentia, effectuſque dicitur. Vis autem eſt hic omne id, in quo ratio ſufficiens totius mutationis invenitur. Quo fit, ut, quæ efficitur in ente mutatio, integræ potentiæ vi neceſſario reſpondeat, minime vero potentiæ. Accidere enim poteſt (accidit autem ſæpiſſime), quemadmodum in opuſculo noſtro de vera, & neceſſaria motus accelerati theoria monſtratum eſt, ut vis a potentia differat, tum præſertim, cum vis potentiæ variabilis quoquomodo deprehenditur, cui propterea effectus ſequutus proportionalis fieri nullo modo poteſt.

48. De hoc autem variationis in viribus mechanicis principio, ex quo tota, ſi quæ eſt in viribus Univerſi variatio, petenda eſt, plura diſputavimus in noſtra Diſſertatione Mantuana, illudque geometrice demonſtravimus, *virium variationem ex diverſa etiam potentiarum dirrectione petendam eſſe*, in quo deinceps totum noſtrum ſyſtema innititur. Quare errant tum Phyſici, tum Mathematici ad unum omnes, qui vires etiam illas, quas conſtantes appellant, cum potentiis ipſis confundunt, atque adeo cum vires ipſas variabiles ipſis, quam accurate reſpondere volunt, dummodo motus infiniteſimus ponatur, aut motus ſolum initialis computetur; nec mirum propterea, quod in definiendis veris Naturæ legibus aqua hæſerit, nec metaphyſica principia cum mechanicis principiis potuerint conciliare, uti in opuſculo noſtro *della vera miſura delle forze vive, e morte*, confeciſſe credimus.

49. Tota vis præterea agens in mortuam, & vivam ſubdividitur, quarum prima illa dicitur, quæ in ſola potentia eſt, nec ex velocitate, ſi quæ fuerit in potentia, mutatur. Vis autem viva præter vim corporis, ſi quæ fuerit, etiam velocitatem dicit, eſtque propterea verus effectus ex virium jam actione ſequutus. Itaque & fortius agit

cæte-

cæteris paribus, majoremque effectum inducit. Quare hæ duo vires, etſi in uno, eodemque corpore reperiantur, diverſæ nihilominus ſunt, & diverſis elementis declarantur.

50. Huc recidunt omnes de viribus vivis, & mortuis Mathematicorum omnes definitiones. Quapropter errant, & a veritate deflectunt Carteſiani, qui utraſque vires eadem menſura metiendas eſſe contendunt. Et vero ſi vis mortua, ut potentia in aliud elementum ſit, profecto vis viva erit, ut velocitatis quadratum, id quod ipſorum hypotheſi e regione adverſatur. Rectius itaque Leibnitiani; qui diverſas vires, diverſis quantitatibus metiuntur. Quocirca errat Riccatius Geometra, & Metaphyſicus cæteroquin præſtantiſſimus, qui quamvis Leibnitianus, a Leibnitianorum opinione diſcedens, utraſque vires eadem quantitate menſurandas putavit.

51. Neque enim fieri poteſt, ut lex, & ratio effectus cum lege, & ratione ſola cauſæ copuletur, aut utrumque communibus elementis exprimatur: quamquam aliud ex alio nectimus &, deducimus. Hanc autem ampliſſimam quæſtionem, quæ celebriores Mathematicos occupavit, & totius præterea Mechanices fundamentum eſt, & cum omnibus mechanicis theoriis copulata, in opuſculo noſtro de vera virium vivarum, & mortuarum dimenſione evoluimus, & geometrice definivimus; quod quidem veluti introductio quædam ad Mechanicam haberi poteſt, immo & debet: in quo principia omnia demonſtrantur, ex quibus virium, & legum mechanicorum variatio originem ducit, ſine quo propterea, nec theoriæ mechanicæ invicem, & cum principiis metaphyſicis conciliari, nec intelligi quidem fortaſſe poſſunt.

52. Hiſce ergo ita conſtitutis jam entium genera videamus. Et prima quidem entis diviſio in ſubſtantiam fit, & accidens. Quidquid enim ens eſt ad alterum ex his generibus referendum. Ens autem omne, quod eſt modificationum capax, ſubſtantiam dicimus; modificationes vero, quæ in ente fieri poſſunt accidentia vocantur. Ex quo intelligitur ſubſtantiam eſſe tamquam quoddam accidentium, ſive modificationum, quæ in ente accidere poſſunt, recepta-

ptaculum: quam propterea jure optimo definire poſſumus: ens quod in ſe, & per ſe exiſtit: ergo accidens contra: quod nullo modo in ſe, ſed in alio prorſus ſubſiſtit, & cujus præterea notio alterius notione indiget.

53. Benedictus autem Spinoza catus ille quidem, & acutus homo non impie minus, quam ſtulte loquitur de ſubſtantia. Etſi enim, quemadmodum omnes, ſubſtantiam definiat: ens, quod in ſe eſt, vel per ſe ſubſiſtit: ingenioſior tamen præ cæteris per hæc verba, *quod in ſe eſt* non intelligit, quod *per ſe*, & non *per aliud ſubſiſtit*, quemadmodum accidentia omnia; ſed id tantum, quod a ſe exiſtit; & nova, nec uſitata vocis ſignificatione rem totam ſibi viſus eſt confeciſſe. Nec minus ipſe aberrat, & mentis acumen ſingulare demonſtrat, cum contendat in rerum natura non poſſe dari duas, aut plures ſubſtantias ejuſdem attributi; in quo etiam apte quidem ludit terminis, atque ex impotentia unitatis numericæ duarum rerum ipſarum impotentiam ad efformandam ſpecificam unitatem arguit. Etſi enim fieri nullo modo poſſit, ut duæ, aut plures ſubſtantiæ ipſum attributum habeant, & numero differant; certe nihil impedit, quominus ſimile, & commune prorſus habeant, quin una, eademque ſubſtantia ſint, nec diverſam individuam obtineant proprietatem. Quare ſubſtantiæ omnes unam ſpeciem conſtituunt, non tamen unicum, & ſimpliciſſimum individuum. Ex quibus nihilominus acutiſſimus Philoſophus arguit, ſubſtantiam a nullo effici, aut creari potuiſſe; in quo præterea circulo in demonſtrando volvitur manifeſto. Ideo namque, ſi Spinozam audimus, ſubſtantia eſt ens, quod a ſe exiſtit; quia ſubſtantia a nullo alio effici poteſt; atque hoc tantum demonſtratur, quia ſubſtantia eſt, vel a ſe ſubſiſtit. Similiter cum dicit, ſubſtantiam eſſe id, cujus conceptus, ſive notio non indiget alterius conceptu, & notione, ut cognoſcatur; hoc quidem ſolum vult, in nomine ſubſtantiæ nullam aliam notionem ingredi, ac propterea id omne, quod ad aliud quoquomodo refertur, non eſſe poſſe ſubſtantiam: quaſi vero id omne, quod per ſe ſubſiſtit, nullam ad alterum dicere poſſet relationem. Atqui hæc quam ſtulta, & contra omnium ſen-

ſum

ſum excogitata ſunt? Quam prorſus incredibilia! Et tamen hoc ſolum fundamento impia illa dogmata innituntur, ſubſtantiam ſcilicet effici nullo modo poſſe, nec creari, unicam extare, & ſpectabilem hanc rerum univerſitatem Deum ipſum eſſe:

Demens, qui ſe ipſe, Deumque
Confundit ranis, & muribus, & proprium nil
Sentit ineſſe ſibi, vel cum ſe ſcire videret,
Ignorante alio, atque alio lætante doleret.
Egregium Numen, cultro quod ſcindere poſſis:

Et alia, quæ eleganter perſequitur Polignachus.

54. Quod impium dogma jam olim tenuerat Xenophanes, qui, teſte Tullio, unum dixiſſe omnia fertur, neque id eſſe mutabile, & id eſſe Deum, neque natum uſquam, & ſempiternum conglobata figura. In eodem errore Zeno verſatus fuit: ex quo ſolum perſpicitur, Philoſophos noſtros nihil aliud egiſſe, quam crambem recoquere amariſſimam. Atque hos mirabimur, & tamquam portentum quoddam ſapientiæ ſuſpiciemus? Nec pudebit, eos veluti totidem veritatis magiſtros habuiſſe?

55. Huic non diſſimilis Pantheiſtarum opinio eſt, qui Mundi generationem, & ſubſtantiarum, quæ in ipſo exiſtunt, per eſſentialem quamdam emanationem, & diffuſſionem a Deo factam eſſe docuerunt; quam præſertim recentiores Perſæ, Siamenſes, & Sinenſes Philoſophi tenent, ſi fides Bernerio in itinerario (tom. 2. pag. 163.) adhibenda ſit. Hæc autem opinio in difficultate nititur explicandi, quo pacto hujuſmodi ſubſtantiæ generentur. Quæ omnis difficultas tollitur, & penitus evaneſcit, ſi cogitetur minime fingi, & efformari rerum naturas a Deo, cum ab uno in alium ſtatum transferuntur. Eget enim divina omnipotentia, quemadmodum alibi docuimus, naturis rerum, quæ æternæ, & immutabiles, & neceſſaria ſunt, tamquam quibuſdam terminis, in quos omnipotens ipſius virtus, & poteſtas exerceatur. Ut enim vires omnes creatæ efficere poſſunt, ut res ab una exiſtendi ratione in aliam transferatur, cur Deus, qui infinitus eſt, & vires omnes infinitas poteſtate ſuperat, neutiquam efficere poterit, ut re-

rebus, quæ nullibi exiſtunt, exiſtendiam tribuat, phyſicum exiſtendi ſtatum communicet, & a non vere eſſe ad vere eſſe, & exiſtendum traducat? Neque enim in hoc aliqua repugnantia, aut patens, & viſſibilis contradictio eſt; non enim ex nihilo quidpiam fieri dicimus; neque vero rerum naturas, atque eſſentias, quamvis nullam ex ſe habeant exiſtentiam, nihilum dicimus; ſunt enim aliquid, attinguntur enim, & percipiuntur ab humana mente, deque ipſis quidpiam vere affirmari, aut negari poteſt; quod quidem numquam accideret, ſi vere nihilum rerum naturæ ponerentur. Quare ſi preſſe, & ſtrictiori ſenſu loqui velimus, minime rerum naturæ a Deo fiunt, nec mutantur per creationem, aut quidpiam ipſis ſuperadditur, ut deſinant eſſe, quod ab æterno fuerunt. Transferuntur autem dumtaxat ab uno in alium ſtatum, ut quæ res ab æterno mere poſſibilis fuit, phyſicam in tempore exiſtentiam adquirat. Quod quidem etſi virtutem, & efficacitatem omnem cauſarum ſuperet, quarum vires exerceri tantum poſſunt in Phyſica exiſtentiæ rerum mutatione, nullam tamen contradictionem involvit, nec omnipotentiſſimam Dei O. M. vim, & virtutem excedit. Quæ cum ita ſint, hæc duo certa, & evidentia cenſeo; alterum rerum naturas æternas, & immutabiles eſſe, nec a Deo fieri, multoque minus fieri per quamdam emanationem, aut transfuſionem naturæ divinæ, ſed eſſe aliquid in ſe deſinitum, ab omnibus rebus, atque a Deo ipſo ſecretum, & ſejunctum, nec quidpiam a Natura divina mutuatum. Alterum creationem nihil aliud dicere, niſi meram in natura ſtatus mutationem, ut ea a non eſſe ad eſſe tranſeat, atque ex nihilo ſui generetur, hoc eſt, ut a ſtatu mere logico ad phyſicum ſtatum traducatur.

56. Hiſce ergo de ſubſtantiarum origine, & natura conſtitutis, jam ſubſtantiarum genera videamus. Et primo quidem ſubſtantia in *creatam*, & in *increatam* dividitur. Hæc quidem unica, & ſimplex eſt, ſemperque extitit, nec ab uno in alium ſtatum traduci potuit. Illa contra multiplex, & diverſi generis; quæ rurſus propterea dividi poterit in incorpoream, & corpoream. Eſt enim omnis incorporea ſubſtantia natura ſua ſimplex, nec dividua, puruſque præterea

rea ſpiritus, non concretus, aut ex terra natus, cæteraſque alias ſubſtantias vi, & poteſtate ſuperans. Corporea autem ſubſtantia quamvis ſimplex eſſe poteſt, nec dividua, compoſita tamen plerumque habetur, & partes extra partes poſitas obtinet, nec vim, & efficacitatem quidpiam efficiendi dicit, quam minime ab alio, aut ex apta partium diſpoſitione mutuarit. Ex quo ſane intelligitur, ſi primam corporearum ſubſtantiarum originem quæras, eas prorſus ſimplices eſſe oportere; ex quibus tamquam primævis elementis compoſita omnia coagmentantur, quemadmodum poſtea demonſtrabitur.

57. Ens itaque compoſitum nihil aliud eſt, quam ſimplicium ſubſtantiarum coacervatio, quæ hac, vel illa lege coagmentantur. Quare, ſi preſſe, & ſtricte loqui velimus, omnis compoſitio accidentalis & eſt, & jure haberi debet, quippe quæ tota ex modo proficiſcitur, quo partes invicem conformantur, nec propterea involvit quidpiam, niſi partium magnitudinem, quantitates, & qualitates, & determinatam conjunctionem, quæ omnia mera ſunt accidentia. Nihilominus ex illa accidentali partium conjunctione oritur capacitas, & habitudo ad hæc potius accidentia recipienda, quam alia, ad hos potius effectus, quam alios producendos; in qua quidem capacitate, ſi prout res eſt, vere loquamur, corporum definitorum natura, & indoles conſtituenda eſt, quæ tolli non poteſt, niſi corpora omnino auferantur, idque etiamſi accidentibus omnibus privaretur compoſitum, quæ ipſius naturam comitantur. Etenim Corpus Chriſti accidentibus omnibus, quæ ex ſui corporis natura, ſive ex illa definita ſubſtantiarum conjunctione ſequeretur, deſtitutum eſt; nec tamen corporis compoſiti naturam amittit, nec capacitatem illam exuit, quæ vi naturæ, & compoſitionis ſuæ has potius, quam alias qualitates indueret. Verumtamen compoſita dicuntur ſubſtantialia, & vero ſunt, non quia ipſis inſit aliquid ſubſtantiæ præter entia ſimplicia, quemadmodum Scholaſtici confinxerunt, ſed quia natura duce, & operante citra induſtriam artis ea mirabiliter coaleſcunt, cæterarumque affectionum naturalium veluti principium quoddam conſtituunt.

CAPUT V.

De extenſione, ſpatio, loco, & tempore; deque Ente finito, & infinito.

58. Quamquam id omne, quod extenſum eſt, compoſitum ſit, non tamen res e converſo valet: poteſt enim compoſitum ſine extenſione obtineri. Ergo illa ſolum compoſita extenſa erunt, quæ partes extra partes habent, nec exiſtunt in ipſis locis; extenſionis autem limes, ſeu extremus terminus figura nuncupatur. Contiguum vero dicitur compoſitum, cujus partes ita continuantur, ut aliæ iiſdem interſeri nullo modo queant. Quod ſi inter partes locus quidam exiſtat, quem aliæ occupare poſſent, compoſitum dicitur continuum, ſed tamen interruptum.

59. Sed maxima hic oritur quæſtio, num poſſit dari continuum non interruptum, qua, ſi Boſcovichio credimus *diſſertatione de lege continuitatis*, totum ipſius ſyſtema innititur. Hæc autem clar. Boſcovichii theoria plures, & egregios in Germania Sectatores habuit, nullum in Italia fortaſſe; quin contra plures eam rejecerunt, & inviciſſimis rationibus impugnaverunt, a quorum difficultatibus liberare conatus fuit Emanuel Gil in vindiciis theoriæ Boſcovichianæ. Nihilominus ego quidem contra ſentio, & ab amico diſſentio. Neque enim quidpiam in Phyſica imaginandum eſt, nec quia poſſibilis res ſit, idcirco conſtituenda, niſi ea deinceps ſaltem probabiliter, aut ex quibuſdam certis, minimeque dubiis principiis, aut experimentis deducatur. Nihil autem horum in tota Boſcovichii theoria, quæ meo judicio nullo innititur principio certo, plura autem ſunt, quæ obſtant, & impediunt, & quæ mechanicis non minus, quam principiis metaphyſicis adverſantur. Sed ut tota Boſcovichii tehoria conſtet, & fundamenta, quibus ea innititur innoteſcant, audiatur ipſe Boſcovichius Diſſertatione de lege virium num. 159. „ Primo, quidem, inquit „ Boſcovichius, corpora ad immediatum contactum num- „ quam devenire, ſed in minimis diſtantiis habere deter-

„ mina-

„ minationem quamdam recedendi a ſe invicem, quam ap-
„ pellamus vim repulſivam, quæ diſtantiis in infinitum di-
„ minutis augeatur ultra quoſcumque limites, ita ut ſit par
„ extinguendæ cuilibet velocitati, utcumque magnæ: au-
„ ctis diſtantiis imminuatur, donec penitus evaneſcat: tum
„ tranſeat in determinationem accedendi, ſive in vim at-
„ tractivam; quæ primo augeatur, tum decreſcat, & in re-
„ pulſivam iterum tranſeat; idque per multas vices in exiguis
„ diſtantiis, donec demum in majoribus diſtantiis evadat at-
„ tractiva in ratione ad ſenſum reciproca duplicata diſtan-
„ tiarum; atque id juxta conſtantem legem ordinatarum
„ ad curvam quamdam continuam, & ſimplicem, quæ in
„ ipſa abſciſſarum (diſtantias referentium) origine aſym-
„ ptotum habeat paralellam ordinatis ipſis, tum axem in
„ plurimis ſecet punctis, hinc, & inde ſinuata, ac demum
„ ex parte axis oppoſita priori aſymptotico cruri crus
„ aliud habeat asymptoticum, exiſtente asymptotico ipſo
„ axe, & accedente cruris forma, quam proxime ad for-
„ mam cruris hyperbolæ habentis ordinatas in ratione re-
„ ciproca duplicata diſtantiarum. Inde colligimus, materi-
„ am conſtare punctis indiviſſibilibus a ſe invicem aliquo
„ finito intervallo diſtantibus, & ſoliditatem, extenſionem,
„ & cohæſionem repetimus a diſtantia limitis inter repul-
„ ſionem in minore diſtantia, attractionem in majori, ade-
„ oque ſoliditatem, & extenſionem mathematicam conti-
„ nuam nequaquam admittimus.

60. Hæc quidem Boſcovichius, de quibus omnibus, prout res, & locus tulerit, diſputabimus, eaque putida, & pro arbitrio conficta, & ſæpe numero principiis metaphyſicis, & phyſicis, & mechanicis repugnantia demonſtrabimus, eoque nullum fundamentum habitura. In præſentia autem de ſola punctorum contiguitate differendum eſt. Et primo quidem hæc vis attrahens, aut repellens corpora æquo jure tribui ipſis poteſt, ſive hujuſmodi vis oriatur ex contiguo, ſive continuo corporum contactu. Æque enim pugnat, corpora invicem penetrari in omnium Philoſophorum ſententia, ac in Boſcovichii opinione punctorum contiguitas. Ergo quamvis corpora in proximum, & contiguum

contactum venirent; vi nihilominus infinita in ipſo contactu repellerentur, aut vi etiam infinita attraherentur; ſi, quemadmodum Boſchovichius, ex ſola corporum impenetrabilitate infinitam ipſorum vim attrahentem, aut repellentem argueremus. Ex quo perſpicuum eſt, primum Boſchovichii fundamentum corruere, minimeque fore neceſſarium, ut vis illa incredibilis corporibus ſimplicibus tribuatur. Neque enim video, cur alterum, non autem alterum arguatur, cum utrumque æque pugnet in Boſchovichii ſententia. Deinde quero, quo pacto hujuſmodi vis corporum deducatur ex hoc ſolum principio, quod ea in immediatum contactum venire nequeant. Certe quidem Philoſophi omnes corpora impenetrabilia eſſe dixerunt; at nullus eorum, quem ego ſciam, inventus fuit, qui vim obſtaculi cum viribus attrahentibus, aut repellentibus confuderit. Obſtacula enim non minus, quam omnia corpora vi impenetrabilitatis ſuæ, ſi e loco dimoveri nequeant, vi infinita re agunt, & infinitam etiam vim, & velocitatem deſtruerent. Verum hoc quidem totum in ipſo ſolum contactu fit, omniſque virtus, & potentia ceſſat, ſi corpora nullo modo in contactum veniant. Verum de hoc quidem poſtea. Modo videndum eſt, num primum ipſius theoriæ fundamentum ſubſiſtat. Et vero quid eſt, quod impediat, quo minus corpora in contactum veniant, quin invicem penetrentur? Quæ enim in eo repugnantia, aut viſibilis contradictio? Sic duo circuli ſeſe contingunt in unico puncto, quin unius punctum exiſtat in alio. Nihil quippe hic oſtat, quominus geometricæ notiones ad Phyſicam transferantur. Cur transferri nequeant, nec ab ipſis exordiendum erit, ut phyſicam corporum conſtitutionem explicemus?

61. Quid? nonne duo loca ſimplicia, & duorum ſimplicium entium capacia contigua inveniri poſſunt, quin unum, idemque ſpatium ſint. Quid hoc certius dici, aut imaginari poteſt? Spatia enim omnia alia aliis contigua ſunt. Niſi enim hoc ita habeatur, & aliud ſpatium in alio exiſteret; nonne ſpatia omnia ad unum, atque individuum ſpatium redigerentur? Quod ſi nihilominus illa ſpatia minime contigua dicantur, quid tandem illud erit, quod inter illa ſpatia inter-

jectum

jectum concipitur? Spatium ne? ergo illud ſpatium aliis item ſpatiis contiguum erit, & de hoc ſpatio quæram, an contiguum, an aliud interjectum ſit ſpatium; atque ita in infinitum progrediar. Quod ſi ſpatium non ſit, quid tandem ſit, interrogo. Quare certum, & evidens prorſus exiſtimo duo ſpatia ſimplicia, quæ duo entia ſimplicia in ſe continere queant, omnino contigua concipi poſſe: quin quidpiam interjectum ſit, aut unum ſpatium exiſtat in alio. Ex quo evidenter arguitur etiam duo entia ſimplicia in illis duobus ſpatiis collocari poſſe, quin aliud exiſtat in loco alterius. Nam loca, ſive ſpatia alia extra alia poſita ſunt; cur non ergo corpora, quæ illis locis exiſterent? Quo igitur pacto corpora compenetrabuntur, quæ diverſis locis coexiſtunt? Illas quippe res compenetratas dicimus, quarum nulla loci differentia eſt, & ipſum atque individuum ſpatium occupant.

62. Nec minus efficax alterum argumentum eſt ex motus communicatione petitum. Nam figur. 1. ſi duo individua A, & C omnino ſimplicia contigua eſſe nullo modo poſſent, certe cauſæ per ſaltum vim ſuam exererent; quod cum ridiculum ſit, tum ſanctis naturæ legibus adverſatur. Etenim ſi vis cauſæ ſe corpori communicare poſſet, quin per omnia loca tranſiret, nonne ex loco A in C tranſiliret, quin prius extiterit in loco B? Quod ſi ita operaretur, nonne per ſaltum operaretur. Quod ſi per B tranſeat, jam virtus cauſæ ad immediatum contactum accedit. Virtus autem hæc, aut corpus eſt, aut aliquid certe, quod ſine corpore exiſtere nullo modo poteſt? Quod ſi dixeris, nos plane ignorare rationem, qua cauſæ vim exerunt ſuam, vireſque corporibus tribuunt; id quidem ultro, libenterque concederem; atqui illud unum contenderem, Philoſophi minime fore quidpiam vel aſſerere, vel conſtituere, ex quo actio, & operatio cauſæ, aut miraculoſa plane, aut rationi inpervia, aut prorſus repugnans evadat. Quod ſi ne hoc quidem voluerint, totamque vim corporis A everti, aut retundi, antequam ipſum perveniat ad punctum C, illud ſine dubio fateri compellentur, vim corporis A corpori C nullo modo com-

communicari poſſe; quod vel æque, vel magis fortaſſe pugnat.

63. Hæc quidem argumenta ita mihi quidem robuſta, & efficacia ſunt, ut, niſi captioſis ratiunculis, & puerilibus imaginationibus delectemur, vim geometricæ demonſtrationis exæquent, nec deſerenda viderentur, etiamſi validiſſima in oppoſitum fuerint argumenta. At ſunt contra leviſſima. Et primo (fig. 1.) quidem, inquiunt, ſi duo termini forent contigui, idem terminus B eſſet partis præcedentis finis, & ſequentis initium; id quod certe repugnare videtur. Itaque palam eſt, duos terminos in continuo contiguos prorſus haberi nullo modo poſſe. Tamen facile reſpondetur. Duos terminos non eſſe poſſe partis præcedentis finem, & ſequentis initium, ſi plura quam tria puncta conſtituantur; nam ille terminus, qui partis præcedentis finis eſt, ſequentis initium eſſe non poteſt. Quod ſi tria tantum puncta adeſſe fingamus, quid magis certum, & exploratum eſt, quam punctum illud, quod partis præcedentis finis eſt, & item ſit ſequentis initium? Rem autem ita ſe habere ſic certum eſt, ut prorſus ab Adverſariis concedendum eſſe videatur, ſi tria puncta continua, non autem contigua ponantur. Locus enim, qui utrumque punctum divideret, pars continui eſſe non poteſt.

64. Nec majus robur habet alterum argumentum. Si duo termini, inquiunt, contigui eſſe poſſent, neceſſario penetrarentur. Etenim duo illa puncta contigua penes ſe tota tangerent; id quod fieri nulla ratione poteſt, niſi duo illa puncta contigua penetrentur. Atque hoc quidem celebre illud Zenonis argumentum eſt, cujus ſolutionem, ſi doctiſſimo Mako credimus, nemo umquam exhibuit, aut exhibere umquam poterit; cum abſolutiſſimæ demonſtrationis, & evidentiæ vim habeat. Atqui, mea quidem ſententia, tota inviſtiſſima demonſtratio purum, putum ſophiſma eſt, cujus fallacia patens, & manifeſta in ambigua hujus vocis *penetratio* ſignificatione conſiſtit. Quocirca facillime reſpondetur; res illas omnes, quæ penes ſe totas tangunt, neceſſario invicem compenetrari, ſi revera compoſitæ ſint, minimeque ſimplices; non autem ſi ſimplices, & partibus omni-

omnibus deſtitutæ concipiantur. Duo namque entia compoſita partes extra partes habentia non poſſunt ſe ſe tangere penes ſe tota, niſi pars quævis exiſtat in alia; ita duo globuli (fig. 2.) AB. CM non poſſunt ſe ſe tangere omnino, niſi punctum A concurrat in puncto B, & punctum C in M; ac propterea exiſtat A in B, & C in M. Quod ſi duo globuli non compoſiti ſint, ſed unum, idemque punctum eſſe dicantur, punctum utique C non differret a puncto M, nec punctum A a puncto B. Itaque quid mirum, quod in punctis B, & M illa duo puncta A, & C exiſterent, nec propterea penetrarentur? Cum enim loca B, & M non ſint unus, idemque locus, certe quidem quamvis in locis illis duo corpora exiſterent, non idcirco penetrarentur, ſiquidem in locis diverſis exiſterent. Namque illud ſolum cum altero penetrari dicimus, quod in uno, atque individuo loco, ac alterum exiſtit. Cum autem in rebus compoſitis, quæ ſe omnino tangerent, id demonſtrari queat, nec id de ſimplicibus queat; evidens, & cuique perſpicuum eſt celebre illud Zenonis principium in rebus tantum compoſitis valiturum, nec ad entia ſimplicia ſine evidenti paralogiſmo transferri poſſe.

65. At inſtat Boſcovichius: Tangant ſe, ſi fieri poteſt, (fig. 3.) duo puncta, & individua A, & B, quin idcirco ambo conſtituta ſint in eodem loco; certe ſe tangent ex integro. Ponamus, jam immoto puncto B, punctum A verſus A ita adduci, ut cum ipſo penetrari intelligatur. Ex hoc autem facile perſpicitur, facta puncti A verſus B translatione, non utique perſeveraturum priſtinum contactum, multoque minus pleniorem fieri, quippe qui jam antea fuerat pleniſſimus. Quocirca illa translatione tollitur potius, quam procuratur punctorum penetratio, quæ jam prius haberi debuit.

66. Nihil hoc Boſcovichii argumento magis ridiculum eſt, nihil inanius, aut levius. Totum enim, quantum eſt, in ambigua hujus vocis ſignificatione *penetratio* innititur, dequo non multum laborandum eſt, ſed ſignificandum dumtaxat, quid maxime intelligi debeat. Si enim velit Boſcovichius, contactum nullo modo pleniorem futurum, niſi puncta A,

& B

& B penetrentur, exiſtantque in eodem loco, non multum equidem repugnabo. Neque enim de mero nomine umquam a Philoſopho diſputandum eſt. Illud vero concedat oportet, duo illa entia ſimplicia in prima hypotheſi, quamvis penes ſe tota tangerent, in diverſis tamen locis exiſtere, non item in ſecunda hypotheſi, ac propterea in alia hypotheſi, non autem in altera puncta illa penetrari poſſe. Quid? Si ego dicerem, pleniorem contactum tum ſolum haberi poſſe, cum duo entia ſimplicia non ſolum penes ſe tota tangunt, verum etiam in eodem, atque individuo loco exiſtunt, quo me teſte, aut ratione convinceret?

67. Et vero ſi duo entia (fig. 2.) M, & B compoſita forent, nec ſimplicia; certe in prima hypotheſi, nonniſi in unico puncto ſe contingerent; in duobus autem, vel tribus in altera. Quocirca duorum corporum contactus tum plenior haberetur, cum ea in duobus punctis potius, quam in unico ſe contingerent. Quid igitur diceret Boſchovichius? Verum hæ quidem nugæ canoræ ſunt, non autem efficax argumentum. Quidquid enim dixeris, rectum erit.

CAPUT VI.

De loco, tempore, deque ente finito, & infinito.

68. Nihil eſt profecto, quod ab humana mente exiſtere quodammodo concipiatur, quin tempore, & loco exiſtere concipiatur. Quidquid enim eſt, id & in loco, & in tempore eſſet debet. Quare & in locum, & in tempus in quo entia ſive ſimplicia, ſive extenſa exiſtunt, inquirendum eſt, ut quid non ſolum ſit eſſe rei, verum etiam eſſe rei in loco penitus dignoſcatur. Eſt itaque locus ſpatium, ſive capacitas quædam, & habitudo continendi corpora; ex quo perſpicitur, imaginarium non minus, quam realem eſſe poſſe. Et ille quidem, quia habitudinem ſolum, & relationem ad res mere poſſibiles dicit, quæ in eo contineri, & collocari potuiſſent. Hic autem, quia ad res refertur, quæ vere, & in eodem loco exiſtunt. Ita fit, ut, rebus exiſtentibus ablatis, ſpatium item reale penitus

nitus auferatur, non quia ſpatium, quod nihil revera eſt, auferatur, ſed quia aufertur terminus relationis.

69. Itaque ſpatium imaginarium, quod nec ens, nec ſubſtantia, nec accidens eſt, numquam tolli poteſt, quia rerum poſſibilitas, quæ terminus relationis eſt, & neceſſaria, & immutabilis, nec auferri aliqua ratione poteſt. Rerum autem exiſtentia, quæ loci realis terminus relationis eſt, nec immutabilis, nec neceſſaria eſt, & tolli omnino poteſt. Quare & totus locus realis tollitur, ſi corporum exiſtentia deſtruatur. Quocirca horum duorum locòrum diſcrimen ſitum eſt in diverſis terminis relationis. Quodlibet igitur ens ſive compoſitum, ſive ſimplex illud fuerit, id quod tamen doctiſſimo Mako non placet, implere ſpatium debet, quod certe nihil aliud eſt, quam corpus totum illud ſpatium, in quo exiſtit, neceſſario occupare. Quis autem neget, quin quæ exiſtunt res, ſpatium, in quo exiſtant, occupent, & poſſideant?

70. Situs autem, quem cum loco perperam Ariſtoteles, & Carteſius confuderunt, eſt rerum ſimul exiſtentium ordo: ex quo perſpicitur, ſitum nullum habitura corpora, ſi nulla alia præterea corpora coexiſterent. Nullibi igitur exiſterent corpora, ſi locus per extimam corporis ambientis ſuperficiem, quemadmodum Ariſtoteli, & Carteſio placuit, conſtitueretur, id quod ſine dubio abſurdum, nec ſitus quidem rerum cum loco confundendus eſt. Duorum corporum ſitum per diſtantiam unius ab alio metimur. Quæ igitur corpora ſitu eodem gaudent, inter ea extenſum, aut inextenſum aliquid interponi poteſt. Quæ cum ita ſint, locum, ſi proprie, & ſtricto ſane ſenſu loqui velimus, illud ſpatium dicere debemus, quod inſtar puncti concipitur, & in quo corpus continetur, & quod, a re ipſa exiſtenti plane diverſum eſt; locorum autem intervalla per rerum ſitus, ſive diſtantias obtinentur.

71. Quæ autem de loco tractari ſolent, nullius ſane momenti ſunt, pleraque nominis controverſia. Nos autem, quibus non placet de mero nomine diſputare, ſatis ducimus explicare, quid ſit ſpatium, in quo corpora continentur. Hoc itaque ſpatium, ſi ad res mere poſſibiles relationem

dicat,

dicat, illa omnia de eo attributa prædicari poterunt, quæ rebus mere poſſibilibus congruunt; igitur & æternum, & neceſſarium dicimus. Quod ſi reale ſit, & ad res ipſas exiſtentes relationem dicat, illæ dumtaxat proprietates tribuentur, quæ rebus jam creatis, atque exiſtentibus competunt. Quocirca locus ille increatus, æternus dici non poteſt, quia terminus relationis hujuſmodi attributa non habet. Siquidem totum ſpatium, ſive locus nihil aliud eſt, quam ens mere relativum. Quo fit, ut quamquam in ſeipſo nihil ſit, nihilque de eo prædicari poſſit, nihilominus illa omnia attributa affirmentur de eo, quæ de rebus, ad quam relationem dicit, jure affirmantur.

72. Hæc quidem de ſpatio. Tempus autem eſt rerum ordo ſibi ſucceſſive ſuccedentium, cujus propterea partes ſimul exiſtere nullo modo poſſunt, & altera alteri ſuccedit. Itaque aliud *reale* eſt, & item *imaginarium* aliud. Neque enim minus ad res, quæ revera exiſtunt, quam ad res mere poſſibiles relationem dicit, ac propterea id omne de tempore dici poteſt, quod de terminis relationis affirmatur, prout termini hujus, vel alterius generis fuerint. Tempus autem reale apte dividitur in *præſens*, *præteritum*, & *futurum* pro rerum creatarum ſtatibus. Si enim tempus, quod cum re quadam comparatur, preſto ſit, præſens dicitur. Idem vero cum adeſſe deſit, præteritum dicitur; quod ſi nec adſuit, ſed aderit, futurum nominatur. Solemus autem notione imaginaria ræpreſentare tempus tamquam continens quoddam æquabile, ceu partibus ſibi æqualiter ſuccedentibus conſtans, & a rebus ipſis diſtinctum, cui tamen res ipſæ coexiſtunt.

73. Sic annum concipimus ex diebus tamquam partibus coaleſcentem ſucceſſivis, continuis, ſimilibus. Sicuti ergo fluxionem puncti continuam, & directam linea recta deſignat; ita momentum fluens concipitur fluxu quodam continuo directo æquabili, quod tempus tamquam lineam quamdam exhibet, cujus punctis res junctæ exiſtentes, & quaſi parallelæ reſpondent, & coexiſtunt. Hæc autem linea tempus exhibens nullis terminis, aut limitibus circumſcripta eſt, cujus primum, ut ita dicam, punctum Deus eſt ab æterno

exi-

exiſtens; reliquæ vero creaturæ ponuntur in æternum cum ipſo Deo victuræ. Audiatur ergo Cicero de hoc tempore imaginario loquens. Non enim, inquit, ſi mundus nullus erat, ſæcula non erant, ſæcula nunc dico, non ea, quæ dierum, noctiumque numero annuis curſibus conficiuntur; nam fateor, ea ſine mundi converſione effici non potuiſſe; ſed fuit quædam ab infinito tempore æternitas, quam nulla temporis circumſcriptio metiebatur.

74. Nunc vero de infinito. Infinitum autem ens omne dicitur, quod ad quodlibet ens finitum majorem habet quacumque data rationem. Hæc definitio geometrica prorſus eſt, eaque omnino retinenda, ſi quidpiam recte de natura infiniti, quam denſiſſimis tenebris obvolverunt ſcholaſtici, loqui, & ſentire velimus. Similiter ens finitum erit, quod ad quodlibet aliud ens finitum non habet majorem quacumque data rationem. Itaque ratio tota creſcit, vel minuitur, ſi cum alio ente finito comparetur.

75. Ex hac ergo definitione plurima item oriuntur infinitorum genera, alia aliis infinite majora, quibus tota innititur ſublimior Geometria. Ergo infinitum, quod, ſi cum alio infinito comparetur, nullam, & evaneſcentem rationem habet, fit alterius generis, & perinde ſe habet, ac quantitas finita ad infinitam. Sic ſuperficies, quæ ex motu lineæ prorſus infinitæ gigneretur lineam infinitam in infinitum ſuperaret, nec finitam ad lineam infinitam rationem obtineret. Quod ſi aliquod ens ita excellens, aut natura ſublime foret, ut aggregatum omnium perfectionum ſub ſe contineret, id quidem Deus eſſet, quocum ſi omnes poſſibiles, & diverſorum in infinitum generum perfectiones comparentur, arena ſunt exigua, & nihil prorſus, eaſque per infinitam adhuc perfectionem vinceret.

76. Illud præterea animadvertendum eſt, duo exiſtere infinitorum genera, quorum alterum ex ſola magnitudine quantitatis ducitur, de quo hactenus egimus, alterum, quod ex ſitu ipſarum quantitatum pendet: quæ duo finitorum, ſive infinitorum genera in Geometria contemplantur. Neque enim minus quantitas, quam ipſius quantitatis ſitus creſcere, vel imminui in infinitum poteſt, qua ſola animadverſione infi-

nita

nita propemodum Boſchovichii corruunt contra infinitum momenta ex Geometria petita. Diverſæ quippe rationes linearum, & leges non tam ex ipſarum abſoluta quantitate, quam ſitu, diſpoſitione, & inclinatione proficiſcuntur. Quod quidem ſi animadvertiſſet Boſchovichius, numquam hæc duo infinitorum genera, quæ in Geometria contemplantur, confudiſſet, nec ex altero alterum deduxiſſet, multoque minus, quod uni ſolum congruit, alteri tribuiſſet.

67. Hiſce ergo de infinito conſtitutis, quæſtio hic jam antiquiſſimis temporibus celebris tractari ſolet, an infinitum exiſtat, aut exiſtere ſaltem divina omnipotentia poſſit. Hujuſmodi autem quæſtio, quia utrimque gravioribus certat rationibus, & momentis, Philoſophos in oppoſitas opiniones diſtraxit. Nobis autem magis illa placet, quæ divinam omnipotentiam nullo modo coercet, niſi patens, & viſſibilis in terminis pateat contradictio. At quæ perſpicua, & palam repugnantia in eo eſt, quod infinitum exiſtat? Quis enim neget lineam in infinitum protendi poſſe? Quod ſi id mente, & cognitione comprehenditur; quæ erit tandem cauſa, ex qua patens, & viſſibilis contradictio in infinito arguatur, potiſſimum, cum infinitum aliud alio majus, & perfectius imaginari poſſit? Deinde nihil certius eſt, quam omnes infiniti partes, ſi ſeorſim accipiantur, exiſtere queant; neque enim id ab Adverſariis negatur, & concedunt omnes: igitur & omnes ſimul; ſecus enim infinitum totum eſſet ſucceſſivum, cujus partes aliæ aliis ſuccedunt, nec coexiſtere aliqua ratione poſſent, quam quam nulla ſit totius ſucceſſivi pars, quæ, ut ſit, aliquam contradictionem dicat. Neque enim video, cur infiniti partes, ſi ſimul exiſtere nullo queant, non veluti momentum quoddam pereniter fluens imaginentur, quod minime exhauriatur quantavis partium productione, & fluxu, quæ aliæ aliis ſuccedant, & nullo modo coexiſtant. Neque vero in eo inter utrumque infinitum diſtinctio collocanda eſt, quod utriuſque partes infiniti diverſi generis ſint; ſatis enim eſt, ut partes ſibi mutuo ſuccedant, nec ſimul exiſtere poſſe concipiantur. Quod ſi hæc proprietas in utro-

que

que adeſſet infinito, quid tandem erit, cur alterum ab altero ſecernatur? Utriuſque namque partes ipſam obtinerent proprietatem, nempe, ut omnes ſeorſim, non autem ſimul poſſent exiſtere. Hæc autem res multo quidem illuſtrior evadet argumentorum ſolutionibus, quæ, cum nullum fere robur habeant, & erronea infiniti notione innitantur, tum facillime in infinito mere poſſibili retunduntur, quod quidem poſſibile eſt, totumque ampliſſima, & perſpicaciſſima Dei mente pervaditur.

68. Et dicunt primo. Si duo entia infinita poſſent exiſtere, nonne ea ſimilia, aut diſſimilia, æqualia, aut inæqualia eſſe poſſent? Atqui utrumque infiniti naturæ repugnat. Et vero ſi duo entia infinita æqualia fierent, certe major erit realitatum numerus in uno, quam in altero, quod abſurdum eſt, cum numerus realitatum in utroque infinitus ſit. Quod ſi illa entia infinita æqualia prorſus ponamus, ea vel different numero, vel non. Si non differant, profecto illa duo entia erunt non duo, ſed unum; ſi vero differant, inerit certe ratio quædam ſufficiens, cur A non ſit B, atque hæc quidem ratio ſita eſſet vel in A, vel in B. Quapropter ſi rationem illam B ineſſe fingamus, tum quidem A ratione illa privabitur, quæ perfectionis privatio non cadit in infinitum. Sin autem ratio illa ſit in A, ea vel erit quædam perfectio, aut imperfectio: non autem inperfectio, quia ens infinitum gaudet omnibus realitatibus, aut perfectionibus; nec tamen perfectio eſſe poteſt; ſecus enim ineſſet A perfectio aliqua, quæ non reperietur in B, quod itidem abſurdum eſt. A igitur, & B nequeunt eſſe duo entia infinita, ſed unum.

69. Hæc quidem, & ſimilia, quæ nullius ponderis, & momenti ſunt, argumenta congerit Makus, ut infinitum eſſe nullo modo poſſe demonſtret, & omnia falſa infiniti notione nituntur, & perperam aggregatum omnium perfectionum poſſibilium cum infinito confunditur. Deinde ipſa argumenta in poſſibili tantum infinito, contra Makum retorqueri poſſunt. Nam quæri hæc omnia in infinito poſſibili ſimiliter valent. Quare facillime reſpondemus, duo entia infinita ſimilia, & diſſimilia non minus, quam æqualia,

lia,

Digitized by Google

lia, & inæqualia eſſe poſſe. Sic linea infinita minor erit triangulo ſimiliter infinito. Eodem jure triangulum infinitum ſimile, & diſſimile, æquale, & inæquale alteri triangulo ſimiliter infinito eſſe poteſt, id quod ex Geometria certiſſimum, & notiſſimum eſt. Nam quantitates omnes infinitæ eam inter ſe rationem habent, quam ipſæ quantitates haberent, ſi in infinitum minuerentur, atque finitæ propterea fierent. Ita quantitates finitæ, ſi in infinitum fluant, infinitæ fiunt, quod ex Geometria evidentiſſimum eſt. Et certe Geometria nil fingit, & conſtituit rationi repugnans, nec fingi id quidem ulla ratione poteſt, quamquam ea omnia, quæ in ipſa concipiuntur, & eo modo, quo ab ipſa concipiuntur, ſæpe ſæpius in rerum natura non exiſtant.

70. Quapropter cum dicimus, unum infinitum altero majus eſſe non poſſe, id ſolum intelligimus, alterum ab altero per numerum finitum quantitatum differre nullo modo poſſe, per infinitum autem poſſe. Ex quo ſolum perſpicitur, cur numerus poſſibilis capillorum major eſſe debeat numero hominum poſſibilium, & eam ipſam rationem omnino inter ſe habeant, quam numerus ipſe finitus hominum ad numerum capillorum finitum, qui in hominibus inveniretur. Et quamquam infinitus ille numerus, & hominum, & capillorum non exiſtat, nec, ſi velis, etiam exiſtere queat; utrumque tamen numerum Deus perſpicit, & clare prorſus comprehendit.

71. Hoc autem poſito, quod negari meo judicio non poteſt, niſi principiis geometricis repugnemus, illud opinor, evidens, & ſane perſpicuum eſt, duo entia infinita quæcumque aliud ab alio differre poſſe. Ut enim lineæ finitæ per ſe ipſas aliæ ab aliis ſecernuntur, ita per ſe ipſas diſtinguerentur, etiamſi in infinitum protenderentur, nec unius perfectio propria foret alterius. Neque enim id, quod infinitum eſt, idcirco infinite perfectum dici, & haberi debet, & omnium perfectionum poſſibilium cumulum neceſſario in ſe continere. Hoc namque ſolius Dei proprium eſt, qui omnes perfectiones ſuperat, atque ex omnibus, ut ita dicam, virtute ſaltem coaleſcit, & propria, & ſingula.

gularis ejus perfectio. Quid itaque mirum, quod in uno infinito aliqua perfectio deprehendatur, quæ in altero infinito deſideretur? Sic linea longa in infinitum infinita erit, nec tamen ſuperficiei infinitæ, quæ & longa, & lata in infinitum eſt, perfectionem continebit. Ex quo palam eſt, perfectionem illam, quæ ſuperficiei competit, extenſioni lineæ minime tribuendam eſſe, quamquam utrumque infinitum eſſe ponatur.

72. At inſtat Boſcovichius. Sit, inquit, (fig.4.) ſi fieri poſſit, ſpatium aliquod a C verſus plagas A, & E infinite extenſum, in quo concipiatur angulus ACE lateribus CA, & CE rectis infinite protenſis, quem ſecet bifariam recta CD pariter infinita. Quoniam anguli ACD, ECD ſibi impoſiti congruerent, palam eſt areas infinitas lateribus angulorum horum comprehenſas fore æquales. Ex puncto quolibet B agatur BG paralella ipſi CA occurrens rectæ CD in F ita, ut FG fiat dupla ipſius BF, & ducatur ex C per punctum G recta infinita CH. Erit triangulum GCF duplum trianguli FCB ob duplam baſim. Eodem pacto ductis quotcumque paralellis *bfg* ſemper triangulum *g*C*f* erit duplum trianguli *f*C*b*: unde & area G*f*, erit dupla areæ F*b*: ergo & ſumma infinitarum arearum G*f* erit dupla ſummæ arearum infinitarum F*b*, hoc eſt tota area infinita HCD dupla areæ DCE: atqui DCE = ACD: igitur area HCD eſt etiam dupla areæ ACD, ſeu pars totius, quod eſt abſurdum. Hactenus Boſcovichius: Atqui ego miror præſtantiſſimum geometram geometricam demonſtrationem protuliſſe, qua omnia calculi fluxionum principia funditus convelluntur. Sed illud fortaſſe magis mirandum eſt, Philoſophos, qui poſt Boſcovichium ſcripſerunt, ipſam protuliſſe demonſtrationem, nec ipſius patens vitium animadvertiſſe. Quis enim ignoret, quantitates in infinitum fluentes ipſam ubique neceſſario retinere rationem? Quo ſolum principio a quantitatibus finitis ad infinitas, atque etiam infiniteſſimas quantitates progredimur, atque ex rationibus infiniteſimarum, vel infinitarum quantitatum totam inter finitas quantitates proportionem nectimus, & deducimus.

73. Et vero ſi quantitates omnes fluentes in infinitum

æquales fierent; omnes quidem finitæ quantitates cujuſcumque tandem inæqualitatis, etiam æquales haberentur; quo certe nihil magis abſurdum, aut a veritate alienum. Quare patens, & perſpicuum totius demonſtrationis Boſcovichianæ vitium in eo poſitum eſt, quod lineas BR, & BG fluentes in infinitum, & motu paralello fluentes æquales ponat: quaſi vero non ſit in terminis contradictio, aſſerere, & conſtituere lineas BRM, & BFG motu parallelo ferri, nec ipſum ſitum protractas in infinitum retinere, quod idem eſt, ac dicere non motu parallelo propelli in infinitum. Quemadmodum ergo triangulum finitum GCF pars eſſe non poteſt trianguli finiti BCR; ita nec fieri poteſt pars, etiamſi lineæ BM, & BG in infinitum protenderentur; tum quia hujuſmodi lineæ in infinitum ductæ ipſum ſitum haberent, ipſumque individuum angulum efformarent; tum quia inæqualitas, & proportio, quæ inter ipſas quantitates finitas exiſtit, perpetuo retinetur, dum a finito ad infinitum progredimur. Et vero ſi quantitates illæ in infinitum protenſæ motu item parallelo in infinitum minuerentur, priſtinum ſitum ſine dubio recuperabunt. (a) Quare ineptit mihi quidem Makus, & omnia fluentium quantitatum principia aut ignorat, aut ſaltem ignorare ſe fingit, dum limites omnes ablatos credit, ex quibus ſitus magnitudo, & ratio tota pendet quantitatum, dum a finito ad infinitum tranſillmus. Neque enim hoc umquam obtineri poteſt, niſi quantitates fluentes motu parallelo ſitum, & directionem mutent, nec propterea motu parallelo fluant; id quod abſurdum, atque evidens in terminis contradictio eſt.

LI-

(a) *Eodem fere argumentandi genere uſus fuit quidam Anonimus, qui partes Archipreſbyteri Nicolai Analyſeos Profeſſoris in Univerſitate Patavina ſuſcepit, ut ipſius erroneam, & prorſus paralogiſticam demonſtrationem pro caſu irreducibili tueretur, dum quantitates fluentes in infinitum vel prorſus nulleſcere voluit, vel pro æqualibus ſaltem uſurpavit: quem impugnavi, vitiumque patens, & manifeſtum aperui, totamque hypotheſim evolvi, in qua obtineri poteſt dy : (dx)* = o Giornale letterario dei confini d' Italia num. XIII. anno 1794.

LIBER II.

PROLEGOMENON

IN COSMOLOGIAM.

Coſmologia, quæ ſcientia de mundo dicitur, tamquam ente compoſito, & mutationibus obnoxio, æquiſſimo jure refertur ad Metaphyſicam, & jure poſponitur Ontologiæ. Nam Coſmologia ſcientia eſt, & demonſtrationes requirit; demonſtrationes autem claris, & diſtinctis definitionibus, & norionibus innituntur, quæ ſolum ex principiis ontologicis haberi plerumque poſſunt. Quid itaque mirum, quod alterum alteri præponatur? Et quoniam individua hæc, & admirabilis rerum univerſitas ſenſibus noſtris objecta ſit; quæcumque in Ontologia monſtrata ſunt, ſenſuum item judicio conſtitui debent. Atque hinc duplex orta eſt Coſmologia, altera ſcilicet *Theoretica*, quæ mundi proprietates ex Ontologiæ principiis demonſtrat; altera vero *Empirica*, quæ res omnes firmat & obſervationibus, & experimentis. Quanti autem momenti hæc diſciplina ſit, nemo ſane aut in Phyſica, aut in Mechanica mediocriter eruditus ignorat. Neque enim fortaſſe in tot errores vel nobiliſſimi Mathematici incidiſſent, niſi Ontologiam tamquam putidum Scolaſticorum commentum neglexiſſent. Quapropter ſic altera alteri conjungenda eſt, ut alia ab alia citra erroris periculum ſecerni, & ſejungi non poſſit. Nec vero quidpiam ſine theoria prodeſſe poſſunt obſervationes, nec theoriæ ſine obſervationibus ad hypoteſes naturæ veras explicandas ullo modo ſufficiunt. Quare maxima diligentia, & ſagacitate utendum eſt, cum ab hypotheticis veritatibus ad rerum naturas, & cauſas demonſtrandas progredimur. Nulla quippe theoria phyſice vera haberi poteſt, cujus hypotheſis, & vis ab hypotheſi, & poteſtate naturæ diſſentiat. Quod quidem nemo umquam

Philoſophus obtinebit; coſmologicis principiis deſtitutus: Nam in ſola Coſmologia conſtituuntur rerum omnium corporearum elementa, & principia vel maxime communia mutationum, quæ in corporibus accidunt. Mutationes autem corporum ex aliquo motu neceſſario oriuntur. Quocirca generales motuum leges, ſive communes in ea demonſtrantur, & explicantur, a quibus perpetuo ordiendum eſt, ut totam legum multitudinem, & variationem demonſtremus. Ex quo quis eſt, qui non videat, quantum in Mechanicam, & Phyſicam univerſam utilitatis redundet? Quamquam utilitas ea vel maxime cenſenda eſt, quia ex mundi contemplatione rerum omnium effector, & creator Deus, ut Apoſtolus loquitur, evidentiſſime demonſtratur, qui ex omni Philoſophia fructus uberrimus, atque ampliſſimus eſt.

CAPUT I.

De Mundi origine, deque ipſius communibus proprietatibus.

1. CUm oculorum aciem in hanc immenſam rerum univerſitatem circumferimus, immenſa nobis obverſantur corpora, & ingentia, Tellus ſcilicet, Cœlum, Stellæ errantes, atque inerrantes, Aquæ, Montes, Animantia, Maria, quæ omnia ſimul coexiſtunt, & oriuntur, & intereunt, & mutabilia ſunt. Videmus, inquit Tullius, in terra ſpeciem, candoremque Cœli, deinde converſionem, & celeritatem tantam, quantam cogitare vix poſſumus, tum viciſſitudines dierum, noctiumque, commutationes temporum quadripartitas ad maturitatem frugum, & temperationem corporum aptas, eorum omnium moderatore ſole, ac ductore, Lunamque accretione, & diminutione luminis, quaſi faſtorum notantem, ac ſignificantem diem, tum eoſdem curſus conſtantiſſime ſervantes diſparibus inter ſe motibus &c. Atqui quæ ſucceſſive conſequuntur entia, ſucceſſiva ſunt, & dici jure debent. Quis igitur neget, hæc in orbe terrarum reperiri?

2. Quocirca mundus ſic apte definiri poteſt: ſeries om-

nium

nium rerum ſimultanearum, quæ & invicem ſibi ſuccedunt, & mutationibus obnoxiæ ſunt, & certa inter ſe lege, & ordine nectuntur, & copulantur. In quam definitionem Deus nullo modo ingreditur, qui immutabilis, ſibique ſemper conſtans, & præſens eſt, & nullis propterea obnoxius mutationibus. Entia autem illa, quæ ſic conſtituuntur, ut alterum rationem in ſe contineat, cur alterum ipſi ſuccedat ratione temporis, nexa, & jugata dicuntur. Cujus generis ſunt res omnes, quæ actione cauſarum efficientium exiſtunt; quippe cauſæ rationem in ſe continent, cur effectus exiſtat, qui nexus, & copulatio in univerſa natura reperitur.

3. Ut enim prætereaın plantas, & animantes, in quibus nuſpiam interrupta procreationum ſeries perſpicua eſt, & continuo mutatur; nonne videmus, frondes arborum gemmis verno tempore ſeſe explicantes naſci, quam gemmarum explicationem efficiunt, tum ſuccus per truncum ſublatus, & per ramos arborum apte diſtributus, tum calor aeris, & radii ſolares naſcentem ſurculum ferientes, deinde venti auram tepidam advehentes, & varios in atmoſphera ſtatus inducentes: quæ omnia ſine continua, & ſucceſſiva mutatione corporum explicari nullo modo poſſunt.

4. At vero quæ inter ſe connectuntur ita, ut alteri inſit ratio, cur alterum coexiſtat, connexa ſpatii ratione dicuntur. Hoc autem connexionis genus ſolum cauſis finalibus tribuendum erit. Nam finalis cauſa illa dicitur, cujus gratia cauſa efficiens operatur, ſive id quod operando conſequi vel maxime quiſque cupit; nihil quippe fieri ſine fine poteſt, vel ſine quadam ratione ſufficiente, quæ ad efficiendum moveat, & impellat. Ita belli gerendi finis victoria eſt. Ex individuis igitur, & non aliis entibus ſimultaneis, & ſuceſſivis, hac, & non alia ratione conjunctis, & copulatis hæc terrarum orbis machina coaleſcit, & a ceteris omnibus mundis poſſibilibus omnino diſtinguitur. Ex quo ſane perſpicitur, ſi alius rerum ordo conſtituatur, alium etiam mundum exurgere neceſſario. Ex nexu igitur, quem inter ſe omnes mundi partes habent, arguitur evidenter, nihil fieri poſſe ſine ratione ſufficiente: quam-

quam non ſatis conſtet, in quo hæc tota ratio ſufficiens collocari debeat. Illud vero certum, totam rationem ſufficientem in effectibus neceſſariis in vi, & poteſtate cauſæ ſitam eſſe. In rebus autem liberis potiſſimum ex fine tota ratio ſufficiens petenda erit. Atque hinc ſaltus fieri nequit in Natura, quo corpus ab uno extremo lineæ ad alterum minime per medium tranſeundo progrederetur, nec effectum cujuſcumque tandem generis obtineri, quin adſit cauſa totum effectum inducens: quale haberetur defectio ſolis, quæ nec a Deo, nec ab aliis cauſis oriretur. Mutationes tamen rerum, & longiori, & breviori tempore fieri poſſunt, quam Natura poſtulat. Ita Apoſtoli peritiam linguarum adepti ſunt, quin idcirco res illæ temporis momento, ac ſine ullo prorſus tempore patratæ fuerint. Hinc caſus omnis, & fortuna removetur. Nam caſu id evenire dicitur, quod ſine ulla ratione prævia contingit: res autem omnes, quæ fiunt, nequeunt ſine ulla ratione ſufficienti fieri. Quare dum caſu quidpiam eveniſſe dicimus, id ſolum intelligimus, nos rationem, & cauſam, quæ aliqua omnino eſſe debet, prorſus ignorare, qua res illa effecta fuit. Sed quæſtio hic celeberrima agitari ſolet de rerum corporearum origine, quæ cum Gentes omnes, & Nationes, quæ aliquam nominis celebritatem adeptæ fuerunt, occupavit, tum eas in diverſas, ſibique invicem contradicentes opiniones diſtraxit. Nimis vero longum eſſet, ſingulorum proferre ſententias, quas tamen ego brevitatis cauſa in tres claſſes diſtribuo; quarum prima illorum Philoſophorum eſt, qui Mundum ab æterno non ſolum fuiſſe, ſed ab æterno neceſſario extitiſſe voluerunt. Altera vero Philoſophorum claſis ponit Mundum ab æterno quidem fuiſſe, at non idcirco neceſſario extitiſſe. Tertia denique, illorum eſt, qui etſi Mundum in tempore conditum fuiſſe fateantur, ab æterno tamen fieri potuiſſe confitentur. Quo autem pacto Mundus efformatus fuerit, & quæ ſint genera, & elementa, ex quibus hoc totum mirandum opus coaluit, nihil magis obſcurum, aut ineptioribus hypotheſibus implicatum. Sed de hoc toto late quidem in Phyſica diſputatur, in qua vires, & virium leges demonſtrari debent, quibus hoc terrarum machinamentum in æquilibrio perpetuis tamen motibus agitatum ſubſiſtit.

4. Quare hoc ſolum inquirendum in præſentia eſt: an Mundus, vel elementa illa, ex quibus totus fictus, & compoſitus fuit, ab æterno extiterint neceſſario, vel contingenter, vel potuerint ſaltem exiſtere: quæ omnes quæſtiones una fere quæſtione dirimuntur. Nam ſi oſtendero, Mundum ab æterno fieri minime potuiſſe, certe non eſſe ab æterno factum, & in tempore conditum conſequetur. Quo impiorum Hominum impia dogmata convellentur, qui, ut quantum poſſint, noceant Religioni, & veritatibus fere per ſe notis tenebras adducant, ſubſtantias ab æterno fuiſſe confingunt, quarum motibus, & mutuis concurſionibus hoc totum, quantum eſt, terrarum machinamentum efformatum fuiſſe, impie non minus, quam ſtulte jactitant.

5. Et primo quidem certum eſt, & negari non poteſt, ſubſtantias, ex quibus hic terrarum orbis coaleſcit, multoque minus omnem ſubſtantiarum coacervationem, & conjunctionem ab æterno non neceſſario fuiſſe. Neque enim in ſubſtantiarum natura rationem totam exiſtendi concipimus, neque immutabilitatem, ut ab uno in alium ſtatum transferantur. Quod enim mutabile, id & ab uno in alium ſtatum transferri poteſt, & ab exiſtendo, ad non exiſtendum tranſire. Quis enim hoc neget, ac ne in dubium vertat quidem? oculi quippe & ſenſus omnes fidem certam, & infallibilem faciunt, corpora omnia mutabilia eſſe, & moveri continuo, & diverſos exiſtendi modos acquirere. Quod ſi hoc, cur ab exiſtendo ad non exiſtendum traduci minime poterunt? Nihil enim hoc dicit, niſi diverſam exiſtendi conditionem, aut mutabilitatem in corpore; quæ ſi minime repugnet, neque intimæ naturæ corporum adverſetur, uti fatentur omnes, cur fieri poſſe denegandum erit? Hoc autem poſito, jam illud ſequitur evidentiſſime, ſubſtantias omnes, ſi ſiant mutabiles, & plures, & diverſos exiſtendi modos acquirant, & ab exiſtendo ad non exiſtendum transferri queant, ab æterno fieri minime debuiſſe. Quidquid enim ab æterno neceſſario fuit, id etiam exiſtere neceſſario debet, nec mutari, aut variari poteſt, aut diverſum exiſtendi modum acquirere. Neque enim concipitur neceſſitas exiſtendi ſine immutabilitate quadam, & quin tota

exiſtendi forma ex ipſa natura rei pronunciatur. Nam ſi exiſtendi ſtatus neceſſarius concipiatur, certe cum ipſa natura copulatur, quæ ſimiliter immutabilis, & neceſſaria eſt: ex quo ſequitur in natura totam exiſtendi rationem neceſſario contineri. Quid ni Deus? quidquid enim neceſſarium eſt, atque in natura continetur, cur a natura quidpiam diverſum concipietur? Ergo ſi exiſtendi ſtatus ita naturæ debeatur, ut ſemper, & neceſſario extiterit, cur non ratio exiſtendi tota continebitur in Natura? Neque vero alia de cauſa Deus O. M. a ſe exiſtit, & immutabilis propterea eſt, nec diverſum quidem in exiſtendo ſtatum ſibi poteſt acquirere, niſi quia tota ipſius natura exiſtentia eſt, quia exiſtendi neceſſitas naturam perfectiſſimam comitatur: ex quo ſua veluti ſponte conſequitur, diverſos exiſtendi modos numquam eum obtinere ſine quadam Naturæ mutatione. Atque hoc totum oritur ex ſola exiſtendi neceſſitate. Neque vero intelligitur, ut quidpiam exiſtat, quin fixa quadam, & determinata ratione exiſtat. Quod ſi exiſtere ad naturam pertineat; nonne etiam hac ratione exiſtere ad ipſam naturam pertinebit? Quare ratio tota, & modus exiſtendi natura erit, qui numquam variari, aut perturbari poterit ſine Naturæ variatione maxima.

6. Ex his ergo, quæ evidenter evincunt, nihil eſſe neceſſarium in exiſtendo, quin determinatam, & fixam exiſtendi rationem includat, & immutabile prorſus evadat, id quod rebus mutabilibus omnibus e regione adverſatur, tum illud diſcrimen apparet, quod inter creationem, & non creationem intercedit, tum illud efficitur, creaturam effici ab æterno nullo modo poſſe, ut quidquid creatum, id fieri in tempore neceſſario debuerit. Quidquid enim increatum eſt, id fixum, & determinatum modum exiſtendi neceſſario dicit, idque & immutabile propterea recognoſcimus. Quod vero creatum, id mutabile, id propterea ab uno ſtatu in alium ſtatum transferri poteſt, immo & neceſſario debet. Quod autem tale, id quidem primum aliquem ſtatum habuiſſe pro comperto eſt; ſecus enim nulla mutatio in ente facta fuiſſet, neque ab uno in alium ſtatum transferri potuiſſet, & neceſſarium propterea illud in ſtatu fuiſſet. Quare hæ duæ notiones

tiones ſibi invicem opponuntur, ut aliquid ab æterno creetur. Quod enim creatur, id ab uno in alium ſtatum transfertur. Quod autem ſemper extitit, & ab æterno fuit, ſemperque ſtatum habuit exiſtendi, quo pacto ab uno in alium ſtatum traduci, & creari potuit? Quod ſi dixerint, rem ab infinito tempore exiſtentem exiſtere ab æterno minime debuiſſe, & non extitiſſe potuiſſe, non multum, opinor, proficient. Nam creatio dicit aliquam rei mutationem, quæ cum in natura adeſſe nequeat, quæ immutabilis, & neceſſaria eſt, in aliqua ſolum ſtatus mutatione concipitur. Nihil autem mutaretur, ſi creatura extiterit ab æterno, quæ naturam non ſolum, ſed exiſtendi ſtatum perpetuo, & indeſinenter habuiſſet. Quæ igitur in creatura facta fuiſſet mutatio, cujus natura invariabiliter retinetur, totuſque ipſius ſtatus exiſtendi ab æterno conſervatur? Illud ergo adjungant neceſſe eſt, creationem ſine ulla rei mutatione accidere potuiſſe. Quod ſi dixerint, & rem immutabilem, & neceſſariam in exiſtendo creari ſimiliter potuiſſe velint, nolint, confiteri cogentur. Nam ſi creatio nullam neque in natura, neque in exiſtendo dicat mutationem, cur res non perpetuo variari, & ab uno in alium ſtatum tranſilire poterunt ſine aliqua ipſarum mutatione? Cur non ſimiliter, id quod natura ſua immutabile eſt, creari poterit, cur Mundus, quamquam ab æterno eſſe debuerit, & Deus ipſe ingenitus, non autem effectus, & Creatura dicetur, qui ſine ulla ſui, aut ſtatus mutatione ab æterno fieri potuiſſet? Atque hoc quidem illud argumentum efficax, & prorſus evidens eſt, a ratione ipſa petitum, quo uſi ſunt Eccleſiæ PP., ut Arianos confoderent, qui etſi divinum Verbum creatum dicerent, ab æterno tamen creatum faterentur. Quidquid enim ab æterno eſt, creatum non eſt, quod autem non creatum, id Deus. Quapropter, niſi terminis ludere velimus, id fateri compellimur, creationem mutationem includere; mutatio autem nullo modo concipitur, niſi aliquam aut in natura, aut in ſtatu diverſitatem intelligamus.

7. Nec minus proficiunt qui, dum præ ceteris acutiores videri volunt, ad notionem creaturæ ſufficere putant, diverſitatem ſignorum, hoc eſt, ut ſigno priori res, at non exi-

ſtentia

ſtentia, etiamſi ab æterno extiterit, in ſigno vero poſteriori ipſius exiſtentia intelligatur: quaſi vero fieri poſſet, ut res non extiterit, dummodo non extitiſſe, concipiatur, aut re vera mutata, & ab uno in alium ſtatum translata fuerit, dummodo aut mutata, & translata concipiatur; quaſi vero Verbum divinum creatum dici poſſit, quia eodem ſigno, quo Pater minime genitum intelligatur. Verum hæ quidem nugæ canoræ ſunt, quæ tantum valere potuerunt, dum regnum inutilium abſtractionum invaluit, nec de rebus, ſed de nominibus ſæpe diſputatum. Quippe creatio, *quæ eſt ab uno in alium ſtatum phyſica, & vera translatio* ſine aliqua vera, & phyſica rei mutatione obtineri non poteſt. Nulla autem phyſica mutatio illius rei concipitur, quæ principium exiſtendi ab æternitate mutuavit, quemadmodum in Perſonis divinis profitemur, quamquam in ipſarum origine aliquam ſignorum diverſitatem, & prioritatem diſtinguamus.

8. Hæc quidem præcipua argumenta ſunt, quibus æternitas Mundi excluditur, multoque magis æternitatis neceſſitas. Nihil autem fere eſt, quod hæc ineluctabilia, & meo quidem judicio evidentia prorſus argumenta labefactet. Neque enim ex eo, quod Deus ab æterno habuerit vim, & poteſtatem efficiendi Mundum, ſequitur eum ab æterno, & pro æterno condere potuiſſe. Poteſtas quippe, & virtus Dei in rem fertur, eo modo quo ipſa res poſſibilis eſt. Non autem res ab æterno poſſibilis; igitur ne habuit quidem poteſtatem efficiendi rem ab æterno. Poſſibilis autem res ipſa in tempore concipitur: igitur & ab æterno potentiam habuit condendi rem in tempore. Totum itaque argumentum ambiguitate verborum innititur, quorum explicatione penitus evaneſcit. Quare hæ duæ notiones diverſas res exprimunt & repræſentant; aliud quippe eſt, Deum habere ab æterno poteſtatem efficiendi rem; aliud ipſam poteſtatem habere generandi rem pro æterno, ſi id notioni creaturæ opponatur, & contradictionem involuat: ergo ut quidpiam jure concludatur; prius monſtretur neceſſe eſt, nihil prorſus repugnare, etiamſi creatura ab æterno conderetur.

9. Nec majorem vim habet alterum argumentum ex duratio-

ratione æterna Mundi petitum. Nam alterum, non autem alterum notioni Creaturæ opponitur. Nam quid impedit, quominus Creatura in ævum perduret? Neque vero hoc aliud dicit, niſi cauſæ privationem rei ſtatum immutantis. Quidquid enim effectum eſt; id neceſſario permanere debet, niſi actione alterius cauſæ deſtruatur; quod quidem ita certum eſt, ut nemo unus reſpuat, qui ſciat nihil effici, aut variari poſſe ſine cauſa quadam, & ſufficienti rationis principio.

10. Hæc quidem levia ſunt; illud vero æque leviſſimum, at multo magis abſurdum. Nam Mundi, inquiunt, Effector Deus, quemadmodum infinita ſuæ naturæ perfectione omnia cognovit, quæ poſſibilia ſunt, ita & velle debuit; quæ autem voluit neceſſario extiterunt; igitur Mundus non modo ab æterno extitit; verum etiam neceſſario extitit. Neque enim minus ratio, & intelligentia, quam voluntas divina ab æterno extiterunt, & æque in utroque vis, & pondus concipitur. Cur non ergo alterum, ſi alterum omnino concedatur? Ergo ſi Deus neceſſitate quadam, & vi naturæ quidpiam ab æterno cognoverit, nonne & velle ab æterno debuit? Impie! Qui, ut neceſſitatem materiæ adſtruant, pleniſſimam Dei libertatem evertere minime dubitant, Deumque O. M. mutis animantibus quam ſimilimum efficere.

11. Nam nemo ſanæ mentis eſt, qui non videat maximum inter utramque rem, & bipalmare diſcrimen. Etſi enim intelligentiæ, & voluntatis divinæ primarium objectum ſit ipſa ſubſtantia divina, quam neceſſitate naturæ cognoſcit, & amat, & vult, totaque propterea neceſſaria eſt; at non idcirco omnia velle debet, quæcumque cognoſcit, & quæ cum ipſa Natura nexa, & copulata ſunt. Nam cum natura ſua Deus perfectiſſimus ſit, & feliciſſimus, nec rerum creatarum ad ſui felicitatem indigeat, nulla profecto ratione ad res procreandas adigitur, quas ſi produxerit, ac procrearit, tota profecto ratio ſufficiens in ipſo pondere perfectiſſimæ ſuæ voluntatis erit, nec rapi poterit infinita, & immenſa voluntas a bonitate quacumque, & perfectione finita. Huc accedit, quod divina omnipotentia nullam perfe-

ctio-

Digitized by Google

ctionem majorem acquirit, aut mutuat a rerum productione; totaque in efficacitate ſita eſt, qua res quaſvis, ſi poſſibiles ſunt, efficere poſſit, atque in ipſis quamlibet mutationem inducere. Multo autem ſecus ſe res habet in cognitione divina, quæ perfectiſſima neutiquam intelligeretur, niſi omnino poſſibilia pervaderet. Neque vero ſe intueretur, totamque divinam naturam unico, & ſimpliciſſimo obtutu comprehenderet, niſi omnes deinceps ſuæ naturæ relationes acute inſpiceret, & relationum terminos pervideret, & quidquid cum ea nexum, aut conjunctum eſt, intimius penetraret. Ex quo perſpicitur, alterum non autem alterum neceſſarium fore, atque ex perfectione divinæ naturæ proficiſci.

12. Sed ut res omnis in toto ſuo lumine collocetur; illud vero animadvertendum eſt, nullam in Deo fieri mutationem, cum in tempore res producit, quas æterno non potuit procreare. Nam mutatio nullo modo concipitur niſi quidpiam de novo accedat, quod non habitum ab æterno fuerit. Nihil autem horum in Deo: quippe qui hoc ab æterno habuit, ut conditor eſſet in tempore, non autem ab æterno, quam ipſam poteſtatem, & perfectionem cum in tempore habeat; quid erit cauſæ, ex qua immutabilis naturæ mutationem arguamus? Quapropter divina omnipotentia diverſos ſtatus rei complectens diverſa non eſt: quamquam ipſorum ſtatuum varietate fiat, ut Conditor in tempore, non autem ab æterno poſſit appellari.

CAPUT II.

De vera corporum natura, proprietatibus, eſſentia, & præcipuis ipſorum affectionibus.

13. Poſtquam illas proprietates, quæ ſubſtantiis omnibus communes ſunt, perſequuti ſumus, ad illas tandem explicandas progredimur, quæ non niſi ſubſtantiis corporeis, atque ex terra fictis, & natis convenire poſſunt. Nihil autem hoc argumento ſubtilius eſt, & quod majori diligentia tractari debeat. Ignorata quippe ſubſtantiarum cor-

corporearum natura, & eſſentia; illiſque proprietatibus, & affectionibus, quæ corpora perpetuo comitantur, atque ex ipſorum natura proficiſcuntur, quod erit in Natura effectum certum, & exploratum, cujus perpetuo ignorabitur principium, & origo! At nullum quidem fortaſſe argumentum eſt, quod majoribus tenebris obducatur. Tot enim, tantæque vires corporibus attributæ ſunt, totque harum virium rationes, & leges conſtitutæ, ut quid illæ ſint, aut quibus principiis innitantur, vix aliqua ratione demonſtrari poſſe videatur.

14. Atqui nihil vero probandum, aut conſtituendum eſſe, & mens, & ratio pleniſſime ſuadent, quod materiæ non congruat, atque ex ipſis quodammodo proprietatibus arguatur. Neque enim hariolorum more divinandum erit, nec quia quidpiam poſſibile, aut materiæ attributis minime adverſetur; idcirco ponendum. Quidquid enim materiæ conceditur, id exiſtat, id aliquod in ipſius attributis fundamentum habeat, neceſſe eſt. Quod ſi nullum habuerit, id certe ex Philoſophia rejiciendum erit, ne ad illas cavillationes, & imaginationes regrediamur, quas non ſine maximis laboribus, & longo tempore, & maximis ſuperatis difficultatibus excuſiſſe ſero, aliquando tamen gloriamur. Quapropter primo demonſtrandum erit, num ſubſtantia corporea aliquam in ſe vim habere queat, ut motum ex ſe gignat, atque in aliam transferat. Quod ſi nulla hujuſmodi vis in materia reperiatur, vi cujus aut agat, aut reagat; tum illud principium demonſtrandum, quo materia vim in ſe poſſit ſaltem recipere ab alio mutuatam, atque in alia corpora viciſſim transferre. Certum quippe eſt, & evidens, vim quamdam in materia reperiri: quamquam prorſus incertum ſit hujus origo, & principium, & cujus generis ſit, & quibus legibus ſubjiciatur.

15. Quod quidem, ut facilius aſſequamur punctum unicum, & inviduum aſſumemus. Proprietates quippe, quæ huic puncto congruunt, aut in naturam corporum ingredientur, aut ex proprietatibus, & affectionibus ſolius corporis proficiſcentur, quæ quidem ab illis proprietatibus, dif-

differenc, quæ corporibus etiam plurimæ, & variæ ineſſe poſſunt a ſola partium conſtitutione, & diſpoſitione profectæ.

16. Quæ cum ita ſint, illud primo certum: cum corpus concipimus, aliquod certe mobile, iners, non penetrabile concipimus, non autem quidpiam diviſſibile; diviſſibilitas quippe compoſitionem corporum comitatur, quæ certiſſime in corporum naturam nullo modo ingreditur. Inter has autem corporis proprietates nulla quidem illuſtrior inertia eſt, quæ totum illud diſcrimen continet, planeque explicat, quo corpus ab ſpiritu neceſſario diſtinguitur. Nam quod agit ex ſe, & reagit, & oppoſitos, & contrarios motus producit iiſdem cauſis, & cauſarum adjunctis permanentibus, id quidem corpus non eſt, nec tamquam iners, & indiferens plane ad motum, & quietem concipimus. Rei quippe indifferentia, & determinatio deinceps ad motum duæ res ſunt invicem oppoſitæ, quarum ſi alteram poſueris, deſtruetur altera, quemadmodum etiam olim a Peripateticis cognitum fuit, qui ab indifferenti, ut indifferenti nullam oriri poſſe determinationem voluerunt.

17. Quibus ita conſtitutis ſpiritum, id omne dicimus, quod ex ſe agere poteſt, atque in ſe virtutem non ſolum, ſed totam etiam rationem ſufficientem continet, ut omnem ſibi indiferentiam tollat, ſeque propia vi, & virtute a non agendo ad agendum transferatur: in quo propterea ſummam vim, & poteſtatem concipimus, quo motus non minus extingui, quam generari, & major, & minor effici poſſit. Ex quo ſane intelligitur a notione ſpiritus omnem indifferentiam ad motum tolli, quem ipſe ſibi dat, & ab uno in alium ſtatum transfertur, quin ab externis cauſis id totum mutuarit. Contraria autem ratione corpus, quod ſpiritui opponitur, id omne erit, quod iners, & indifferens eſt ad motum, & quietem, hoc eſt, ut nullam ex ſe vim, & poteſtatem habeat, ut ab uno in alium ſtatum transferatur; eoque ipſum perpetuo retinebit, niſi quævis cauſa, & vis acceſſerit, quæ omnem indifferentiam ſuſtulerit, & ab uno in alium ſtatum tranſire compulerit.

18. Hanc autem proprietatem, vi cujus corpus ſuum ſtatum

tum retinet, quicunque ille fuerit, ſive motus, ſive quietis, niſi cauſa quævis acceſſerit ſitus, ſive ſtatus mutationi proportionalis, inertiam omnium primus appellavit Keplerus. Ex quo niſi nugare velimus, & tempus terere inutilibus ſane, putidiſque quæſtionibus, hæc duo quam evidentiſſime conſequuntur: alterum corpus vi inertiæ non poſſe moveri, nec ab uno motu in alterum tranſilire, nec impedire, ne cauſa, cujuſcumque generis ea ſit, in ipſum agat, totamque vim, & virtutem transfundat. Ergo quævis in corpore mutatio ex ipſo corpore oriri nullo modo poteſt, ſed prorſus ab alio eſſe debet. Alterum corporus vi inertiæ, quem ſtatum habet ſive motus, ſive quietis ſit, neceſſario retinere, niſi accedat cauſæ vis ſitus mutationi reſpondens: quæ proprietas veluti vis quædam inhærens ab omnibus concipitur, ob quam corpus ipſum quodammodo afficitur, & ſitus mutationi reſiſtit, niſi cauſa quævis acceſſerit ſitus mutationi accurate reſpondens. Ex quo certum, & exploratum arbitror inertiæ vim ab omnibus aliis viribus diverſam eſſe, quæ vel agunt, & veram in corpore mutationem inducunt, vel reagunt, & impediunt, ne mutatio inducatur. Nam quod corpus natura ſua indifferens eſt ad motum, & quietem, ut hunc ſtatum potius, quam alium habeat; nullam profecto poteſt exercere actionem, nullamque propterea inducere mutationem, ob eamdemque rationem non poteſt reſiſtere, nec efficere, ne motus communicetur, aut debilitetur vis, & virtus cauſæ, ut totus propterea effectus ſequutus in corpore vi integræ cauſæ accurate reſpondeat. Atque hæc quidem, opinor, ita certa, & evidentia ſunt, atque ita cum natura corporis nexa, & copulata, ut quidquid his proprietatibus repugnarit, id erroneum, id continuo rejiciendum exiſtimem, nec quidpiam de eo prætera quærendum, aut inveſtigandum, quemadmodum in demonſtrationibus geometricis, cum ad principium jam demonſtratum, aut definitionem, vel ad abſurdum aliquod pervenitur.

19. Nihilominus hæc proprietas corporum retinendi ſtatum, quem habent, inſtar vis cujuſdam concipitur, quæ corporis quodammodo impedit mutationem, niſi virtus, & poteſtas

teſtas cauſæ hanc totam virtutem, &, ut ita dicam, reſiſtentiam vicerit, & quodammodo ſuperarit. Quod quidem anſam Philoſophis præbuit, ut eam vim re vera reſiſtentem crederent, nec ab aliis viribus reſiſtentibus diverſam eſſe vellent. At ne ambiguitate verborum decipiamur, ſedulo quidem definiendum eſt, quid ſit vis reſiſtens, quidve hoc vocabulo intelligatur, ne perpetuo de nomine diſputetur. Quare vim reſiſtentem illam dicimus, vi cujus corpus ita ſuum ſtatum retinere nititur, ut vere reagat in cauſam, cujus virtutis partem elidat, nec totus ſequutus effectus vi integræ cauſæ accurate reſpondeat. Ita ſi corpus grave ſurſum contra nativam gravitatem impellendum fuerit, niſi tantam vim adhibueris, quæ tum vincendæ gravitati par ſit, tum impertiendæ velocitati omnibus, & ſingulis particulis corporis, nullus profecto effectus ſequetur, qui ſi nihilominus conſequatur; is certe non vi integræ cauſæ, ſed virium differentiæ dumtaxat, tum gravitatis, tum cauſæ quam accuratiſſime reſpondebit. Cur ita? quia pars virtutis in cauſa in vincenda gravitate conſumitur, & eliditur prorſus reactione gravitatis, nec corpori propterea communicari poteſt. At ſi corporis gravitas auferretur, totus certe, qui ſequeretur, effectus vi integræ cauſæ quam accuratiſſime reſponderet, quemadmodum ex princtpiis Mechanices certo certius eſt, in qua maſſa corporis omni vi prorſus ab inertia diverſa ponitur deſtituta. Ex quo oritur criterium tutum, & evidens, ut de veris reſiſtentiis judicemus. Numquam enim effectus ſequutus, poſita reſiſtentiæ vi, integræ cauſæ reſpondere poteſt, nec æqualitas, nec illa accurata proportio poterit inveniri, quæ inter vim, & poteſtatem cauſæ, & effectum ſequutum intercedere neceſſario debet: quæ tamen ſi adfuerit, tum certi erimus nullam profecto reſiſtentiam extitiſſe, quæ cauſæ fluxum, & transfuſionem impediverit.

20. Quod quidem tam certum, & evidens eſt, ut qui oppoſitum vellet, is prius theorias omnes mechanicas funditus evertat, & neget, neceſſe eſt, quæ hujuſmodi principiis certiſſimis, & cum ipſa ratione nexis, & copulati innituntur. Quod ſi per vim reſiſtentem non hoc intelligamus

mus, ſed facultatem quamdam retinendi ſtatum, niſi ſingulis, & omnibus particulis vis quædam ad velocitatem, & translationem apta tribuatur; nihil erit profecto obſtans, & impediens, quominus vis inertiæ reſiſtens nullo modo ſit (non enim de nomine laborandum eſt), & altera ab altera ſeparetur. At illud æque certum eſt, neminem umquam Mechanicorum hoc ſenſu vires reſiſtentes uſurpaviſſe; cum de motibus potentiarum in mediis reſiſtentibus egerunt, ſive virium effecta in hac hypotheſi computarunt, omneſque virium reſiſtentium rationes, & leges geometrice prorſus demonſtrarunt. Neque enim ipſi inveniuntur effectus, iiſdem adhuc potentiis, & corporibus conſtitutis, cum motus in medio libero, hoc eſt nulla vi reſiſtente impedito, aut in medio revera reſiſtente computatur; quod quidem fatentur omnes, qui Mechanicam vel primoribus, ut inquiunt, labris attigerunt. In prima namque hypotheſi, id quod ex theoriis mechanicis certo certius eſt, integer effectus integræ vi cauſæ neceſſario reſpondet; in altera vero non niſi virium differentiæ.

21. Quapropter ut vis inertiæ cum viribus revera reſiſtentibus confundi poſſit, illud enim vero monſtrandum eſt, numquam effectum ſequutum vi integræ cauſæ reſpondere poſſe, totamque repugnantem eſſe, & abſurdam prorſus hypotheſim Mechanicorum, in qua, poſitis corporibus, & potentiis in medio libero, hanc proprietatem motus perpetuo demonſtrarunt. Quod ſi id & abſurdum ſit, & oppoſitum & abhorrens ab omnium Mechanicorum ſenſu, & cogitatione, illud fateamur neceſſe eſt, vim inertiæ nullo modo reſiſtentem eſſe, vel ſi id noluerint, ab omnibus ſaltem viribus reſiſtentibus diverſam fieri: quippe quæ nec agat, nec reagat, nec impediat potentiæ vim, aut transfuſionem in corpus, totuſque propterea effectus vi integræ cauſæ proportionalis evadit, ut alterum ex altero pleniſſime, & ſine ullo erroris periculo conſequatur.

22. Sed ut res tota, quæ totius Metaphyſicæ, & Phyſicæ fundamentum eſt, ita evidentiſſime declaretur, ut nulla vel minima ſuſcipio animum ancipiti cogitatione diſtrahat, nonnulla explicanda cenſeo, quæ rei per ſe claræ, & evidenti tenebras poſſent adducere.

23. Et primo quidem corpus vi inertiæ non poteſt moveri, niſi vis poſſit imperciri omnibus, & ſingulis materiæ punctis aliquam velocitatem. Atque hæc quidem omnis, & ſola reſiſtentia eſt, quæ in inertia concipitur, atque ex eo oritur, quia nullus effectus ſine cauſa queat obtineri. Ergo corpus, ſi quadam vi impulſum fuerit, non idcirco moveri debet, niſi vis inter omnes corporis particulas diſtributa, apta atque idonea deprehendatur, ut quotquot ſunt in corpore particulæ ab uno in alium locum transferantur. Quod ſi moveatur, & omnis vis, & poteſtas cauſæ corpori movendo par ſit; iam totus effectus, motuſque in corpore generatus integræ cauſæ accuratiſſime reſpondebit; id quod certe accidere numquam potuiſſet, ſi vis inertiæ re vera reſtitiſſet, aut cauſæ transfuſionem impediviſſet. Quare ratio tota ſufficiens, cur corpus aliquando minime moveatur, non reſiſtentia, ſed corporis iners maſſa eſt: quæ quo major, eo majorem vim poſtulat in cauſa, ut omnibus particulis aliquam ea velocitatem communicet. Nemo quippe eſt in Mechanica mediocriter eruditus, qui neſciat, totam variationem in velocitate, poſita virium æqualitate, ex ſola maſſarum inæqualitate proficiſci, ut quo major ſit maſſa, poſitis cæteris rebus æqualibus, eo minor velocitas habeatur.

24. Deinde animadvertendum eſt, principium Nevvtonianum de actionum, & reactionum æqualitate, quod quidem, niſi fallor, ex erronea inertiæ notione, quam veluti vim quamdam reagentem, & reſiſtentem traduxerunt, ſuam originem duxit, numquam profecto valiturum, niſi tum, cum veræ vires æquales, & oppoſitæ adſunt. Non autem vis inertiæ reſiſtit, ergo minime in omni motus hypotheſi neceſſarium erit, quemadmodum in Phyſica demonſtravimus.

25. Hactenus inertiæ naturam, & proprietates declaravimus, quibus tota corporis eſſentia continetur, ut quod iners, & quod ex ſe nullam vim, & poteſtatem habet ad aliquam mutationem inducendam, id corpus ſit a ſpiritus natura plane diverſum. Ex quo minime concludendum erit, materiam ita fore inertem, ut nullam vim, & efficacitatem habi-

habitura ſit. Poteſt enim vim, & virtutem maximam ab alio mutuare, quam ſuæ inertiæ vi perpetuo retinebit; vi cujus & aget, & reaget, & motum generabit, & generatum elidet, ex qua propterea omnia Naturæ phœnomena proficiſcuntur. Quodnam autem hoc elementum ſit, ex ipſa corporis natura petitum, ob quod materia vim, & efficacitatem quodammodo ſibi acquirere, & comparare poſſit, eamque viciſſim aliis impertiri corporibus capite ſequenti declarabimus.

26. Similiter inertia fit, ut corpus quacumque vi actum per lineam rectam neceſſario moveatur, niſi vis quævis acceſſerit ipſum arcens, & a propria directione repellens. Neque enim minus corpus indifferens eſt ad motum, & quietem, quam ut hac potius, quam illa directione moveatur, nec minus ſitus corporis immutatur, & ſtatus cum a motu ad quietem, quam cum ab una directione in aliam transfertur. Atque hinc vis *centrifuga*, ſive *tangentialis* tanto bono Matheſeos inventa originem ducit, & eſt illa indifferentia, ſive inertia corporis, quæ omnibus corporibus neceſſario inhæret ad retinendum ſtatum, quem habent, ſive motus is fuerit, ſive quietis, ſive hujus potius directionis, quam alterius, niſi cauſa quævis acceſſerit totam illam indifferentiam tollens.

27. Quapropter motus omnis natura ſua rectilineus eſt; nec fieri poteſt curvelineus, niſi corpus vi centrifuga actum, vi quadam centripeta verſus aliquod punctum, ſive centrum continuo, & indeſinenter adducatur. Corpus namque illa vi, quam a potentia accepit per curvæ tangentem moveri conatur, per quam neceſſario ageretur, & perpetuo a centro recederet, niſi a tangente per quamdam vim centripetam ab eadem deflecteretur. Per vim autem centripetam potentiam quamlibet intelligimus, quæ corpus a propria directione removeat, & verſus aliquod centrum adducat: non autem neceſſario illam, quæ in ipſo centro conſtituta eſſe debeat. Ipſe namque effectus induceretur, ſive in centro, ſive alio quocumque puncto poſita vis centripeta intelligatur. Ex harum duarum virium indole, atque natura tota diverſarum curvarum fami-

lia ducitur. Siquidem infinitæ rationes ſunt, quas duæ hujus generis vires inter ſe habere poſſunt, ex quibus diverſi motus oriuntur, & diverſi generis lineæ deſcribuntur, quemadmodum in Mechanica demonſtratur.

28. Jam cum corpus moveri, atque ab uno in alium locum transferri nequeat, niſi ſpatio quodam fixo, & tempore ſimiliter moveatur; hinc oritur *celeritas*, quæ eſt relatio quædam ex tempore, & ſpatio deſcripto conſurgens. Eo igitur corpora majori velocitate movebuntur, quo minori tempore majus ſpatium conficient; at non idcirco majori vi. Neque enim vis, ut velocitas eſt: quippe quæ ex velocitate non minus, quam ex maſſa corporis coaleſcit. Quare accidere poteſt (accidit autem ſæpiſſime) ut quod corpus majori vi, minori nihilominus velocitate moveatur, ſi velocitatis exceſſus majori maſſæ quantitate ſuperetur. Vis ergo eſt factum ex maſſa, & velocitate conſurgens. Ex quo perſpicitur, tum ſolum vires, ut velocitates futuras, cum corpora ponuntur æqualia.

29. Jam directio dicitur linea recta, juxta quam dato momento, mobile progreditur, vel progredi ſaltem nititur. Si duæ directionum lineæ fuerint parallelæ, corporum directiones æquales erunt; ſi minus prorſus inæquales. Tanti autem momenti ſunt in Mechanica virium directiones, quanti ſunt ipſæ potentiarum vires. Ex ipſis quippe pendet tum vis, tum virium, & motus leges, & rationes, ut quæ vires, poſitis ipſis directionibus, æquales ſunt, inæquales prorſus fiant, mutata ſolummodo directione, nec ipſis legibus, & rationibus ſubjiciantur, quemadmodum in Phyſica geometrice demonſtramus. Hæc autem directio in omnibus adeſt potentiis, ſive in virium motricium conatu, quæ corporibus applicantur, & motum inducunt, vel ſaltem poſſunt inducere; minime vero id quod Mako placuit velocitas. Poteſt namque directio potentiæ ſine ullo prorſus motu copulari; tum ſcilicet cum actione alterius impeditur; celeritas vero omnino non poteſt; idque etiamſi minima ea ſit, minimumque ſpatium conficiatur. Quod ſi velocitas finita fuerit; & ſpatium utique tempore finito deſcriptum finitum erit; eſt enim velocitas translatio corporis ab uno

in

Digitized by Google

in alium locum tempore quodam effecta. Ex quo perſpicitur, velocitatem ſine loci mutatione, & motu numquam obtineri poſſe.

CAPUT III.

De virium corporearum origine, & principio, deque toto Boſcovichii de lege continuitatis ſyſtemate.

30. Cogitanti mihi ſæpe numero, & memoria recolenti diverſas Mathematicorum hypotheſes de virium phyſicarum, & mechanicarum origine, & principio; illud pro comperto videbatur, Phyſicos omnes, qui poſt Nevvtonum floruerunt, Univerſi vires pro arbitratu finxiſſe, Phyſicam mechanicum in morem tractaviſſe, nec vires illas, quæ in Univerſo exiſtunt, & a quibus effecta generantur, computaviſſe, ſed illas dumtaxat, quæ eadem effecta inducere potuiſſent. Quare nihil mirum eſt, quod in infinitas pene difficultates ipſi inciderint, tum in explicanda illarum virium natura, tum in tradenda motus communicatione per infinita prorſus intervalla; nihilque propterea excogitatum fuerit poſt tot doctiſſimorum Hominum contentiones, & æmulationes, quod non ordini, & conſtitutioni Univerſi, & intimæ corporum naturæ, & proprietatibus evidentiſſime repugnarit. Quapropter in illud principium ſedulo quidem inquirendum putavi, ex quo vis omnis materiæ ducitur, & ex quo omnes ipſius proprietates pendent. Quod quidem niſi certum, fixumque fuerit, & penitus exploratum; numquam veræ vires materiæ definiri poterunt, eaſque fingemus potius, quam demonſtrabimus, totamque Phyſicam, & Metaphyſicam perpetuis, & numquam diſſipandis tenebris obducemus. Quod autem hoc elementum ſit; is facile deprehendet, qui proprietates corporum metaphyſicas notas, & perſpectas habuerit. Omne quippe corpus ex eo ſolum, quod corpus ſit, natura ſua impenetrabile eſt cum alio corpore, nec fieri aliqua ratione poteſt, ut in uno, eodemque loco duo corpora coexiſtant.

31. Ex hac vero proprietate illud evidenter deducitur,

 cor-

corpora omnia non minus motum poſſe recipere, quam aliis corporibus impertiri. Ergo quamvis corpora natura ſua inertia ſint, & plane indifferentia ad motum, & quietem; quidpiam tamen in ſe habent, ex ipſorum natura profectum, ex quo tota eorum vis, & potentia, tum ad recipiendum, tum ad communicandum motum demonſtrari poteſt. Nam ſi fingamus corpus B per aliquam directionem moveri, cui opponatur corpus C; certe niſi huic vis, & velocitas quædam tribuatur, corpus utique B per ipſam directionem moveri non poterit; non enim per locum corporis C tranſire poteſt, quin ipſum e loco trudat, vimque, & velocitatem quamdam tribuat, & communicet. Quare impenetrabilitas corporum tutum, & ſufficiens prebet fundamentum, ut vires aliquas in corporibus aſtruamus. Omnis ergo vis, quæ ex hoc principio ducitur, vera erit, atque in Univerſo reperietur; quæ vero non, ſuſpecta, & dubia exiſtimanda erit, nec temere in Phyſicam obtrudenda. Quæ ſi præterea hoc elementum contradixerit, tum ea certiſſime a Phyſica rejicienda, licet, illa poſita, phœnomenon aliquod declaretur.

32. At ſi in rem ipſam diligentius inquiramus; illud etiam clare, diſtincteque videbimus, vim illam conſtantem fore, nec aliqua ratione variabilem, nec creſcere, nec imminui, ſemperque ipſam in corpore retineri, niſi actione corporis alterius augeatur.

33. Illud præterea æque certum, vim corporis B tum ſolum in corpus C agere poſſe, cum in corpus ipſum impingit, atque in ipſo dumtaxat contactus puncto. Aliis namque punctis corpus B nihil agit in corpus C, nec aliquam actionem in ipſum exerit, aut poteſt exerere; vi cujus ad motum urgeatur. Ex quo hæc duo corollaria deducuntur.

34. *Coroll.* 1. Nulla vis attrahens in corporibus invenitur, vi cujus corpora moveantur. Nam corpus C nulla vi moveri poteſt, niſi corpus B in ipſum impegerit. Hæc autem vis certe attrahens intelligi nullo modo poteſt: quippe quæ tota ex conflictu oritur. Deinde non creſcit, non minuitur, nec major, aut minor fit, nec in quacumque diſtan-

diſtantia a puncto C agit, niſi corpus ad contactum accedat, atque adeo in ipſo contactu aliquam vim exerit, & actionem exercet. Quare tam certum eſt, poſitis duobus corporibus ſimplicibus, ea omni vi attrahente deſtituta fore, quam certum ſit, ea vi inertiæ pollere, nullamque ex ſe vim, aut poteſtatem habitura, quæ non ab alio fuerit mutuata.

35. *Coroll.* 2. Niſi vis corporum attrahens ex compoſitione originem ducat; ea certe ex Phyſica rejicienda erit, quæ præſertim agat in corpora remota, & variabilis fiat. Hoc autem nihil certius, aut evidentius eſt, nec magis corporum naturæ conſentaneum, ut quid amplius ad metaphyſicam demonſtrationem requiratur, ego vero non video. Omnis autem vis ex compoſitione corporum orta, aut elaſtica eſt, aut mere reſiſtens, & impediens motum corporis, quæ duæ vires attrahentes, aut repellentes dici profecto non poſſunt: quippe quæ tum ſolum agunt, & reagunt, cum corpora alia in alia impingunt, & in conflictum veniunt.

36. At progrediamur ulterius, vireſque ex impenetrabilitate ortas perſcrutemur. Neque enim minus corpora ob ipſorum impenetrabilitatem motum recipere, quam ipſum motum retardare, & impedire poſſunt. Impenetrabilitate namque fieri poſſe concipimus, ut corpus C vi quadam infinita donetur, & quamlibet alterius vim, & velocitatem elidat. At ne hoc quidem fieri poteſt, niſi corpus C immobile ſit, nec locum cedat, quantavis vi impellatur. Sed rurſus, poſitis duobus entibus ſimplicibus omni id fundamento, & veroſimilitudine deſtituitur. Neque enim quidpiam in corpore fingere, aut imaginare poſſumus, ex quo hæc immobilitas arguatur; quin contra omnes, quæ in eo ſunt proprietates nobis penitus ſuadent, ea mobilia fore. Nam vi inertiæ reſiſtere corpora, & reagere nullo modo poſſunt, nec corporis actionem impedire, multoque id minus impenetrabilitate obtinetur; qua ſolum fit, ut niſi ipſi vis quædam, & velocitas communicetur, omnis alterius corporis motus impediatur. Quod ſi fingamus, nullam vim corpori communicari poſſe, & eſſe prorſus immobile, ex quacumque id tandem cauſa proficiſcatur, certe tum qui-

dem impenetrabilitate fiet, ut corpus vi ſua reſiſtat, & extinguet quamlibet alterius corporis velocitatem. Neque enim quidpiam obſtat, aut impedit, quominus hujuſmodi immobilitas concedatur. Poteſt enim punctum ita conſtitui, ut difficulter admodum moveatur. At is certiſſime in errorem laberetur, qui hanc totam difficultatem puncto tribueret, totamque ex corporis natura, & proprietate repeteret; multoque id magis, ſi vim hujuſmodi variabilem efficeret, ut punctum ipſum fortius, aut debilius reſiſteret, & motum alterius corporis retardaret, aut impediret. Neque enim hoc, adhuc poſita immobilitate corporis, ſequitur. Immobilitate namque ſolum efficitur, ut corpus dimoveri nequeat; impenetrabilitate vero ne ſimul corpora coexiſtant.

37. Ex hoc autem quis umquam ſanus concludat, ineſſe puncto conatum, & vim, qua in diverſis a puncto contiguitatis diſtantiis repellat corpora, totumque motum debilitet? Niſi enim nugare velimus, & omnia pro arbitratu fingere; illud vere certiſſime tenendum erit, iſtam reſiſtendi vim, ex impenetrabilitate, & immobilitate corporis profectam, ſolum in ipſo contactu concipi poſſe, nec creſcere, nec imminui, ſed totam, & integram in ipſo contactu in corpus exerceri. Reliquis autem punctis, a contactu diverſis, nihil plane intelligitur, & ne intelligi quidem poteſt, quo vis corporis in alium tendentis debilitetur, & minuatur. Nec enim corpus B contra punctum C tendens in ipſum agit, nec aliquam in ipſum actionem exercet, niſi in contactus puncto, nec corpus C vim, & virtutem ſuam tranſmitit, nec in diſtans propterea operari poteſt, ſolumque in ipſo contactus puncto vis tota ſe oſtendit, & plane concipitur, qua reagit, & vim totam alterius retundit.

38. Sed quamquam hæc certa, & minime dubia ſunt; accidere nihilominus poteſt, ut corpus in aliud diſſitum, & remotum agat, vimque totam transfundat. Nam ſi ſeriem corporum conſtituamus, quodcumque corpus totam hanc ſeriem premens, etiam poſtremo ſeriei puncto motum imprimet, quin ad proximum contactum devenerit; quam ſi ex-

cipias

cipias hypotheſim, numquam quantum ex proprietatibus corporis metaphyſicis conſtat, accidere poterit, ut corpus in aliud a ſe diſtans, & remotum agat. Ex quo colligitur evidenter, ad ſeries corporum perpetuo recurrendum fore, quotieſcumque motus corporibus diſſitis, & remotis communicandus ſit, niſi velimus meris hypotheſibus ludere, & principiis metaphyſicis corporum adverſari.

39. Quæ cum ita ſint, principiis metaphyſicis vale dicendum erit, & corporum naturæ certiſſime repugnandum; priuſquam vires attrahentes, aut repellentes materiæ concedamus, quæ nec ex impenetrabilitate corporum ſuam originem ducunt, nec ex aliorum corporum impulſionibus detorqueantur. Nihil enim hoc luculentius, aut magis exploratum eſt ex metaphyſicis corporum proprietatibus. Quare omnem vim materiæ attrahentem, aut repellentem, omnem tendentiam, conatum, & determinationem ad motum rejicio, quæ ex his principiis certis, & evidentibus non oriatur. Atque hoc quidem etiamſi poſita illa vi totus effectus evidentiſſime conſequatur; quid vero de toto Boſcovichii de lege continuitatis ſyſtemate ſentiendum, in quo nullis, neque teſtibus, neque tabulis, totaque adverſante natura, corporibus ſimplicibus vim, conatum, & determinationem quamdam conceſſit, quæ modo, & pro arbitrio arceret, & repelleret corpora, modo in vim attrahentem tranſiret, eaque vis non conſtans, ſed variabilis eſſet, & creſceret, & minueretur, & majorem, & minorem actionem exerceret diverſis a puncto diſtantiis?

40. Certe hoc totum purum, putum commentum eſt, quod neque phœnomenis, neque ullis experimentis, neque analogia aliorum motuum non dicam eum demonſtrare, ſed ne veroſimile quidem reddere potuiſſe: quin potius omnia e regione adverſantur, tum his elementis, ex quibus tota vis corporis petenda eſt, tum ipſorum elementorum inertiæ, vi cujus omnis determinatio, & vis excluditur, quæ non ab alio mutuata fuerit.

41. Nihilominus ultro libenterque fateor, nihil obſtare, aut impedire, quominus vis corporis B tendentis in aliud C actione aliorum corporum major, & minor fiat, & va-

ria-

riabilis prorſus evadat, & modo accedat, & modo recedat a puncto N, atque adeo cum ipſo puncto conjungatur in A. Neque enim id vim, & poteſtatem omnium cauſarum ſuperat. Illud præterea concedo, & certum eſt, nihil ſimiliter obſtare, aut impedire, quominus ego fingam potentiam in puncto A conſtitutam, ex qua omnes variationes motus geometrice demonſtrentur. Hujus generis ſunt mechanicæ omnes hypotheſes, in quibus motus corporum poſſibiles computantur. Atque hoc quidem totum fundamentum eſt, quod illuſtriores Philoſophos in errorem pertraxit, & vires mechanicæ corporibus attributæ ſunt, quæ cum ipſorum natura pugnarent, & principiis metaphyſicis repugnatum fuit; & illæ motus communicationes, & leges conſtitutæ, & probatæ fuerunt, quæ ordinem, & conſtitutionem Univerſi contradicerent, & experimentis omnibus adverſarentur, & univerſa Phyſica tot, tantiſque tenebris ſic obducta fuit, ut numquam caput emerſura videretur. Atqui nulla certiſſime vis in Phyſica conſtitui poteſt, quæ nec corporum naturis, nec Univerſi ordini, & conſtitutioni conſentanea ſit, nihilque profecto in ea probandum eſt, quod ex hujuſmodi principiis certis, atque infallibilibus non deducatur.

42. Maximum itaque inter hypotheſes mechanicas, & phyſicas, & reales diſcrimen intercedit. Ut enim mechanica hypotheſis vera ſit, ſatis, ſuperque eſt, ut potentia quædam imaginetur, quocumque puncto conſtituta, quæ poſſit effectum determinatum, & aliis etiam quibuſvis cauſis jam generatum inducere; in cujus rationem, & legem, vel maxime inquiritur. Num autem adſit hæc potentia nec ne, num corporum naturæ repugnet, num tota motus communicatio, & virtutis transfuſio mechanica ſit, & ordini, & conſtitutioni conſentanea; id quidem nullo modo inquiritur in Mechanica. Quare ſi in veritatem mechanicarum hypotheſeon diligentius inquiramus, profecto videbimus, nihil aliud in ipſis ſæpe numero demonſtrari, niſi diverſas motus ipſius relationes, ſi ex punctis diverſis, quacumque ex cauſa genitus hic, & generatus fuerit, computetur. Quo fit, ut idem atque individuus motus ex infinitis, & diverſi generis potentiis

ten-

tentiis oriri poſſit, & infinitis propemodum legibus, & rationibus ſubjiciatur, prout ab his potentiis potius, quam aliis genitus concipiatur, atque ex uno potius loco, quam alio computetur.

43. At multo ſecus ſe res habet in Univerſo, in quo non ſolum in veras effectorum relationes, ſed in eorum veras, & reales cauſas inquiritur, quæ motum re vera inducunt; non autem in illas dumtaxat, quæ motum ipſum inducere potuiſſent. Quapropter certiſſime ex Univerſo vis omnis rejicienda eſt, quæ ex corporum proprietatibus non arguatur; multoque magis ſi eorum naturas evertat, & cujus actio, & virtutis transfuſio mechanica nullo modo ſit, nec per corporum ſeriem, & conſtitutionem explicari poſſit.

44. Quapropter, priuſquam aliqua mechanica hypotheſis ad Univerſum transferatur, ſedulo cogitandum, & videndum erit, num quidpiam in mechanica hypotheſi ſit, quod vel naturæ corporum adverſetur, aut ordini, aut conſtitutioni Naturæ, aut legibus motus communicationis, quas in corporibus, in quibus capi experimenta poſſunt, experimur. Deinde ſedulo perpendendum, & plane conſiderandum, num illa vis re vera adſit, aut quonam fundamento probetur. Quæ omnes ſi dentur conditiones; tum quidem certi eſſe poterimus mechanicam hypotheſim nullo modo abhorrere a Naturæ hypotheſi, ſed unam, eamdemque fore prorſus habendam. Sin aliqua ex his condititionibus deſit, & vis mechanica, aut ordinini, aut conſtitutioni Naturæ adverſetur, effectus tamen, qui ex ea oritur certiſſime in Natura ſit; certe tum quidem in aliquam cauſam Naturæ inquirendum, quæ ita agat in corpus, ut illum ipſum effectum inducat: qui ſi deinceps computetur ex eo puncto, in quo vis mere mechanica conſtituta fuit, ipſis legibus, & rationibus ſubjiciatur oportet. Qua methodo uſi nos in opuſculo de fluxu, & refluxu maris oſtendimus, tum reſiſtentiam medii poſſe motum curvilineum in Planetis inducere, tum preſionem lunæ, veram eſſe cauſam fluxus, & refluxus maris; id quod non niſi viribus centripetis, a Natura proſus abhorentibus, tribuebatur.

45 Hæc quidem qui intelligat, & ponderet, & res pro ut

ut re vera ſunt, æſtimare velit; is certiſſime, atque evidentiſſime ſuadebitur, in Phyſica a Philoſophis Nevvtonianis plurimum nugatum fuiſſe, eamque ſolum mechanice tractatam fuiſſe, cum nullus eorum hypotheſeon exiſtentiam hactenus demonſtraverit, & ne probabilem quidem reddiderit. Atque hoc quidem etiam in illorum effectorum computatione, quæ certiſſime in Univerſo obtinent, & a viribus in Univerſo conſtitutis evidentiſſime proficiſcuntur.

46. Quod ſi contigerit, ut ne effectus quidem in Natura ſit certus, & exploratus; tum omnis hypotheſis ſine dubio rejicienda erit, niſi Phyſicam inutilibus, & nullo modo profuturis hypotheſibus implere velimus, & inter irrita ingenium exercere. Quo in genere ponenda meo judicio eſt Boſcovichii hypotheſis de continuitatis lege, in qua de effectu nondum conſtat, quem maxime explicare concupivit. Itaque cum Boſcovichio mere mechanice agendum erit, neque in illam cauſam, quæ effectum adhuc mere poſſibilem inducere potuiſſet, inquirendum, ſed in potentiam dumtaxat, ex qua effectus ille oriri poſſet; quamquam hujuſmidi potentia, nec alibi exiſteret, & ne exiſtere quidem poſſet, cum ordini non ſolum Univerſi, verum etiam corporum conſtitutioni, & naturæ adverſaretur. Quare hoc primum Boſcovichio concedo corpus M ita tendere in punctum N, ut ipſius motus continuo augeatur, idque in quacumque etiam voluerit diſtantiarum ratione. Neque enim hoc, totum repugnat, nec vires cauſarum ſuperat. Illud præterea ne invitus quidem concedo, totum hoc fieri per vim quamdam attrahentem. Nihil enim impedit, quominus id quod fieri poteſt, per vim quamdam attrahentem fieri imaginetur: quamquam hujuſmodi vis, id quod ſæpius diximus, non exiſtat, & ne exiſtere quidem fortaſſe poteſt, cum ea corporum naturis adverſetur.

47. Verum hoc quidem totum parum, aut nihil refert, cum res ſolum mechanice fieri concipiatur. Satis enim eſt, ut potentia ejus generis intelligatur, quæ apta ſit, ad effectum inducendum, in cujus præſertim rationem inquiritur. Denique, nec negandum exiſtimo, curvam a Boſcovichio productam poſſibilem eſſe, aptamque ad totam virium rationem exhibendam.

48. Hi-

Digitized by Google

48. Hiſce omnibus conſtitutis, illud primum quæram, in quo puncto vis attrahens, & repellens conſtituta ſit. Ex diverſitate enim punctorum, in quibus vis illa collocaretur, diverſæ oriri poſſent virium rationes. Quod quidem patet in viribus centripetis, quæ motus Planetarum inducerent, quarum rationes, ipſo computante Nevvtono, diverſæ fiunt, ſi vel in centro ellipſis, vel ipſius foco vis tota attrahens conſtituatur. Quod quidem cum a Boſcovichio prætermiſſum fuerit, de tota harum virium ratione adhuc dubitari poteſt; idque etiam ſi mechanice omnis res agatur. At poſuit hujuſmodi vires creſcere, & imminui in ratione ſaltem ad ſenſum quadratorum diſtantiarum. Atqui hoc non ponendum, ſed omnino monſtrandum erat. Illud vero falſum, quod ſimiliter poſuit, vim nempe, qua corpus hyperbolam deſcriberet, creſcere, & minui in ratione inverſa quadratorum diſtantiarum. Poteſt enim hujuſmodi vis perpetuo conſtans inveniri. Ut enim vis, qua corpus parabolam deſcribit, poteſt eſſe conſtans, ſic & conſtans illa, qua corpus per hyperbolam ageretur.

49. Sed jam in curvam, qua vel maxime Boſcovichius punctorum attractiones, & repulſiones explicavit, diligentius inquiramus. Et primum quidem non ſatis conſtanter dicitur curvam fig. 5. GCEA, DBF fore hyperbolam, aut generis ſaltem hyperbolici, quemadmodum, Boſcovichio ponitur. Eſt enim generis parabolarum cubicarum: quæ ſi duos ramos tantum habeat, hæc erit æquatio

$y = \underline{x^3 + ax^3 - bx^2 - abx}$. At ſi plures habuerit ramos ad altiorem gradum referenda erit, nec vis ejus generis habenda, quod maxime voluit Boſcovichius. Verum hæc quidem curva ſatis idonea eſt, ut omnia effecta explicentur. In quam ſi animum advertamus, ſtatim duos ramos infinitos determinabimus generis parabolici, quorum ſunt aſſymptota rami parabolæ cubicæ æquationis $y = \frac{x^3}{a^2}$: quorum alterum poſitivum, alterum negativum. Et quoniam functio integra x tres habet valores x, $x + a$, $x - b$ facto in A abſciſ-

ſarum

ſarum initio abſcindatur ad partes x poſitivæ AB $=$ b ad partes x negativæ AC $=$ a, & curva per tria puncta C,A,B neceſſario tranſibit.

50. Si in his punctis quærantur tangentes, tangens puncti A efficiet angulum cum AB, cujus ſinus eſt ad coſinum, ut $b : a$ tangens vero puncti B concurret in angulo, cujus ſinus ad coſinum, ut $b.\overline{a+b} : a^2$ in puncto autem C, ſinus anguli, quem tangens cum curva efformabit, erit ut $a+b : a$. Reliquas hujus curvæ proprietates omitto, quia parum, vel nihil prorſus ad rem noſtram faciunt. Sed duæ hic primum hypotheſes accurate diſtinguendæ ſunt, quæ confundi ſine paralogiſmo vix poſſunt, nec tamen a Boſcovichio diſtinctæ, aut ſeparatæ fuerunt; quarum prima habetur, dum corpora cum aliquo motu ad limites attractionis veniunt, quorum motuum directio a tangentis directione nullo modo differet. In hac autem hypotheſi tota vis attrahens, & repellens in mutanda ſolum corporis directione impendetur, nec corporis ſitus, nec motus quantitas immutabitur. Quare veluti vis quædam normalis ea concipitur, quæ nullam niſi directionis in corpore mutationem inducit. Ergo corpus duplici vi, & duplici directione actum propriam directionem continuo deſeret, aliamque induet, & totam curvam CEADB neceſſario deſcribet.

51. Jam ſi in puncto A, ponatur aliquod corpus nempe N, cui vis attrahens, aut repellens tribuatur (non enim hujuſmodi vis ſine corpore concipi poteſt;) quod quidem in non ſat magnis diſtantiis trahat, & repellat corpora; erit ipſius vis $\frac{P}{x^2}$, quæ proprietas ex natura curvæ ſatis evidenter apparet. Vocetur itaque corpus, quod movetur $=$ M ut omnes ipſius motus, & affectiones ex natura, & proprietate curvæ geometrice prorſus definiamus. Quare hæc ſunto corollaria.

52. *Corollar.* 1. Si $x = -a$ corpus M, erit in C intra ſphæram attractionis, moveretúrque velocitate, quam habet, per directionem tangentis, niſi vi attrahente corporis N in

N in A conſtituto ab ea continuo arceretur. Jam ſi ex quolibet puncto curvæ ducantur in lineam CB perpendiculares DK, LI, EH totam profecto mutationem directionis corporis M exhibebunt, vel vis attrahentis, aut repellentis effectum.

53. *Coroll.* 2. Si $x = o$ tota vis corporis N evadit prorſus infinita.

54. *Schol.* 1. Ex hoc corollario evidenter arguitur, corpus M lineam curvam deſcribens, non ſolum ad punctum contactus N pervenire poſſe; verum etiam ad ipſum neceſſario contactum pervenire. Eſt enim vis potentiæ in eo puncto prorſus infinita. Quare abſurda, & a Geometria abhorrens tota Boſcovichii opinio cenſenda eſt, qui duo puncta ad immediatum contactum pervenire poſſe, negat.

55. *Scholium* 2. Quamquam vis potentiæ in puncto A, ſit prorſus infinita, cave tamen putes omnem vim, & velocitatem extingui, & motum corporis M in eo puncto impediri. Quare errat iterum Boſcovichius, & cum eo Emanuel Gil, qui corpora in limitibus omni vi, & velocitate volunt deſtitui. Neque enim fieri poteſt, ut punctum curvam illam deſcribat, quin ad limites cum aliqua velocitate venerit, cujus directio congruat, cum directione tangentis. Ergo vis tota attrahens, aut repellens in hac hypotheſi, in mutanda ſolum corporis directione conſumitur, vi cujus corpus in curva retinetur, atque ita retinetur, ſi ipſius vis evadat infinita, id quod accidit in puncto A, ut ab ea nulla alia quacumque vi finita dimoveri queat, ſi ipſius directio vis centripetæ directioni adverſetur. At quia corpus in eo etiam puncto curvæ ipſam vim, & velocitatem obtineat, quam habuit in puncto A; non enim per vim attrahentem eliditur, nec ipſius deinceps motus directio, quæ a tangente curvæ in eo puncto nullo modo diverſa eſt, vis centripetæ directioni e regione opponatur; per ipſam utique tangentem neceſſario moveretur, niſi ab eadem perpetuo repellente vi potentiæ arceretur. Ex quo certum, & evidens eſt, corpus M numquam corpori N ſic adhærere, & conjungi poſſe, ut ab eo divelli nequeat. Ergo corruit, & principiis geometricis adverſa-

tur

tur hypotheſis Boſchovichi, qui ex ſola attractione, & repolſione corporum, totam cohæſionem, & non cohæſionem explicare voluit. Quæcumque enim fuerit vis attrahens, aut repellens, certe corpus illud corpori N adhærere non poteſt; id quod ex hypotheſi geometrica non ſolum; verum etiam ex principiis metaphyſicis comprobatur. Nam vis illa, quæ neceſſaria eſt, ad immutandam corporis directionem, non utique extinguere ipſius velocitatem poteſt; neque enim duo effectus contrarii ab eadem vi oriri poſſunt.

56. *Coroll.* Si $x = b$ omnis vis evaneſcit. Quare cum corpus ipſam vim neceſſario retineat, per tangentem curvæ in puncto B neceſſario movebitur, a qua vix, ac ne vix quidem arcebitur a potentia repellente corporis N, quæ miminima, & prorſus evaneſcens ponitur. Quo fit, ut corpus ramum F deſcribat, perpetuo accedens ad aſymptotum OK, quam tamen numquam attinget. Atque hoc quidem quacumque velocitate corpus impulſum fuerit. Ex quo ſane perſpicitur, corpus, & majori, & minori velocitate per ramum BF propelli poſſe.

57. Quæ cum geometrice certa, & explorata ſint; excuſari nullo modo poteſt Boſchovichius, multoque minus Emanuel Gil in ipſius vindiciis; qui omnia corpora, dum ad areas maximas repulſivas, ſive repellentes pervenerint, æquali velocitate, & vi moveri putant. In quo duas res aperte confundunt, nec ſatis, ut ego quidem exiſtimo, hypotheſim geometricam, quam veluti theſeram totius ſyſtematis poſuerunt, intellixiſſe videntur. Etſi enim vis potentiæ repellentis prorſus evaneſcat in puncto B, vel quod in idem recidit, vis corporis ad retinendam propriam directionem infinita prorſus evadat, potiſſimum ſi cum vi corporis N comparetur; at non idcirco corpus M infinita vi per illam directionem ciebitur, neque alterum ex altero aliqua ratione concludendum erit. Nam alterum ex hypotheſi neceſſario deſcendit, alterum ipſi hypotheſi evidenter adverſatur. Neque enim vis corporis fere in infinitum augeri poteſt, niſi vis repellens, quæ minima, & evaneſcens ſit, ipſo Boſcovichio teſte, tempore eodem infinita

pror-

proſus evadat ad inducendam ſtatus mutationem. Quæ duæ res ſic inter ſe copulantur ut lux, & tenebræ, & geometricis principiis non minus, quam metaphyſicis principiis adverſantur. Nam ſi vis centripeta ſolum in non ſatis magnis diſtantiis trahat, quemadmodum a Boſcovichio ponitur; in maximis profecto diſtantiis nullo modo trahet, nec aliquem effectum inducet, nec corporis ſitum, aut motus quantitatem immutabit, multoque minus effectum infinitum inducet. Quod quidem ſi dederit Boſcovichius, quæ ſit cauſa requiram, quæ corporum velocitatem in areis maximis repellentibus augeat, omniumque corporum vires, quibuſvis tandem velocitatibus, & viribus alias areas attrahentes, aut repellentes deſcripſerint, æquales prorſus in illis areis maximis repellentibus efficiat; potiſſimum cum in hypotheſi geometrica, ex qua totus effectus monſtrandus eſt; nihil aliud profecto ponitur, niſi motus puncti M, & vis repellens corporis N. Quare certum, & evidens eſt, in quibuſvis areis, ſive attrahentibus, ſive repellentibus, ſive maximis, ſive minimis ipſam conſtanter vim in puncto, & velocitatem retineri, eamque nullo modo infinitam prorſus evadere.

58. Neque vero id ex eo poterit demonſtrari, quod corporum vires, ut areæ deſcriptæ fiant, quemadmodum a Boſcovichio ponitur. In quo præterea hypotheſim ab ipſo conſtitutam deſerit, ſibique pugnat quam evidentiſſime. Nam ſi vires attrahentes, aut repellentes creſcant, aut minuantur in ratione inverſa quadratorum diſtantiarum, ſintque in aliqua ratione applicatarum ad curvam; non erunt utique ut areæ diſcriptæ vires. Neque enim applicatarum, ſive ordinatarum ratio eadem perſeverat, ſive ad abſciſſarum lineam, ſive ad areas figuræ referantur. Quod quidem ita certum, & evidens ex Geometria eſt, ut a quopiam non poſſit in dubium verti, qui ipſius myſteriis inniciatus ſit.

59. Illud vero magis abſurdum, planeque abhorrens ab omnibus principiis, tum mechanicis, & geometricis, tum etiam metaphyſicis, quod maxime vult Emanuel Gil in vindiciis theoriæ Boſcovichianæ, ſibique tamquam certum

 aſſu-

aſſumit, vires nempe corporum, ut areas deſcriptas fore, eaſque deinceps, ut velocitatum quadrata, & vires nihilominus attrahentes, & repellentes creſcere, & imminui in ratione inverſa quadratorum diſtantiarum: quæ tres hypotheſes adeo inter ſe pugnant, ut una ſolum poſita, deſtruantur, & elidantur aliæ. Ad quod tamen probandum, & demonſtrandum, hoc utitur mechanico theoremate: *Si per lineam referentem ſpatium motu accelerato confectum ducatur recta repræſentans vim, area inde genita quadratum velocitatis exhibebit*: ex quo concludit areas quaſvis similiter ut quadratum velocitatis futuras: quam rationem propterea tenent corpora, ſive areis attrahentibus, aut repellentibus, ſive finitis, ſive maximis, & infinitis propellantur. At priuſquam utamur mechanicis theoriis intelligendæ ſunt illæ quidem, & hypotheſes conſiderandæ, & plane cognoſcendæ ſunt, ex quibus proprietas aliqua demonſtratur. Quid enim certius in Geometria eſt, quam rationes arearum neceſſario variari, variato ſolum ordine linearum? Quis enim umquam aream rectilineam, cum area circulari confudit? Quis ignorat, hujuſmodi areas non ſolum inter ſe differe, verum etiam ab omnibus aliis areis curvilineis in infinitum? Quid igitur hujuſmodi theorema, cum hypotheſi Boſcovichii commune habet, in quo ponitur neceſſario aream repræſentantem vim prorſus rectilineam eſſe, & conſtantem præterea, & invariabilem, & ut corpus ipſum potentiæ vim, quæ nec, aucta diſtantia, imminuitur, nec augetur imminuta? Atqui in hypotheſi Boſcovichii vis non ſolum variatur, verum etiam variatur in ratione inverſa quadratorum diſtantiarum; & creſcit, & minuitur, & maxima, & minima fit, nec umquam ut corpus reperitur, omniſque deinceps linea repræſentans vim tertium ordinem linearum attingit. Quocirca in hac ſolum hypotheſi monſtrandum eſt, aream totam fieri oportere ut velocitatum quadratum. Sed amice, cum amico agendum eſt, totumque ipſi plane concedendum, ut male conſarcinatum Boſcovichii ſyſtema nullo fundamento inniti, & undequaque faſtiſcere oculis aſpiciatur. Sint itaque non ſolum areæ figuræ repræſentantis vim, ut quadratum velocitatis,

qui-

quibus corporum vires reſpondeant quam accuratiſſime. At quid tum poſtea? Num vires dum deſcribuntur areæ finitæ erunt finitæ, dum vero infinitæ areæ percurruntur, prorſus infinitæ? Minime gentium. Et quidem ab ipſo quæro, an tempus, quo areæ maximæ, ſive infinitæ deſcribuntur, infinitum eſſe velit, an contra finitum. Si hoc poſtremum poſuerit, corpus profecto tempore finito ad aſſymptotum accedet, quam tempore etiam finito tanget. Sed abſurdum id quidem, & a Geometria prorſus abhorrens, nec poni poteſt, quin principiis geometricis adverſetur; ex quibus certum eſt, & exploratum, corpora omnia ad aliquam aſymptotum accedentia, perpetuo ad eamdem accedere, quam attingere, niſi tempore infinito non poſſunt. Ex quo deducunt, tempus, quo areæ infinitæ deſcribuntur, fore ſimiliter infinitum, nec fieri finitum ſine evidenti paralogiſmo poſſe. Ergo ſi tempus, quo areæ maximæ, ſive infinitæ percurruntur non finitum, ſed infinitum neceſſario ſit, quo pacto vires maximæ, & infinitæ fient, etiamſi areis infinitis proportionales evadant? Quæcumque enim finita vis ſpatium infinitum deſcribit, ſi tempus deinceps prorſus infinitum conſtituatur. Ut enim vis, quæ duplo tempore duplum ſpatium percurrit, finita non ſolum eſt, ſed illi prorſus æqualis, quæ ſimplo tempore ſimplum ſpatium percurrit, ita vires corporum, quæ temporibus finitis areas finitas deſcribunt, æquales eſſe poſſunt viribus, quæ temporibus infinitis areas infinitas percurrerent, idque etiamſi vires, ut areæ prorſus, & ut ſpatia confecta ponerentur; nam vis, quæ ſolum tempore infinito ſpatium conficit infinitum, finita ſine dubio eſt, quemadmodum omnia principia declarant. Ex quo concludendum eſt, vires ipſas permanere in corporibus, nec variari, aut perturbari poſſe ſine aliqua ſufficienti cauſa mutationis; quæ profecto nulla adeſt, dum corpora areas maximas repellentes ingrediuntur, in quibus adeo vis repellens non augetur in ipſa Boſcovichii hypotheſi, ut minuatur prorſus in infinitum.

60. *Coroll.* 3. Si $a = 0$, id quod tum evenire poteſt, vel cum corpus omni vi, & velocitate deſtitutum ad limites attractionis pervenerit, vel ſi quam habuerit velocitatem,

 ipſius

ipſius velocitatis directio, tota cum potentiæ attrahentis directione concurrerit; tum ſinus anguli, quem tangens cum linea CB efficit, prorſus evaneſcet, totuſque propterea ramus CEA, qui a corpore peragrari non poterit.

61. Atque hæc quidem altera hypotheſis eſt, in qua, quia vis centripeta non impenditur in mutanda corporis directione, ſitum profecto corporis, omnemque ipſius motus quantitatem variare, & perturbare poterit, immo, & debebit. In hac autem hypotheſi, quæ Boſcovichii videtur eſſe, qui motum immutari a vi attrahente, aut repellente voluit, omnes applicatæ ad curvam velocitatis variationem exhibebunt. Quare eo majori cura in hanc hypotheſim incumbendum erit, quia ex ea potiſſimum omnes cohærentiæ, & non cohærentiæ corporum proprietates Boſcovichius deduxit, ne nos hoſtem, quem feriamus, finxiſſe videamur.

62. Primum itaque certum eſt, corpus M vi corporis N attractum, & impulſum per lineam CA neceſſario moveri, uſque ad punctum A, in quo corpori N ſic conjungetur, & adhærebit, ut nulla vi quacumque finita per *ipſam directionem* disjungi ab eo, & ſeparari queat. Atque hinc vis attrahens converti, & commutari in hac hypotheſi omnino non poteſt in negativam, nec repellens umquam habetur. Quod quidem hypotheſi Boſcovichii conſentiat, nec ne; ipſe videat. Sive autem conſentiat, ſive repugnet, hæc proprietas non ſolum ex proprietate hujus curvæ, ſed ex omnibus deinceps mechanicis theoriis conſtat evidentiſſime: ex quibus corpus attractum ad quodcumque centrum in quavis inverſa ratione diſtantiarum, tum cum ad ipſum pervenerit, arctiſſime in eo retinetur, a quo digredi profecto non poteſt, poſito ſaltem motu directo.

63. Schol. Ex hoc & 2. coroll. num. 53. tota Boſcovichii hypotheſis convellitur, qui omnem cohærentiam, & non cohærentiam ex diverſitate arearum attrahentium, aut repellentium repetiit. Quantum enim ex his duobus corollariis conſtat, tota cohærentia, & disjunctio corporum ſolum ex directione petenda eſt, qua corpora ad limites pervenerunt. Et vero ſi corporis directio cum vis centripetæ dire-

direƈtione concurrerit, tum quidem conjungitur cum punƈto N, eique firmiter adhæret coroll. 3.; ſi vero direƈtio diverſa fuerit, perveniet utique uſque ad punƈtum N, cui abhærere non poterit Coroll. 2. num. 53.

64. Dixi per ipſam direƈtionem. Nam nihil obſtat, aut impedit quominus corpus ab eo punƈto arceatur, & a punƈto divellatur, ſi quacumque alia vi per diverſam tamen direƈtionem aƈtum, & impulſum confingamus.

65. Atque hanc quidem direƈtionem perpetuo corpus M retineret, niſi ab eadem, urgente iterum vi repellente, removeretur. Ita fit ut corpus continuo e tangente diſcedat, alterumque ramum ADB neceſſario deſcribat, donec evaneſcente vi repellente, corpus illa ipſa velocitate, quam ob aƈtionem alterius corporis impingentis acqueſivit in punƈto A, ſive magna, ſive parva fuerit, neceſſario movebitur, perpetuo accedens ad aſſymptotum OK, quam numquam ſane pertinget. Quare in nulla hypotheſi corpus ad aſſymptotum, id quod maxime voluit Boſcovichius, & cum eo Emanuel Gil, ſibique tamquam certum ex geometrica hypotheſi aſſumpſerunt, per vim infinitam accedit; ex quo cum celerrimam lucis propagationem demonſtrare voluerint, ſatis ſuperque evincunt, ſe fingere potius in Phyſica rerum, & effeƈtorum cauſas, & imaginari, quam vero evincere voluiſſe. Atqui nos perpetuo rejiciemus quidquid non ſana ratione confingitur, nihilque ratum, aut fixum ducemus, niſi id ex phœnomenis conſtet, aut ex proprietatibus corporis metaphyſicis.

66. *Coroll.* 4. Si corpus cum ad limitem B pervenerit, tum quacumque alia vi impellatur, & verſus centrum adducatur, quid ex hac hypotheſi geometrica conſequatur ſedulo, & deligenter conſiderandum eſt. Nam ſi Boſcovichio credimus, agente vi repellente, & extinƈta priore velocitate ab impulſione acquiſita, regredietur corpus, ſeſeque reſtituet, priſtinumque ſtatum recuperabit, atque in aliud corpus impingens aget; ex quo totam petiit claſticitatis naturam. Atqui hoc totum purum, putum figmentum eſt, quod quidem adeo non deſcendit ex hypotheſi geometrica, quin contra ipſi adverſetur quam evidentiſſime. Nam ſi

corpus vi quadam ad centrum tendat perpetuo trahitur, numquam vero illud quidem repellitur, id quod ex corollariis conſtat pleniſſime. Et vero tota vis repellens in hypotheſi geometrica, non tam ex vi puncti N in A conſtituti, quam ex directione velocitatis, quæ in puncto A non extinguitur, repetenda eſt; qua propterea, ex eo puncto digreſſum corpus, perpetuo diſcedere nititur; perpetuoque diſcederet, niſi vi centri ad ipſum continuo, & indeſinenter traheretur. Quare ſi ponamus corpus intra ſphæram attractionis omni vi, & velocitate deſtitutum, quacumque tandem id vi effectum fuerit, adeo verum non eſt, corpus repelli oportere, & arceri a centro, priſtinamque vim, & directionem poſt compreſſionem recuperare, quemadmodum Boſcovichius confinxit, ut oppoſitum ex ipſa geometrica hypotheſi arguatur, quam evidentiſſime.

67. Quapropter ſi preſſe, & proprio ſenſu loqui velimus, numquam vis attrahens ſuam naturam invertet, nec fieri poterit ex attrahente repellens; id quod non minus ex principiis metaphyſicis conſtat, quam ex ipſa hypotheſi geometrica. Nihilominus, quia corporis directio continuo perturbatur, & variatur ab vi attrahentis actione, & fieri negativa non minus, quam poſitiva poteſt, idcirco fit, ut corpus ob eamdem actionem modo accedat ad centrum, modo a centro ipſo recedat, omniſque potentiæ vis, & actio poſitiva non minus, quam negativa concipiatur, & tam attrahens, quam repellens jure dici, & affirmari poſſit. Quod quidem ſedulo, & diligenter conſiderandum eſt, ne notionibus geometricis diverſas notiones tribuamus, idque certiſſime adeſſe confingamus, quod nullibi eſt, & principiis metaphyſicis opponitur, nec aliqua deinceps ratione ex Geometria demonſtratur.

68. Hactenus motum ſolius puncti, quemadmodum in hypotheſi geometrica conſtituitur, contemplati ſumus; ex qua tum ſolum puncti cohæſionem obtinuimus, cum corpus intra limites attractionis, vel omni velocitate deſtituitur, vel ſi quam velocitatem habuerit in limitibus attractionum, ipſam cum vi attrahente obtineat directionem, nec vis attrahens fieri poſſit negativa, aut repellens. Idem fere

con-

contingit, ſi duo vel plura corpora in limitibus attractionum conſtituta fuerint, omni vi, & velocitate deſtituta; vel quorum velocitatis directio, cum potentiæ trahentis directione congruit; tum enim certiſſime ambo corpora attrahentur, & invicem in ipſo centro adhærebunt. Quare poſitis uno, vel pluribus corporibus eadem ratio cohæſionis eſt. Quod ſi corpora in limitibus æqualem velocitatem habuerint, ipſamque profecto directionem, & limites æqualiter diſſiti a puncto A collocentur, tum certe corpora deſcriptis ramis æqualibus ad conflictum venient in ipſo puncto A; cumque deinceps æquales vires, & oppoſitas habeant, ad æquilibrium redigentur, ac propterea conjungentur in puncto A.

69. Similiter conjungi poſſunt corpora, quibuſvis velocitatibus, aut viribus ad limites pervenerint, ſi in aliquo puncto concurrentia vires æquales, & contrarias habuerint. Fingamus itaque corpus M vi attrahente perveniſſe in punctum D, in quo alterum Q ſimiliter reperiatur, vi repellente actum. Jam cum duæ vires in eo puncto æquales ſint, & contrariæ, nulla certe ratio ſufficiens erit, cur una vi potius, quam altera corpora propellantur. Itaque ea mutuo oſcillabunt in eo puncto, & tandem conquieſcent. At quia ceſſante motu, corpora vi centripeta urgeantur, ambo verſus centrum iterum agentur, in quo certiſſime conjungentur, niſi vis quædam alteri, non autem alteri motum impreſſerit.

70. Quod ſi vires inæquales ponantur, nec ceſſarit motus; tum conjunctim duo illa corpora movebuntur per directionem majoris motus, & a centro conjunctim recedent; vel ad ipſum centrum accedent. Ex quo minime concludendum erit, omnem punctorum cohærentiam, & disjunctionem, ex hac hypotheſi geometrica neceſſario pendere. Ipſæ namque proprietates æque obtinentur in corporibus, quæ quibuſvis acta velocitatibus in conflictum veniunt, quemadmodum nos in Phyſica generali demonſtravimus, ubi de extenſionis origine diſputavimus; ne forte quiſquam putet, rem ita neceſſario evenire, quia id etiam ex Boſcovichii geometrica hypotheſi conſequatur.

71. Sed antequam totam Boſcovichii hypotheſim deſeramus, illud vero conſiderandum, & ſumma diligentia perpendendum eſt, vim nempe attrahentem, aut repellentem in unico puncto in hypotheſi geometrica ſitam eſſe, vel eam unico, & individuo puncto ſolum concedi; reliqua vero puncta omni vi attrahente, & repellente deſtitui, quam ab illo puncto minime mutuarint. Contra autem accidit in Boſcovichii hypotheſi, in qua hujuſmodi vis omnibus materiæ punctis impertitur: qua in hypotheſi vellem motus punctorum definiret Boſcovichius, curvamque ab ipſis deſcriptam. Quod ſi id minime potuerit, & curva certiſſime foret diverſa; illud vero fateatur neceſſe eſt, adeo nihil quidpiam ex hypotheſi geometrica pro ſua hypotheſi concludi poſſe, ut ambæ ſibi mutuo adverſentur, & oppoſitas requirant proprietates. Quod ſi aliquid concludatur, ex quo cohæſio, & non cohæſio corporis explicetur, id quidem totum æque, & multo quidem facilius ex alia mechanica hypotheſi demonſtratur, quæ adeo corporum naturis, & Univerſi conſtitutioni non adverſatur, ut ex ipſis quam evidentiſſime comprobetur.

72. Ex hac Analyſi, quam in curvam virium Boſcovichianam inſtituimus, ſatis evidenter apparet Boſcovichium, vel proprietates illius curvæ ignoraviſſe, vel certe attingere eas, & evolvere noluiſſe. Plures namque ipſius curvæ proprietates hypotheſes ab ipſo conſtitutas evertunt, idque poſitis adhuc viribus attrahentibus, aut repellentibus in ea ratione creſcentibus, quam maxime ipſe voluit Boſcovichius, reſque tota non ut revera eſt, ſed mechanice dumtaxat explicetur.

73. Quod ſi res tota phyſice declaranda fuerit, ut quidem eſt; quid erit, quod magis principiis metaphyſicis, & mechanicis adverſetur? Nam vis quæcumque agens, niſi ea deinceps in corpore exiſtat, concipi, & imaginari non poteſt. Atqui id evidenter inertiæ corporum adverſatur. Illud præterea æque opponitur principiis metaphyſicis, quod hujuſmodi vis agat in corpora diſſita maximis intervallis, idque nulla alia ſerie corporum conſtituta. In hypotheſi namque geometrica motus unius puncti ponitur, quod

vi

vi illa centripeta trahitur, aut repellitur, cujus vis, ſi phyſica quæratur origo; certe ea non niſi ex corporis impenetrabilitate petenda erit, quæ, uti ſupra monſtratum eſt, niſi in proximo puncti contactu, & contiguis nullo modo concipitur.

74. Sed quamquam hoc totum daretur, & vires in corpora diſſita agerent; in maximas tamen, & numquam ſuperandas difficultates incid itur in explicanda ratione, qua totus motus alteri corpori remoto communicatur. Nam vis tota in puncto ſimplici collocatur, vel puncto ſimplici adhærere concipitur. Quo ergo pacto diffundetur, & propagabitur? Neque vero id fieri poſſe intelligimus, quin vis una cum puncto transfundatur; quod quidem, etſi immobile conſtituatur, nihilominus moveatur, atque in diverſas etiam partes moveatur, ſi duo puncta intra ſphæras oppoſitas attractionum collocentur. Quod quidem abſurdum per ſe patens, & manifeſtum eſt. Ex quo evidenter perſpicitur, mechanicas hypotheſes, & geometricas ad Phyſicam transferri nullo modo poſſe, niſi vis præterea, quæ in hypotheſi mechanica ponitur, certiſſime in orbe terrarum adſit, nec tota virtutis transfuſio, & communicatio Univerſi leges, & rationes contradicat. Omitto infinitas alias rationes, ex quibus totum Boſcovichii ſyſtema impugnatum, & rejectum fuit: ex quibus illud ſolum evidenter concluderetur, in illas nimirum cauſas phyſicas inquirendum fore, quæ motum illi puncto impertirentur, ſi proprietates omnes, quas animo intenderat Boſcovichius ex ſua hypotheſi geometrica, in Univerſo exiſterent, nec ex alia æque mechanica, at multo magis ſimpliciori hypotheſi conſequerentur.

75. In hac autem inſtituenda Analyſi nonnihil elementares notiones prætergreſſi ſumus; at res hujuſmodi erat, ut ſolis principiis metaphyſicis definiri vix poſſet. Quare tota hypotheſis evolvenda, & verſanda erat, id quod neminem hactenus feciſſe puto, ut planum, & perſpicuum fieret, quid maxime ex hypotheſi geometrica ſequeretur. Nam ſi quæ poſuit Boſcovichius, ea ex geometrica hypotheſi neceſſario deſcenderent, nec aliter poſſent obtineri;

illa

illa quidem retinenda forent: quamquam non ſatis conſtaret, & myſteriis involuta eſſet ratio, ex qua illæ corporum proprietates peterentur. Quare dabunt, opinor, Tirones veniam, qui ſi minus rem omnem comprehendant, agnoſcent ſaltem proprietates illas, quæ ſolæ ex hypotheſi geometrica conſequuntur, deque tota ſyſtematis Boſcovichiani veritate poterunt judicare.

CAPUT IV.

De elementis corporum compoſitorum, & natura, deque ſancta continuitatis lege.

76. Elementa corporum ea ſunt entia ſimplicia, quæ & in ſe ſubſiſtere poſſunt, nec altero indigent, in quo exiſtant, & ex quibus deinceps efficitur quidquid compoſitum in hac rerum univerſitate reperitur. Ineſſe itaque his quoquomodo debent proprietates illæ omnes, ex quibus conſtant entia omnia, quæ ipſum compoſitum conſtituunt, ſi illas excipias, quæ ſolum ex apta partium diſpoſitione, & conjunctione oriuntur. Quocirca jure cenſuit Leybnitius, corpora omnia totidem veluti numeros admodum compoſitos, & innumerabilibus, & pene infinitis conſtantes partibus conſideranda, & accipienda fore. Quare cum numerus quilibet compoſitus in totidem unitates reſolvi poſſit, omnia profecto corpora prima quædam habent elementa, in quæ iterum reſolvi poſſunt, & ipſius generis ſunt, & eſſe debent, ac in compoſito numero unitates.

77. Hæc autem elementa *monades*, ſive *unitates* Pythagoram imitatus appellavit Leybnitius, easque vi quadam conſtare voluit, qua hoc Univerſum obſcure admodum, ac ſine ulla perceptione repræſentaretur. Ineſſe ipſis deinceps principium quoddam internum, ex quo ipſarum omnes mutationes orirentur, nec alteras in alteras phyſice influere poſſe, nec binas ſibi ex omni parte ſimiles eſſe; pollere autem appetitu quodam, & id genus alia plura; quæ omnia obſcuriſſima ſunt, & vel opponuntur proprietatibus corporum, vel eas ſaltem ambiguis admodum, & obſcuris vocibus exhibent.

To-

Totum autem Leybnitii ſyſtema eo ordinatum eſt, ut actiones mutuas ſpiritus, & materiæ explicaret. Num recte, videbimus ubi de Animæ, corporiſque commercio. Interea, nec rejicimus, nec probamus omnia.

78. Quare dicimus entia ſimplicia, ſive monades exiſtere poſſe, quæ careant, & extenſione, & figura, & magnitudine determinata, & inteſtino deinceps motu ferantur, qui tamen motus, & vis, quæcumque fuerit, ea certe non ex ipſa entium natura proficiſcitur, ſed externis tantum cauſis debetur; quemadmodum ubi de virium corporearum origine demonſtravimus. Ex quo jam intelligitur, omnia entia ſimplicia nonniſi de nihilo fieri, & procreari poſſe, neque interire propterea, niſi in nihilum abeant, atque idcirco natura ſua immortalia, & ſempiterna fore.

79. Rem autem ita ſe habere ex compoſitione corporum evidentiſſime declaratur. Nam quod compoſitum eſt, id quidem in ſuas denuo partes diſcerpi, & diſtribui, & dividi, & ſeparari poteſt. Quod ſi entia ſimplicia partes haberent, certe compoſita; quæ idcirco rurſus in alias dividi poſſent, atque hæ rurſus in alias, donec ad illam tandem perveniatur, quæ amplius nec a Deo quidem ipſo dividi, & diſcerpi queat. Quod quidem argumentum ita meo judicio robuſtum, & efficax eſt, ut evidens prorſus videatur. Ex quo perſpicuum eſt, entia omnia, ex quibus tamquam partibus *ultimis* compoſitum coaleſcit, ſimplicia prorſus, & ſingularia eſſe oportere.

80. At neque minus efficax alterum argumentum credendum eſt. Nam poteſt Deus partem minimam a corpore ſeparare. Quis enim hoc neget, aut in dubium verrat? Neque vero in hoc elucet repugnantia, aut aliqua contradictio; & omnes igitur; atqui partes illæ ſimplices prorſus eſſent; nec enim minimæ, ſi compoſitæ fuerint; igitur, & entia conſtituentia compoſitum quodvis, & ſimplicia ſunt, & dici omnino debent.

81. Nihilominus plura declaranda ſunt, ne in ipſa luce, atque evidentia nihil videre, & cæcutire, quodammodo videamur. Et primo quidem quodlibet corpus in duas partes omnino æquales dividi, & diſcerpi poteſt; quod certe

te nullo modo eveniret, ſi quodvis compoſitum ex elementis tantum ſimplicibus coaleſceret. Impari enim exiſtente elementorum numero inæquales eſſent partes, in quas compoſitum reſolveretur. Hoc autem argumentandi genus nullius ſane roboris, & momenti eſt. Neque enim de partibus mathematicis mathematicum corpus conſtituentibus, ſed de phyſicis tantum loquimur. Partes autem phyſicæ, ex quibus phyſicum corpus conſtituitur, non infinitæ illæ quidem ſunt, ſed prorſus finitæ, quemadmodum in Phyſica generali monſtratur, quæ propterea inæquales eſſe poſſunt, nec corpus phyſicum omne in duas phyſice partes prorſus æquales diſtribui poteſt. Quod ſi de partibus mathematicum corpus conſtituentibus, tantum loqui velimus, quid certius, aut evidentius eſt, quam corpus omne mathematicum in duas æquales omnino partes diſcerpi poſſe? Sunt enim partes infinitæ, & corpus quodcumque mathematicum conſtat partibus infinitis, ac propterea in duas æquales omnino partes dividi poteſt, ſive numero impari, ſive pari particularum conſtet. Namque illæ duæ quantitates inter ſe differrent ſolum quantitate minima, quæ ad eas nullam haberet rationem datam; atque idcirco ratio tota æqualitatis eſſet, quemadmodum ex Geometria certo certius habetur. Sic infinitum, cui una tantum adderetur unitas, in duas phyſice partes æquales nullo modo diſtribueretur; diſtribueretur autem mathematice, quia exceſſus unius partis ab alia haberet rationem quacumque data minorem, adeoque tamquam omnino æquales haberentur, quod certiſſimum ex Geometria eſt.

82. At multo robuſtiora ſunt alia argumenta ex ipſa Geometria petita; quæ idcirco in medium proferre lubet, ut geometrica principia, quæ certe metaphyſica ſunt, luculentius pateant, & quomodo ea intelligenda ſint aperiatur, atque in Phyſicam, & Metaphyſicam transferenda.

83. Et primo quidem fig. 6. ex lateribus AB, BC cujuſvis trianguli poſſunt duci parallelæ ad baſim; igitur omnia triangula, ſi puncta linearum indiviſſibilia fuerint, Iſoſcelia erunt. Similiter ſi deſcribantur infiniti circuli concentrici ACB, & AQD fig. 7. ex omnibus punctis poſterioris circuli duci poterunt

terunt lineæ, quæ interſecari non poterunt, niſi in centro. Ex quo ſequitur vel tot puncta tam in majori, quam in minore circulo contineri; vel circulorum puncta indiviſibilia conſtitui nullo modo poſſe, ſed fore ſemper diviſibilia etiam ultra infinitum. Verum hæc, & ſimilia non magni momenti ſunt, nec maximum negotium faceſſunt. Neque vero quiſpiam ſibi perſuaderi poterit, tot puncta in inæqualibus lineis, & circulis inveniri; idque cujuſcumque generis puncta illa concipiantur. Quare hoc totum phyſice obtineri nullo modo poſſe dicimus, metaphyſice autem, & geometrice omnino poſſe. Etſi enim puncta geometrica indiviſibilia ſint, ſi ad illud compoſitum cujus elementa ſunt, referantur, infinitas tamen inter ſe rationes habent, quæ ex ſitu præſertim linearum ducuntur. Nam quid prohibet, quominus punctum aliud alio majus imaginetur, & quodcumque punctum etiam indiviſſibile immaginatione, & cogitatione noſtra in infinitas alias partes dividatur; atque hæ rurſus partes in infinitas alias? At phyſice id quidem ſine dubio repugnat, & ad illas tandem phyſicas partes deveniendum eſt, quæ amplius diſtrahi, & ſeparari minime queant, ſive numero infinitæ, ſive finitæ ponantur.

84. Ut enim compoſitum metaphyſicum in partes quaſvis noſtra cogitatione diſcerpitur, quin illæ partes ſeparatæ ſint, & compoſitum phyſice diſtrahatur, ſic & punctum quodquumque etiam individuum, & ſimplex geometrice, & metaphyſice dividitur, quin punctum phyſice diſcerptum ſit, & in partes phyſice diſtributum. Si quis autem alterum ex altero necteret, & deduceret non ne in apertum paralogiſmum laberetur? Quare omnis ſæpe punctorum magnitudo, id quod prope conſiderandum, ex ſitu, non autem ex vera magnitudine quantitatum in Geometria ducitur. Quo fit, ut partes, quæ magnitudine, non autem ſitu differunt, pro æqualibus habeantur. Et vero numquam illæ quantitates, quæ ſitum ipſum habent inæquales in Geometria poterunt inveniri, niſi diverſas habuerint magnitudines. Sic ſi triangulum Iſoſceles conſtituatur, ideo ex omnibus punctis laterum poſſunt duci parallelæ ab baſim, quia latera AB, BC æqualia ſunt. Tota enim ſitus ma-

magnitudo evaneſcit, vel eadem in utriſque eſt. Idem in circulo accidit cujus omnis varietas ex diverſitate angulorum pendet; qui immutabiles ſunt, quæcumque fuerit ipſorum baſis, dummodo ſitus ipſe, & inclinatio eadem habeatur. Quare ſitus magnitudo, a vera magnitudine quantitatis diſtinguenda eſt, ut perſpicere, & intelligere plane poſſimus, quid maxime demonſtretur. Quo ſi utamur criterio facile diſſolvetur alterum argumentum contra punctorum indiviſſibilitatem ex ipſa Geometria petitum, quod numquam diſſolvendum videbatur.

85. Fiat ergo fig. 8. parallelogrammus, & ducantur ex omnibus punctis linearum æqualium quotquot duci poſſunt lineæ invicem parallelæ AB, MO, NL. Tum diagonalis DC. Primum quæro num diagonalis DC ſecet in unico puncto lineas omnes parallelas, an ne in pluribus. Si primum ergo linea DC æqualis erit DQ, quæ ſimiliter ſecat omnes lineas parallelas in unico atque individuo puncto. Si ſecundum, ergo linea recta CD rectam AB, non in uno ſed in pluribus punctis ſecabit, atque ex unico, atque individuo puncto D plures rectæ æquales ad lineam rectam duci poterunt: quo conſtituto Geometriæ fundamentalia theoremata labefactantur, & corruunt.

86. Verum hoc quidem argumentum, ſi quid probat, hoc certe probat, ipſum nempe punctum, & individuum diverſas habere poſſe rationes, ſi ad lineas diverſimode poſitas referatur. Quo fit, ut ipſum punctum, & individuum non ipſam ſitus magnitudinem obtineat. Punctorum quippe ſitus & lineæ unicus, atque individuus eſt; id quod ex Geometria evidentiſſime conſtat. Ecquis autem ignoret, quin ſitus lineæ AB diverſas rationes induat, ſi ad lineam DQ potius, quam ad lineam CD referatur? Ex quo ſolum jam intelligitur, puncta R, & B, quæ ſecantur a lineis DC, & DQ ejuſdem generis minime fore, nec æqualia prorſus, & individua, nec ipſam habere ſitus magnitudinem, ſi duabus illis lineis non æque inclinatis comparentur. Quare fit, ut punctum aliud alio majus ſit, & majori quodammodo ſpatio complectatur. Hoc autem certum eſt, poſita duarum linearum DQ, DC inclinatione.

87. Nam

87. Nam ſi fingamus puncta R, & B æqualia, & individua fore, ipſamque ad lineas DC, & DQ rationem habitura: nonne duæ illæ lineæ DC, DQ invicem parallelæ erunt? Quod ſi parallelæ nonne item æquales, & æque ſecabunt lineas omnes parallelas? Quodſi inæquales, nec parallelæ fiant, jam puncta illa diverſa fiunt quodammodo, nec aliud alio conferri poteſt, quia differunt ſitus magnitudine, & certiſſime rationes diverſas induunt; quæ quidem cum per ipſa puncta explicari, & repræſentari nequeant, per ſpatiorum varietatem aptiſſime quidem exprimuntur. Quapropter puncta R, & B lineæ AB non ſunt profecto ejuſdem generis, niſi ſecentur a lineis ejuſdem generis, ipſumque ſitum habentibus, nec per ipſas propterea quantitates exhiberi poſſunt, nec ipſis ſpatiis, quam accuratiſſime reſpondere. Id quod tamen certiſſime monſtrandum erat, ut quidpiam ex hac geometrica hypotheſi contra punctorum ſimplicitatem deduceretur. Neque vero in præſentia in illam punctorum quantitatem inquirimus, quæ ex punctorum ſitu potiſſimum ducenda eſt, de qua tamen agemus capite ſequenti, punctorumque, & virium mechanicarum rationes declarabimus, quæ ex diverſa ſolum ſituum mutatione proficiſcuntur. Nunc vero in illam ſolum corporum magnitudinem inquirimus, quæ propria punctorum eſt, quæque ex ſola ipſorum quantitate pendet. Itaque a ſitu corporum abſtrahimus, vel illam nullo modo computamus magnitudinem, quæ ex diverſa punctorum inclinatione originem ducit: quia duæ hypotheſes inter ſe differunt, nec altera pro altera obſtrudenda eſt.

88. Et vero ſi punctum, vel ſola ipſius puncti magnitudo contempletur; ea certe nullo modo variatur, aut perturbatur, & eadem proſus perſeverat, ad quamlibet tandem lineam referatur. Unicum nec diverſi generis punctum eſt, nec majus, aut minus reperitur. Quod quidem ſi ſolummodo conſideretur, illud vero neceſſe eſt, ut ſi linea DQ ſecet lineam AB in unico, atque individuo puncto B, non niſi in duobus punctis ipſam ſecet linea CD, atque per illam quodammodo progrediatur; eoque magis, aut minus, quo major, aut minor fuerit linearum inclina-

tio

tio. Ex quo ſi quis voluerit lineam in duobus, vel tribus punctis ſecari poſſe, ei ne contradicimus quidem, dummodo lineæ diverſam directionem habeant, nec ſint ad illud punctum perpendiculares. Neque enim alia de cauſa curvæ poſſunt lineas rectas in plurimis punctis ſecare, quemadmodum ex ipſa Geometria pro comperto habemus, niſi quia curvarum puncta non ipſam inclinationem præ ſe ferunt. At quia rectæ omnes, vel rectarum omnia puncta ipſam directionem obtinent, ſintque propterea ad ipſum punctum lineæ perpendiculares, ipſamque prorſus directionem, & inclinationem ad ipſum obtineant, hinc fieri nulla ratione poteſt, ut illæ ſecent aliam rectam in duobus punctis, niſi hypotheſi repugnetur, quemadmodum in Geometria habetur.

89. Hoc tamen non impedit, quo minus duæ rectæ duci poſſint ad punctum R lineæ AB, quod majus quoquomodo concipitur, ac punctum B, nec ipſum, atque individuum ſpatium occupat, ſi non ipſam ac linea CD habeant directionem. Quare cum dicimus lineam rectam ſecari non poſſe, niſi in unico, atque individuo puncto, nec plures rectas a puncto ad punctum duci; nihil aliud ſane intelligimus, niſi lineas ejuſdem generis, quæque ipſam directionem obtinent, æque ſecare alias lineas, ipſumque idcirco lineæ puncta ſaptium complere, eandemque propterea rationem obtinere. Quod quidem ex eo vel maxime perſpicitur, quia omnes proprietates, quæ in lineis ejuſdem generis, & ſimilibus, quæque ipſum ſitum, & directionem obtinent, geometrice demonſtrantur, non niſi ex quantitatibus veris corporum repetantur. Itaque quantitates omnes, ſive magnitudines æquales ſunt, quæ continent æqualem particularum numerum, quæ vero inæqualem prorſus inæquales. Cur ita? quia tota magnitudo quantitatum in hac hypotheſi ex ſola punctorum magnitudine, & quantitate pendet. Reliquis autem hypotheſibus, quia diverſæ ſitus magnitudines obtinentur, quæ cum veris, & abſolutis corporum quantitatibus confundi ſine paralogiſmo non poſſunt, diverſæ omnino proprietates demonſtrantur, ut punctum puncto nullo modo reſpondeat, nec ipſæ affectiones, & modificationes habeantur,

tur, quia tota ſitus magnitudo variatur, nec corporum quantitatibus reſpondere poteſt, nec per ipſa corpora declarari. Quapropter inſipienter ageret, qui ex una hypotheſi in alteram tranſiliret, atque id totum, quod in altera hypotheſi confectum videt, ſimiliter in altera hypotheſi valiturum judicaret. Sunt enim hypotheſes inter ſe diverſæ, & principia plane diverſa, ex quibus diverſæ in corporibus magnitudines proficiſcuntur, quas ſi quis permiſceret invicem, atque confunderet; is certiſſime in errorem rueret voluntarium.

90. Ex his itaque duabus, & diverſis hypotheſibus geometricis, quarum altera illa magnitudo corporum computatur, quæ ex eorum quantitate oritur, altera vero illa dumtaxat magnitudo, quæ ex ſitu punctorum, & diverſa linearum directione, & inclinatione originem ducit, univerſæ Naturæ myſteria reſerantur, quæ denſiſſimis antea tenebris revoluta erant. Sic enim hic terrarum Orbis ad leges Geometriæ accuratiſſime conformatus eſt, ut nulla ſit hypotheſis geometrica, quæ præcipuum non ſibi vindicet in Univerſo locum, quæque minime neceſſaria ſit ad leges, & rationes virium demonſtrandas, quibus omnes ipſius partes apte diſpoſitæ ſunt, & quodammodo invicem conjunguntur.

91. Quapropter tantum abeſt ab eo, ut quidpiam ex his duabus hypotheſibus geometricis contra punctorum indiviſſibilitatem arguatur, ut altera ipſa punctorum indiviſſibilitas declaretur, altera diverſæ punctorum ſimplicium affectiones, magnitudines, vires quam evidentiſſime demonſtrentur. Vires namque mechanicæ, quæ in punctis ſimplicibus concipi omnino poſſunt, omniumque virium mechanicarum rationes, & leges, id quod nos primum in Diſſertatione Mantuana confeciſſe putamus, non tam ex quantitatibus, & proprietatibus corporum, quam ex ipſorum ſitu, & diverſa eorumdem relatione petendæ ſunt. Nemini itaque mirum videri debet, quod ſummus Geometra Nevvtonus, qui omnium fortaſſe primus mechanicas theorias in Phyſicam tranſtulit, quique totam virium quantitatem, & rationes ex natura corporum, & qualitatibus demonſtravit, in infi-

nitas pene difficultates inciderit, & geometricis non minus principiis, quam metaphyſicis repugnaverit. Vis enim, & omnis ipſius quantitas, & magnitudo, & virium omnium veræ rationes, & leges, tum ſolum ex ipſa quantitate, & qualitate corporis originem ducunt, cum corpora ipſam directionem obtinent, & æqualiter collocentur. Quod ſi diverſas directiones habuerint; tota profecto virium quantitas, id quod ex altera geometrica hypotheſi pro comperto eſt, ipſarumque virium rationes, & leges ex ſitus tantum diverſitate ducendæ ſunt. Itaque corpora ipſa non ipſas vires obtinent, neque ipſis legibus, & rationibus ſubjiciuntur; dummodo directione differant, & inæqualiter applicentur. Atque in hoc quidem totum noſtrum phyſicum ſyſtema innititur ad veras, & phyſicas Univerſi leges, & rationes demonſtrandas: quod quidem tam certum, atque evidens exiſtimo, quàm certum ex Geometria ſit, magnitudines quantitatum nón tam ex corporum natura, & qualitatibus, quam ex ipſorum ſitu, & directione petendas eſſe. Hoc autem, quod in viribus mechanicis geometrice demonſtratur, a quibus omnia Naturæ phænomena pendent, omniumque phænomenorum rationes, & leges, æque valet in viribus metaphyſicis, quemadmodum capite ſequenti declarabimus. Quod quidem cum a Mathematicis neglectum fuerit, qui motus metaphyſicas proprietates tradidere; mirum profecto non eſt, quod illas dumtaxat motus æquabilis leges demonſtraverint, quæ obtinent, cum virium tota magnitudo ex ſola corporum quantitate oritur; cumque præterea illas leges ceu communes, & univerſales traduxerint; certiſſimis idcirco theoriis evidentiſſime repugnarunt, nec ſatis conſtanter in motus æquabilis natura definienda loquuti fuerunt, quemadmodum in opuſculo noſtro de vera, & neceſſaria motus accelerati theoria obſervavimus.

92. Denique obſervandum eſt inter duo puncta ſimplicia nullum aliud ens ſimplex collocari poſſe. Quod ſi collocaretur, certe non niſi in loco unius, vel alterius exiſteret. Neque vero concipitur medium in eò, quod omnino ſimplex, nec dividuum prorſus concipitur. Id enim totum ad res dividuas, nec ſimplices referendum eſt, inter quas medium

dium quoddam intelligimus. Nihilominus hoc totum titillat animam, nec clare omnino perſpicitur. Uſu namque, & conſuetudine communi facimus, ut quod fieri videmus, & oculis aſpectamus, id æque ſemper fieri, atque in omni etiam hypotheſi valiturum putemus. Sed altius animus elevandus eſt, nec æque de rebus ſenſibilibus, & inſenſibilibus judicandum erit, ne in plurimos errores dilabamur.

93. Verum hæc quidem hactenus de punctorum ſimplicitate. Illud vero argumentum prætereundum non eſt, quo uſus fuit in Boſcovichium, Scarella; ex quo ſi minus punctorum ſimplicitas impugnatur, extenſionem ſaltem corpoream ex his punctis ſimplicibus oriri non poſſe, quoquomodo efficitur. Nam ſi plures, inquit, inextenſæ ſubſtantiæ poſſent efformare compoſitum; cur non æque plures Spiritus? Ideo namque hoc per entia ſimplicia fieri poteſt; quia ex ipſis compoſitum efformatur. Atqui nihil etiam obſtat, & impedit, quominus ſi plures Spiritus conjungantur, hoc ipſum compoſitum extenſum efformetur; quid igitur reſtat, niſi vel utrumque affirmemus, aut utrumque negemus? Illud autem abſurdum; hoc igitur verum. Hæc quidem Scarella, cui facile reſpondetur, ſi diverſa compoſitionis genera diſtinguantur.

94. Neque enim nos dicimus, ea ſolum de cauſa entia ſimplicia eſſe corporum elementa, quia ex ipſis extenſum quoquomodo efformatur, ſed quia ex ipſis potiſſimum efformetur compoſitum corporeum, natura ſua impenetrabile, mobile, ſolidum, & id genus alias proprietates habens, quæ in extenſo non caderent, quod ex plurimis ſpiritibus coaleſceret.

95. Quocirca entia ſimplicia veluti totidem corporum elementa habentur, tum quia ex ipſis compoſita efficiantur, tum quia ea illas ipſas proprietates, & affectiones, ac corpus habeant, impenetrabilitatis nimirum, inertiæ &c.; quas certe proprietates numquam habebunt animæ, etiamſi plures conjungerentur; nec enim materia erunt, nec impenetrabiles, nec mobiles, nec vi cogitandi deſtituentur, nec vires illas propterea habebunt; quæ ſoli materiæ conveniunt. Accedit eodem, quod animæ hoc modo conjungi

 nullo

nullo pacto poſſunt, niſi vis ipſis inferatur, agaturque contra ipſarum naturam. Entia autem ſimplicia natura ſua ita conjunguntur, ut alia extra alia exiſtant, extenſumque efforment, nec niſi ipſis vis inferatur, & contra ipſorum naturam operetur, ſecus conſtitui nullo modo poſſunt. Quod ſi nihilominus plures animæ conjungentur, extenſum ex illa conjunctione oriundum, nec corporeum eſſet, nec in ſenſus corporeos umquam incurreret, nec vi illa polleret, quæ in extenſo, ex entibus ſimplicibus orto, reperitur; quæ omnia neceſſaria eſſe dicimus, ut res corporum elementa dicantur.

96. Corpus igitur omne in alia corpuſcula dividitur, quæ eo primæva corporis elementa dicentur, quia proximius corpora omnia in totidem entia ſimplicia reſolvuntur. Cujus generis ſunt Epicuri, & Gaſſendi atomi, ſi, quemadmodum ab ipſis confinguntur, exiſterent. Derivativa autem elementa corporum dicuntur, cum ea viciſſim in alia corpuſcula dividuntur, quæ ulterius dividi queunt; at difficulter admodum, & vix arte, & induſtria hominis. Cujus generis conſtituenda ſunt corporum chemica elementa, quæ amplius dividi, & ſeparare Hominum arte, & induſtria non poſſunt, de quibus egimus in Phyſica generali.

97. Ex his omnibus, quæ huc uſque diximus, & demonſtravimus, jam clare omnino perſpicitur, non poſſe corpus ab una magnitudine in aliam tranſilire, quin tranſeat per omnes gradus intermedios. Atque in hoc quidem tota continuitatis lex poſita eſt, quæ violari certe in Natura non poteſt, quam ampliſſima deinceps inductione Boſcovichius demonſtravit. Quocirca corpora nec ab uno ſpatio in alterum, nec ab una directione progrediendo in alteram tranſilire poſſunt; multoque minus vires, & velocitates, quæ creſcunt, vel minuuntur in quadam ſpatiorum ratione, augeri prorſus, aut imminui, quin per omnes gradus intermedios tranſiverint.

98. Atque hinc etiam evidentiſſime conſtat, ſingulis corporum punctis, ſi ea ſimplicia nullo modo fuerint, eodem temporis momento vim, & velocitatem communicari non poſſe; eget namque potentia quodam tempore, ut vim ſuam

ſuam in diſſita intervalla transfundat, ne ſpatium aliquod ſine aliquo tempore percurratur: motus namque inſtantaneus, ſeu unius rei ab uno in alium locum translatio ſine aliquo tempore omnino repugnat.

99. Ex quo tamen minime, opinor, concludendum, velocitatem, & vim corporis temporis momento augeri, & imminui nullo modo poſſe. Nam cum velocitas, cui vis corporis reſpondere poteſt, ſit quantitas relativa, eoque major, vel minor, quo majus, vel minus ſpatium tranſigatur; nihil profecto obſtare poterit, quominus temporis momento augeatur, vel minuatur. Quod enim ſpatium tempore duplo percurritur, poteſt & ſimplici, præſertim ſi vi dupla ad motum corpus urgeretur. Quod ſi velocitas, aut vis, qua corpus urgetur gradatim augeretur; certe tunc fieri nulla ratione poterit, ut corpus maxima ſpatia conficiat, quin prius omnia intermedia percurrerit, & poſtremam, quin primam induerit velocitatem, obtinere.

100. Hæc autem noſtra theoria, quæ veriſſima, & evidentiſſima eſt, etiam virium variabilium theoria vel maxime confirmatur: ex qua hæc duo quam evidentiſſime conſequuntur: alterum nempe temporibus æqualibus a viribus variabilibus non ipſam, nec æqualem vim corporibus imperti-ri; alterum vim potentiæ gradatim augeri, nec maximam temporis momento comparari; nec enim corpus vi variabili actum, & impulſum ſine tempore, & quin omnia prius ſpatia percurrerit, ad poſtremum ſpatium pervenire poteſt. Neque vero Makus audiendus eſt, qui leges illas motus in Natura non accurate obtineri poſſe reſpondet. Satis ſiquidem eſt, ut ad illas quam proxime accedant, nec quidpiam præterea obſtat, aut impedit, quominus ita corporis motus augeatur. Tota deinceps Nevvtoni cœleſtis theoria, quam ipſe Makus veriſſimam habet, in viribus variantibus in inverſa quadratorum diſtantiarum ratione a centro Solis ſita eſt. Quid? Si ad id plane ſufficiat, ut illæ hypotheſes poſſibiles ſint; vel ſaltem tota illa motus variatio? atqui nullus eſt, qui de hypotheſeon mechanicarum poſſibilitate dubitare poſſit, quod unum ſatis, ſuperque eſt, ut velocitas corporis temporis momento augeatur, &

major, & minor generetur. Quid ad hæc Makus reſponde-re poſſet?

CAPUT V.

De diverſis vis inertiæ magnitudinibus, & rationibus, deque legum mechanicarum variatione adhuc poſito motu æquabili, & uniformi.

901. Quamquam vis inertiæ nihil aliud ſit, quam corporum indifferentia, ſive vis quædam retinendi ſtatum, quem habent, ſive motus, ſive quietis fuerit; eaque in omnibus, & ſingulis materiæ punctis reperiatur, quibus & inſidet, & quodammodo inhæreat; cave tamen putes, ſic eam omnibus punctis materiæ accuratiſſime reſpondere, ut in omnibus æqua inertiæ quantitas, & magnitudo in quacumque hypotheſi reperiatur. Hujuſmodi autem vis, quemadmodum omnes quantitates, quamquam ex immutabili corporum natura, atque eſſentia proficiſcatur; ejus tamen naturæ eſt, ut variari, & perturbari queat, nec æque in omnibus corporibus reperiatur, nec ejuſdem generis, & magnitudinis habeatur.

102. Hoc autem variationis genus, quod in vi inertiæ non minus, quam in punctis omnibus ſimplicibus, & geometricis concipitur, ejuſmodi eſt, ut cum immutabili corporum, & invariabili natura conjungatur. Totum namque, quantum eſt, totum inquam non ex corporum natura, & quantitate pendet, ſed ex diverſis directionibus, & variabilibus quidem in infinitum, quibus certiſſime ipſa corpora collocari poſſunt; quibus tamen vere effici poteſt, ut omnis vis inertiæ magnitudo, & quantitas varietur, ſicut punctorum geometricorum, & indiviſſibilium magnitudo, & major, & minor evadat, atque adeo prorſus minima, & infinita fiat, & diverſis legibus, & rationibus ſubjiciatur.

103. Quapropter duplex in vi inertiæ, quemadmodum in viribus mechanicis, magnitudo perpetuo diſtinguenda eſt; quarum altera perpetuo conſtans, & invariabilis eſt, & corporibus deinceps accurate reſpondens; altera mirum in modum variabilis, ipſis corporibus permanentibus, quibus pro-

propterea proportionalis eſſe non poteſt. Et illa quidem habetur, cum ipſa corporum directio eſt; hæc vero, cum diverſa ſit: quæ propterea a vera corporum magnitudine differt: quippe quæ ex diverſis principiis oritur, nec ſine paralogiſmo ex ſola natura corporum repetenda. Ex quo etiam palam eſt, nec ipſas motus quantitates, nec rationes ipſas, nec leges obtineri poſſe, dummodo ſitus corporum perturbetur; eumque certiſſime in errorem labi, qui ab una hypotheſi in alteram tranſiliret. Principium quippe certum, & mechanicum eſt, vim corporis, ſive ipſius motum non minus ex vi, & magnitudine inhærente maſſæ, omni vi deinceps præter inertiæ vim deſtitutæ, quam ex velocitate coaleſcere, ut altero ex his elementis variato, tota vis, & motus quantitas perturbetur, nec eadem prorſus perſeveret.

104. Atque hinc infinitæ propemodum motus leges, & rationes aſſurgunt, quæ obtineri poſſunt, poſito adhuc motu æquabili, & uniformi. Nam ſi vis inertiæ magnitudo ex ſitu, & directione pendeat, atque adeo ex diverſa a centro diſtantia, ad quod motus corporum referuntur; quid erit certius, aut magis exploratum, quam virium rationes, & leges immutari, variata ſolummodo corporum directione? Neque enim ex alio principio infinita illa legum, & rationum in viribus varietas, & multitudo originem ducit, quæ in Mechanica poſito *motu indirecto* geometrice demonſtrantur. Quare errat, & a veritate deflectit Alembertus, quemadmodum in opuſculo noſtro *de vera, & neceſſaria motus accelerati theoria* omnium primi obſervaviſſe credimus, qui in eo motum æquabilem ab accelerato diſtinguit, quia linea hujuſmodi motus exhibens ad primum gradum in prima hypotheſi, ad ſecundum vero in altera referenda foret; quaſi vero per legum diverſitatem motus æquabilis ab accelerato diſtingueretur, & vires corporum, quæ motu prorſus æquabili propelluntur, conſtantem, & fixam rationem in omni motus æquabilis hypotheſi obtinerent, nec ipſorum vires fieri poſſent, ut corpora in velocitatis quadratum. Quapropter diverſæ motus hypotheſes perpetuo diſtinguendæ ſunt, ſi vera motus principia intelligere, &

demonſtrare velimus. Vis enim tota variatur variata ſolum corporum directione.

105. Ex infinitis autem hypotheſibus, quæ & legibus, & diverſis virium rationibus inter ſe differunt; in quibus tamen omnibus motus æquabilis obtineri poteſt; duas ſolummodo hic ſelegimus; in quarum altera tota vis inertiæ, ſive maſſæ vis corporibus accurate reſpondeat, omniſque ipſius magnitudo, ex corporum ſolummodo quantitate repetatur; in altera vero vis maſſæ, ſi minus corporibus accurate reſpondeat, conſtantem ſaltem, & fixam ipſo perſiſtente motu, rationem obtineat. Quæ enim his duabus hypotheſibus monſtrata fuerint, ea facillime aliis hypotheſibus applicari poterunt, & principium illud mechanicum in aperto lumine collocabitur, diverſitatem nempe legum, & multitudinem, quæ geometrice in Mechanica, poſito *motu indirecto*, demonſtrantur, non tam ex vera variatione virium, quam ex variatione directionum repetendas fore, eaſque ſæpiſſime in Viribus Univerſi reperiri. Has vero duas hypotheſes totidem propoſitis theorematibus declarabimus. Quare ſit

THEOREMA I.

Fig. 9. *Si duo corpora motu prorſus æquabili, & directionibus parallelis moveantur, ipſorum vires erunt ut quantitates motus.*

DEMONSTRATIO.

106. Sint igitur duo corpora M, & N, velocitates V, & u, ſpatia confecta Aa, $Bb = S$, & s. Jam cum corpora directionibus parallelis moveantur; omnis profecto vis, & magnitudo, quemadmodum monſtratum eſt, corporibus reſpondebit: quippe quæ differre niſi quantitate non poſſunt; cumque præterea omnis motus quantitas ſit ut factum ex vi corporis & velocite, hæ duæ certe valebunt æquationes, ſi vis corporis M vocetur A, & illa cor-

corporis $N = B : A = MV$, & $B = Nu$, quare erit $A : B : : MV : Nu$.

107. *Coroll.* 1. Si $A = B$, erit $MV = Nu$: igitur hæc alia conſurget proportio $M : N : V : u$. Ergo ſi corpora fuerunt æqualia, velocitates etiam æquales erunt, & contra. Similiter quia $V : u : : Aa : Bb$; erit etiam $A : B : : M.Aa : N.Bb$: igitur ſi $A = B$, & $M = N$, ſpatia item confecta æqualia erunt; cumque præterea tempora æqualia ponantur, erunt in hac hypotheſi tempora non minus ut velocitates, quam ut ſpatia percurſa.

108. *Coroll.* 2. Si $A >$, aut $< B$, nec erit $MV = Nu$. Quare erit $A : B : : MV : Nu$.

109. *Coroll.* 3. Si velocitates corporum fuerint æquales, erunt illorum corporum vires, ut maſſæ, ſive inertiæ vires; quæ ſi æquales ponantur, erunt etiam ut velocitates.

110. *Coroll.* 4. Si velocitates corporum inæquales fuerint, ſive vires A, & B æquales, ſive inæquales ponantur, tempora profecto, quibus æqualia ſpatia currerentur, inæqualia forent. In hac ergo hypotheſi, alio mechanico theoremate utendum erit, quo tempora fiunt in ratione directa temporum, & velocitatum inverſa; ex quo tota ratio inter tempus, & velocitates, & ſpatium confectum reperietur.

111. *Schol.* Incredibile dictu eſt, quantum ex hoc principio abuſi fuerint Mathematici, & quot ex eo errores originem duxerint, quemadmodum nos in opuſculo noſtro de vera, & neceſſaria motus accelerati theoria geometrice demonſtravimus. Neque enim principium univerſale eſt, nec in omni hypotheſi valiturum: quo propterea abſtinendum erit, niſi velocitates, & ſpatia temporibus reſpondere nequeant.

112. In hac itaque hypotheſi, in qua ſpatia, temporibus æqualibus deſcripta, inæqualia ſunt, hæ duæ habebuntur æquationes $V = \frac{S}{T}$, & $u = \frac{s}{t}$, quibus valoribus in prima proportione ſubſtitutis; hæc nova conſurget proportio

$$A : B : : \frac{MS}{T} : \frac{Ns}{t}.$$

113.

citates reperiantur, nec tota propterea ratio inæqualitatis eſſe poſſit; ſine quo æquatio mechanica ſecundum ordinem linearum attingere nullo modo poteſt. Num autem poſitis temporibus æqualibus vires fieri poſſint, ut ſpatia confecta, omniſque deinceps ratio velocitatis ad ſpatium inæqualitatis fieri poſſit, videndum eſt. Quare ſit

THEOREMA II.

Fig. 10. *Si duo corpora æqualia, vel inæqualia diverſis directionibus motu tamen æquabili urgeantur, ipſorum vires fieri nullo modo poſſunt ut motus quantitates, nec linea repræſentans vim ad primum linearum ordinem referenda erit.*

DEMONSTRATIO.

116. HOc theorema ex eo pendet, quod vis inertiæ magnitudo non poteſt in hac hypotheſi per maſſæ, ſive corporis quantitatem exhiberi. Itaque indiget elemento alio, quo declaretur, & cui proportionalis evadat: quod quidem in velocitatem ductum velocitatis quadratum exhibet. Nihilominus geometrice demonſtrandum eſt; ut id perpetuo conſtet, nihil prorſus in Geometria demonſtrari, quod ex principiis metaphyſicis nullo modo deſcendat, geometrica hypotheſi conſtituta. Sint igitur duo corpora M, & N quorum alterum M per AB alterum N per BC æquabiliter moveatur: quorum motus computandi ſunt, & leges, & rationes motus omnino demonſtrandæ. Ergo retentis iiſdem, quas ſupra, denominationibus, ex puncto *a* ducatur normalis *ab* in corporis N directionem BC. Jam cum vires inertiæ, ſive tota virium magnitudo ſit reciproce ut coſinus anguli inclinationis ad ſinum totum, erit vis corporis M $=$ M.B*a*, quæ ducta in velocitatem, erit A $=$ M.B*a*.V. Similiter vis corporis N $=$ N.B*b*, quæ multiplicata per *u*, erit B $=$ N.B*b*.*u*. Quare A : B : : M.B*a*.V : N.B*b*.*u*.

117. *Coroll.* 1. Si B*a* $=$ B*b*, duæ lineæ BA, & BC parallelæ erunt, & tota quanta eſt vis inertiæ magnitudo corpori-

poribus proportionalis fiet. Nulla quippe ratio ſufficiens eſt, quæ vim inertiæ augere poſſit, vel minuere. Itaque tota hypotheſis evaneſcit, & ſuccedit altera, eoque leges ipſæ, & rationes, quæ in altera, monſtrabuntur, ſi fiat diviſſio per $Aa = Bb$.

118. *Coroll.* 2. Si $Ba >$, aut $< Bb$, hæc hypotheſis in alteram converti minime poteſt, nec ipſæ propterea leges virium, & rationes monſtrabuntur. Cur ita? Quia ſitus quantitas diverſa eſt, nec repeti poteſt magnitudo vis ex corporum fixa, & individua magnitudine. Jam cum duo ſpatia Ba, & Bb inæqualia ſint, erunt utique in ratione compoſita temporum, & velocitatum, quæ quantitates in proportione ſubſtitutæ dabunt $A : B :: MV.VT : Nu.ut$;

ergo poſitis temporibus æqualibus erit $A : B :: MV^2 :$

Nu^2, hoc eſt vires ut velocitatum quadrata.

119. *Scholium*. Ex hoc theorema palam, & compertum eſt, hypotheſim Leybnitii, in qua vires æquabiles corporum fiebant in ratione compoſita ſpatiorum, & velocitatum, non eſſe in omni hypotheſi reiiciendam: quippe quæ in hac hypotheſi neceſſario valet, & geometrice demonſtratur. Illud vero erroneum, quod id univerſim verum ſit, poſito motu æquabili. Totum namque hoc pendet ex diverſa corporis magnitudine, quæ ſemper a vera corporum magnitudine diverſa eſt, niſi ipſam corpora obtinuerint directionem; eoque ſolum poſito *motu indirecto* obtineri poteſt, in quo ſitus magnitudo a vera corporum quantitate differt, nec alia, alia copulari poteſt.

120. *Corol.* 3. Si extrahatur radix quadrata, erit $\sqrt{A} : \sqrt{B}$

$:: V\sqrt{M} : u\sqrt{N}$, ſed quia $V = \frac{Ba}{T}$, & $u = \frac{Bb}{t}$;

erit $A : B :: \frac{M.Ba^2}{T^2} : \frac{N.Bb^2}{t^2}$, ſeu $A.T^2 : B.t^2 :: M.Ba^2 :$

$N.Bb^2$, ſed quia propter ſimilitudinem triangulorum Ba :

Bb

Bb : : BA : BC, erit etiam poſitis temporibus æqualibus

$A : B : : M.BA^2 : N.BC^2$.

121. *Scholium*. Si quis hanc demonſtrationem cum altera contulerit; is profecto perſpiciet, diverſas in utraque rationes, ex quibus oritur diverſus linearum ordo, reperiri, ut ſi altera ad primum linearum ordinem pertineat, non niſi ad ſecundum altera referatur, quia ſcilicet in altera, poſitis temporibus æqualibus, vires ſolum ſunt ut ſpatia confecta; in hac vero ut ipſorum ſpatiorum quadrata, quia in hac hypotheſi, quemadmodum Leibnitius poſuit, ſint ut ſpatium, hoc eſt, ut elementum corporis ſitum exhibens, & velocitates. Ergo ut vires corporum M, N æquales ſint, neceſſe prorſus eſt, ut inæqualia ſpatia percurrantur, etiamſi corpora æqualia ponantur. Quod quidem æque valet, ſive motus æquabilis, & uniformis ſit, ſive prorſus acceleratus. Ex quo tria, & maximi momenti corollaria deducuntur.

122. *Corollarium* 1. Ex diverſitate ſolum rationis, quam motus ſequi poteſt, perperam ipſius natura deducitur, quemadmodum poſuit Alembertus. Ipſe enim & inviduus motus, æquabilis, & uniformis diverſas rationes obtinet, nec per lineas ejuſdem generis exhibetur.

123. *Coroll.* 2. poſito motu æquabili corporis tota diverſitas, & rationum variatio ex ſola ſitus magnitudine pendet, minime vero ex vi motricis poteſtate; quæ quidem, ipſis corporibus manentibus, in infinitum variari poteſt, & major, & minor obtineri, variatis ſolummodo directionibus. Ergo errant, & quidem vehementer, qui variationem legum mechanicarum ex abſoluta corporum quantitate deducunt, ſituſque magnitudines, quas Geometria contemplatur, aut parvi ducunt, aut cum veris, & abſolutis quantitatibus confundunt, nec alias ab aliis ſeparant, nec diſtingunt. Quo fit, ut theoriæ invicem non ſolum opponantur, ſed metaphyſicis principiis adverſentur. Numquam enim magnitudo quantitatum cum ipſarum abſoluta quantitate confundenda erit, niſi tota ſitus magnitudo penitus evanuerit; numquam vero evaneſcet, niſi lineis parallelis propellantur

Digitized by Google

tur corpora, aut æque diſtent ab aliquo centro, ad quod ipſorum motus referantur. Hoc namque totum, quod de corporibus, diverſa directione actis, monſtratum eſt, æque obtinetur, & eodem modo monſtratur, ſi eorum vires ex aliquo puncto, ad quod referantur, neceſſario computentur, quemadmodum etiam de viribus mechanicis in Phyſica demonſtravimus, quæ ad aliquod centrum referrentur. Quare omnis ſitus theoria tanti momenti eſt, quanti virium mechanicarum theoria. Legum enim mechanicarum variatio, & multitudo non minus ex vera virium attrahentium natura, & qualitatibus, poſito *directo motu*, quam poſito *indirecto motu* ex diverſa ſitus magnitudine ducenda eſt. Et ſi quid præterea audendum eſt, etiam magis. Nam variatio vis, quæ oritur ex ipſa natura, & qualitate corporis, in Univerſo non obtinet, nec fortaſſe obtinere poterit, cum legibus corporum, & Univerſi ordini, & conſtitutioni adverſetur: quæ vero petitur ex variabili ſitus magnitudine perpetuo in Orbe terrarum obtinet, & quotidianis conſtat experimentis. Quis enim in dubium vertat, quin corpora alia in alia oblique agant, & diverſis ſæpiſſime directionibus applicentur? Ex quo ſi virium, & legum variatio oriri queat; ecquis erit, qui ita Nevvtoni premere veſtigia velit, qui unicam in hoc terrarum machinamento legem eſſe velit, eamque deinceps ex ſola corporum natura, & qualitate pendere, & quam accurate ſpatiorum quadratis reſpondere? Hoc enim totum purum putum, commentum eſt, quod nullo innititur fundamento, & omnia deinceps phænomena gravitatis contradicit, quæ tum ſolum variabilis reperitur, cum oblique agit, & diverſas induit directiones.

124. *Corol.* 3. Quamquam magnitudo ſitus in corporibus in infinitum augeri, & variari poſſit, & infinitæ propemodum motuum leges obtineri queant; tamen, quæ demonſtrata fuit lex, perpetuo valet, ſi magnitudo ſitus diverſa fuerit a vera corporis magnitudine. Poſito namque minimo motu, aut ſi motus initialis ſolummodo computetur, omnis ſitus variatio penitus evaneſcit, & conſtans prorſus habetur. Ex quo ſi quiſpiam argueret, totam ſitus magnitudinem evaneſcere; nonne in paralogiſmum rueret voluntarium? Neque enim

in

Digitized by Google

in ea hypotheſi corpora iiſdem directionibus propelluntur, quod contingat, oportet, ut ſitus magnitudo evaneſcat, nec ab abſoluta, & vera corporis magnitudine differat. Hæc quidem, qui reſpuat, multoque magis, qui ignoret; huic ego denuntio non recte philoſophandum. Omnis enim non ſolum Geometria, verum etiam univerſa Natura, quæ ad leges geometricas conformata eſt, & omnis deinceps Mechanica his duabus hypotheſibus innititur; quas qui permiſceret, & confunderet; is profecto in diverſas, ſibique e regione oppoſitas demonſtrationes incideret: quas nec ſecum ipſis, nec cum principiis metaphyſicis conciliare umquam poterit; quemadmodum videre eſt in Mechanicis, qui hactenus mechanicas theorias inter ſe, & cum principiis metaphyſicis componere voluerunt. Vide Riccatium die 7. Dialogorum de viribus vivis, & mortuis.

CAPUT VI.

De naturali, & ſupernaturali, deque perfectione, & ordine Univerſi.

125. PEr Naturam omnium cauſarum, & virium collectionem intelligimus, quæ in entibus omnibus hoc terrarum Orbe exiſtentibus reperiuntur. Quivis ergo effectus, cujus ratio in poteſtate Naturæ continetur, naturalis dicitur; ſi minus, ſupernaturalis, & miraculoſus. Sic reductio ligni in cineres in fornace ardenti naturalis eſt, neque enim id ſuperat Naturæ vires; contra vero Lazari ad vitam revocatio ſupernaturalis fuit, & miraculoſa. Nulla quippe tantæ virtutis erat cauſa in hac Univerſitate rerum, quæ mortuum ad vitam revocare poſſet.

126. Quidquid ergo Naturæ vires excedit, & ſuperat, id certe diſtingui, & ſecerni debet a rebus illis omnibus, quæ præter ipſarum, ut ita dicam, ordinem fiunt; non quia legibus Naturæ adverſetur, vimque ſuperet cauſarum omnium, & afficaciam, ſed quia proprietati alicujus corporis repugnet, vel verius, quia lateat ſæpiſſime cauſa effectum illum ſingularem producens. Quam multa igitur miracula,

e me-

poſuiſſet, non idcirco evidens deficeret ratio, qua divini Numinis exiſtentia quam inviċtiſſime probaretur. Sed jam ſtultum non minus, quam impium Spinozam relinquamus, qui tam horridas aſſertiones, & rationis principiis repugnantes nullam rationem protulit, nullum teſtimonium, nullam vel leviſſimam conjecturam; quaſi vero Pythagoreorum more in ipſius verbis jurandum eſſet.

140. Quare primo certum, & evidens eſt miracula poſſibilia eſſe: nulla quippe in eo repugnantia eſt; neque enim ea rerum eſſentiis, neque naturis adverſantur; quæ integræ prorſus perſeverant, nec per miraculum immutantur, aut diverſæ fiunt, quamquam proprietatibus illis priventur, quæ ex ipſa natura quoquo modo fluunt. Atqui id omne, quod nullam in naturis mutationem inducit, ne ipſis quidem repugnare credendum eſt; igitur nec miracula. Res ipſa æque conficitur, ſi conſideremus, leges mechanicas hypotheticas eſſe.

141. Nam mutationum omnium leges, quas in corporibus experimur, neceſſariæ minime ſunt; cur igitur, & variari, & permutari non poterunt? Nihilominus harum legum mutationes, & veluti ſuſpenſiones miraculoſæ utique forent; nulla quippe in hac rerum univerſitate virtus invenitur, quæ hunc effectum produceret; ex quo minime concludendum, ne illum quidem id poſſe, qui res omnes apte diſpoſuit, & ordinavit. Neque vero id quidpiam dicit aliud niſi effectus privationem, qui omnium cauſarum conſtitutioni debebatur. Quam igitur repugnantiam involvet? igitur miracula, quæ ſolum in hac legum variatione ſita ſunt, fieri ſaltem poterunt ab Auctore Naturæ Deo, qui id omne efficere ſine dubio poteſt, quod nullam contradictionem, & repugnantiam involvit.

142. Pars autem altera propoſitionis æque certa, & evidens eſt. Conſtat enim tum ex ſacris literis, tum hiſtoriis ſacris omnibus, quibus certiſſime aſſentiendum eſt, niſi fidem humanam, & divinam nullam eſſe velimus: quo certe nihil abſurdum magis, aut a veritate magis alienum. Rerum namque geſtarum veritas ſola, vel Hominum, vel Dei

auctoritate nititur; quam ſi neges, nulla umquam rerum geſtarum veritas poterit obtineri. Sed jam adverſariorum argumenta videamus.

143. Et primo quidem objiciunt Univerſæ naturæ leges ex qualitatibus, & eſſentiis rerum humanarum oriri, & plane fieri, quæ propterea minime violari, frangi, & perturbari poterunt, niſi ipſæ rerum naturæ permutentur. Hæc Adverſarii. Atqui nos reponimus Naturæ leges non ita ex eſſentiis rerum oriri, ut per ipſas eſſentias conſtituantur. Oriuntur autem ex proprietatibus quibuſdam, quæ rerum naturas, & eſſentias neceſſario comitantur, & quibus privari nullo modo poſſunt, niſi ordo, lex, & conſtitutio Naturæ quodammodo violentur. Ita quia calor ad eſſentiam ignis minime pertinet, ex eo certe privari poteſt per miraculum; itidemque Sol, & Luna lumine, & motu, quia ſcilicet, nec motus, nec lumen Solis, aut Lunæ naturam conſtituunt, & ſunt proprietates quædam neceſſariæ, ipſiſque rebus inhærentes ex partium conſtitutione, & diſpoſitione oriundæ; ex quibus per miraculum a Dei omnipotentiſſima omnipotentia Sol, & Luna privari poſſunt. Ex quo palam eſt, omnem variationem in effectu, non autem in natura fieri. Neque enim gravitatis indoles, & natura deſtruitur, ſi impediatur motus alterius cauſæ reactione, qui in corpore gigneretur. Quare leges mechanicæ, quemadmodum ſupra obſervatum fuit, ſolum ex hypotheſi, qua vires non impediantur, neceſſariæ ſunt: quamquam ab aliis cauſis, ſi unum Deum excipias, minime illæ quidem impediri queant.

144. At deinde dicunt, morales naturæ leges neceſſarias, & immutabiles fore; igitur & mechanicæ. Neque enim inter has leges diſcrimen aliquod reperitur. Quo ſemel conſtituto efficitur, ne per miraculum quidem commutari, & perturbari poſſe. Atqui diſpar eſt inter utraſque leges ratio, & diſcrimen manifeſtum, nec alterum certiſſime ex altero concludendum. Etenim cum Deus ob ſuas perfectiones infinitas creaturam ratione præditam provide gubernare teneatur, & ad præſtitutum finem aſſequendum dirigere, nonne oportet, ut ea, quæ ad hujus finis conſecutionem

ne-

Digitized by Google

neceſſaria ſunt præcipiat; illa vero omnia prohibeat; quæ, ab ipſo fine quoquomodo avertunt? Quapropter omnes leges morales ex perfectione infinita divinæ naturæ originem ducunt; quæ certiſſime abeſſet, ſi quidpiam Deum imperfectum vellet. Quidquid enim Naturæ divinæ conſentaneum, id Deus neceſſario vult, nec id velle poteſt, quod aliquam redoleat imperfectionem. Nihil autem horum in legibus mechanicis invenitur, quæ ſi deficiant, adeo nullam in Deo dicunt imperfectionem, ut ex eo potius infinita Dei virtus, & poteſtas maxima declaretur. Quidquid enim omnium naturam cauſarum virtute, & poteſtate ſuperat, omniumque vires elidit, & cauſarum omnium actiones ad nihilum redigit; id potentiſſimum, id Deum dico. Ex quo evidenter perſpicitur, alterum, non autem alterum a Deo fieri, & patrari potuiſſe.

145. Nec majorem vim habet alterum argumentum ex perturbatione orbis petitum. Nam ſi miracula fieri poſſent, alterum, inquiunt, ex his duobus evenire oporteret. Vel enim tota mundi machina perturbaretur, vel nova fieri deberent miracula, ut res in priſtinum gradum reſtituerentur; quod certe abſurdum eſt. Et vero ſi tempore Joſue, quo Solem conſtitiſſe minime dubium eſt, nulla neque in ipſo, neque in Tellure facta fuiſſet mutatio, num illa noctium, & dierum viciſſitudo in toto hoc terrarum Orbe, ac temporis initio fuit, obtineret? Itaque tota Mundi Machina perturbata fuiſſet. Quod ſi nolimus, novum utique miraculum patrari oportuit, quo Sol contra vires proprias ageret, motumque accelerando in priſtinum gradum reſtitueretur. Ex quo perſpicitur, totam mundi machinam perturbatum iri, ſi ſimilia miracula operarentur.

146. Atqui nihil in eo abſurdi eſt, ſi proprietas illa, qua corpus privaretur, in univerſam Mundi Machinam nullimode influeret. Sive enim mortuus reſurgat, ſive non, eadem in orbe conſtitutio eſt; nec tamen id ſine vero miraculo accidere umquam poterit. At motus Solis per Eclipticam in univerſam naturam influit: qui motus propterea nec augeri, nec diminui, nec ſuſpendi poteſt, quin effecta ex illo motu oriunda perturbentur; ex quo motu cum plurima

effecta, quæ in hoc terrarum Orbe conſpiciuntur, neceſſario pendeant, evidens omnino eſt, ea omnia, perturbata cauſa, perturbari oportere, vel novum fieri miraculum, ut cauſa illarum rerum effectrix in priſtinum gradum, & ordinem redigatur. Hoc autem non in omnibus miraculis evenire cenſendum eſt. Quis enim ſibi perſuadeat, univerſam rerum naturam perturbari, ſi mortus revocetur ad vitam, vel ſi quidpiam in æternum perſeveret?

147. Itaque falſum, & alienum a veritate eſt, ex effectione alicujus miraculi novum aliud miraculum neceſſario effici, niſi proprietas, ex qua res privatur, non ſolum naturæ ſuæ, ſed omni prorſus naturæ debeatur. Sic Sol ſitum illum ipſum, quem ab initio creationis habuit, obtinere nullo modo potuit, niſi, aliquantulum aucto motu, acceperit quoddam accelerationis incrementum; id quod ſine novo miraculo fieri nullo modo potuiſſet. At ſi Deus Solem lumine ſuo determinato quodam tempore privaret, poſtea reſtitueret, certe nullum inde argui poſſet miraculum, ut res omnes in priſtinum gradum reſtituerentur. Idem dictum volo, tum de mortui reſurrectione, tum de improvviſa rerum effectione, & de ſexcentis aliis rebus, quæ a cauſis ſecundis minime proficiſci poſſunt.

148. Sed jam tandem contra miraculorum exiſtentiam dicitur, plerumque naturaliter evenire poſſe, id quod ſi alio eveniret tempore, prodigioſum certe, & miraculoſum foret; at non idcirco miraculum: neque enim prodigia miracula ſunt, neque ea Deus ſolum patrare poteſt, & vim, & efficaciam cauſarum ſuperant. Verum tamen reſpondemus duplex eſſe miraculorum genus: alterum, cum ipſa rei effectio cauſarum omnium vim, & efficacitatem ſuperat; alterum, cum modus ille, quo res efficitur, excedit Naturæ poteſtatem. Primi generis eſſent rei ex nihilo procreatio, defectio luminis aut in Sole, aut in Luna, & corporis inextenſio, idque genus alia plura.

149. Alterius autem generis ſunt res omnes, quæ non vires abſolutas cauſarum ſuperant. Sic repentina ſcientiarum, & linguarum omnium peritia, improvviſa murorum Jerico ad adſpectum Arcæ Domini dirutio, repentina curatio

ad

ad præſentiam Serpentis Ænei in deſerto, & alia plura, quæ afferri poſſunt, exempla miraculoſa fuerunt, non quia a cauſis naturalibus effici nullo modo potuiſſent, ſed quia ea ratione, & modo operata fuere, ut cauſarum omnium vires ſine dubio ſuperarent. Ex quo perſpicitur, miraculum nullum haberi oportere, quod non excedat naturæ vires, vel in ipſa ipſius rei effectione, vel in modo ſaltem, quo res efficitur. Quidquid igitur miraculoſum eſt, id non eſt in poteſtate Naturæ. Quocirca prodigia miracula nullo modo ſunt. Neque enim illa excedunt cauſarum omnium vires, quæ hanc Univerſi machinam conſtituunt.

150. Ex his omnibus facile quiſque intelligit, accuratam Naturæ cognitionem, ſtudiumque Phyſicæ valde neceſſarium eſſe his, qui ferre de miraculis ſententiam debent. Multa enim vulgus hujus pulcherrimæ diſciplinæ ignoratione miraculo tribuit, quæ prorſus naturalia ſunt, nec vires abſolutas excedunt. Cum enim ſæpe cauſarum vim, atque virtutem ignoremus, nullam ſæpe cauſam adfuiſſe facile ſuademur, quæ effectum illum produxerit; quæ tamen vere extitit, ab eaque totum effectum cognoſcimus. Probe namque ſcimus, univerſæ naturæ vim, & earum rerum, a quibus, vel in quibus miracula fiunt, efficaciam eſſe certis limitibus definitam: ex quo veram miraculorum exiſtentiam definire, atque adeo demonſtrare poſſumus. Quæ autem illa cauſa ſit, ſæpe ſæpius ignoramus.

151. Quod ſi quidpiam ejuſmodi fuerit, ut aut Naturæ, aut illius ſaltem cauſæ, quæ rem effecit, vim, & efficacitatem ſuperarit; id quidem miraculoſum credendum eſt, verumque miraculum fuiſſe tuto affirmare poſſumus. At ut miracula vera a rebus, quæ tantum portentoſæ, & miraculoſæ videntur, diſtinguere, & ſeparare valeamus, audiamus Antonium Genuenſem de miraculis diſputantem. " Cum „ videmus, inquit, ab homine ejuſmodi miracula perfici, „ quæ & vires ſuas excedunt, & vires earum rerum, qui- „ bus veluti inſtrumentis, aut objectis miraculorum utitur; „ non dubitamus divinæ eſſe originis, precipue ſi perma- „ nenter fiant, & perpetuo. Nam pugnat cum divina pro- „ videntia homines hujuſmodi miraculis in errorem induci

„ ci. " Quocirca numquam fieri poſſunt miracula in falſæ doctrinæ confirmationem. Quæ tamen continenter, & perpetuo facta legimus in veræ Religionis teſtimonium, ut in eorum ſuſpicionem venire homines numquam potuerint. Ex quo tanta ipſius certitudo, & firmitudo eſt, ut vel eam veram, vel Deum mendacem conſtituere debeamus. Certe ſi Deus efficeret miracula in alicujus falſitatis conteſtationem, nonne ipſe nos ſeduceret? Nam Deus præcipuus auctor miraculorum eſt: id quod a Dei veracitate, & ſanctitate prorſus alienum eſt.

152. Sed jam quæ ſit perfectio, & Univerſi Ordo videamus. Eſt igitur perfectio partium conſenſio, ipſarumque apta diſpoſitio ad finem aliquem obtinendum; ordo autem nexus dicitur, & conjunctio quædam, quam entia creata inter ſe habent. Illud vero diligenter animadvertendum eſt, imperfectionum non minus, quam perfectionum duplex genus conſtitui. Nam perfectio, & imperfectio veræ, & reales, & mere dumtaxat apparentes eſſe poſſunt. Perfectio igitur tantum apparens erit, cum rei, ſi in ſe ipſa conſideretur, prorſus convenire videatur, nec tamen ipſi rei convenit, ſi ad alias præſertim res referatur, nec apta deinceps ſit ad finem præſtitutum aſſequendum. Atque hinc imperfectio vera illa dicitur, quæ nec rei competit, nec aliis rebus ad quas referatur, nec aptitudinem deinceps quamdam dicit ad finem propoſitum obtinendum. Sic oculi imperfectio tantum apparens eſt, quia illa non polleat acie, & vi quæ in microſcopio ad minutiſſima objecta contemplanda deprehenditur. Nam ſi oculum ad corpus, & mentem ipſi junctam, & ſociatam referamus, majorem profecto perſpicaciam nullo modo requiremus, eamque non raro inutilem, quandoque etiam noxiam deprehendemus. Exiguum namque ſpatium uno obtutu complecteretur, multaque, & in cibo, & in potu ad nauſeam creandam exhiberentur.

153. Contra vero ſi index orologii non accurate tempus metiretur, vera ſine dubio perfectione careret. Neque enim in ſe ipſo perfectus eſt, neque ad præſtitutum finem aſſequendum utilis. Ex quo perſpicitur, nihil in hoc ter-

rarum

Digitized by Google

rarum orbe reperiri, quod hac perfectione deſtituatur; multoque minus mundus, qui ex omnibus rebus ceu partibus coaleſcit. Quæ enim nobis imperfecta videntur, non idcirco imperfecta erunt, ſi ea ad alias res referamus; eoque magis ſi finis, quem ſibi propoſuit auctor Naturæ Deus, quam diligentiſſime perſcrutetur. Sapientiæ enim divinæ illud eſt, ut illa, quæ condidit, ſic inter ſe jungat, & connectat, ut mutuo ſibi congruant, ſerviantque divinæ voluntati, & propoſito ab eo fini quam accuratiſſime reſpondeant. Quocirca Mundus perfectiſſimus dicendus eſt, quamvis tota ipſius perfectio a poſteriori, ut dicunt, hoc eſt ex effectibus demonſtrari nequeat. Omnis namque ipſius perfectio in eo ſita eſt, ut res omnes creatæ invicem nexæ, & jugatæ ſint, tendant præterea ad comunem quemdam finem ab Auctore Naturæ Deo propoſitum, atque ad ipſum colliment, & dirigantur; id quod ex experimentis conſtare nullo modo poſſe perſpiciunt omnes, & ſane vident. Quis enim hominum ea omnia, quæ vel in hoc terrarum orbe exiſtunt, tum etiam minima oculorum acie, ac ne mentis quidem incredibili vi pervadere, & pertentare potuit? Atqui hoc neceſſarium erat, ut Mundi perfectio a poſteriori, ſeu ex effectibus monſtraretur. Neque vero ſolummodo mundus perfectus credendus eſt, ſed elucet deinceps in eo præclarus, & ſingularis ordo. Nam mirabilis in eo habetur rerum creatarum nexus, & conjunctio quædam exiſtit, ex qua oritur, & ducitur ratio, cur hoc potius, quam alterum fiat, & conſiſtat, cur alterum alterum conſequatur; quæ omnia haberi non poſſent, ſi mundus perfectione non gauderet ſumma, nec ad aliquam communem, & neceſſariam regulam foret ordinatus, vi cujus perſpicuum fiat, cur unaquæque res & coexiſtat, & conſequatur.

154. Jam ordo naturæ ille eſt, quem ipſa in omnibus conſtanter ſervat, atque adeo in motuum legibus continetur, quæ ex diverſa tum cauſarum conſtitutione, tum indole, & natura proficiſcuntur. Quidquid ergo juxta naturæ ordinem, juxtaque certas ipſius leges neceſſarias fit, id omne ordini conſentit: quo prorſus illæſo, & integro evenire

 po-

poteſt. Quidquid autem huic ordini adverſatur, id quidem ſine miraculo fieri, & obtineri non poteſt. Curſus denique naturæ dicitur eventorum conſecutio, quæ rerum eſſentiis, & naturis conſentanea eſt, nec deinceps corporum proprietatibus adverſatur.

LIBER

Digitized by Google

LIBER III.

PROLEGOMENON

In Pſycologiam.

1. SI vis inertiæ, quæ intimam corporum naturam conſtituit, nihil aliud ſit, quam facultas quædam corporum retinendi ſtatum, quem habent, ſive motus, ſive quietis, nec quidpiam agit, aut reagit, aut motum generat, quem prius ab alio minime mutuaverit; ſi quæ alia ſubſtantia in hoc orbe terrarum reperiatur, quæ & omni vi inertiæ deſtituta ſit, & agat, & reagat, atque ex ſeſe moveatur, motumque imprimat, & communicet, quem ex ſe habet, nec ab alio acceptum referat; ea profecto nec iners, nec corpus erit, ipſum perfectione, & poteſtate ſuperans, nec ullis legibus, aut rationibus mechanicis coercebitur. Atqui hujuſmodi ſubſtantia in Univerſo reperitur, eaque nec a nobis diſſita eſt, ſed arctiſſime nobis metipſis conjuncta, & copulata; quam veteres Philoſophi principium dixerunt mirum in modum efficax, alteroque longe excellens, idemque excedens infinita vi, & poteſtate; cujus propterea natura ſublimior, & divinior eſt, nec quidpiam habet cum his uſitatis naturis commune; eſtquæ Divinæ Naturæ particeps, ut Deo quam ſimillima videatur. Hujuſmodi autem præſtantiſſimæ naturæ præcipua jura, & proprietates, quantum ex certiſſimis experimentis, & obſervationibus, & rationis juſta conſecutione conſtat, in ea Metaphyſicæ parte demonſtrantur, quæ jam ab antiquiſſimis temporibus Pſycologia, ſive ſermo de anima nominatur. Nulla itaque ſcientia eſt, quæ hac Hominem magis interſit, & quæ de notioribus ipſi rebus, aut utilioribus, aut quas magis ſcire referat, quæſtiones inſtituat, itemque pulcherrima eſt, nec minoris ea deinceps utilitatis, aut neceſſitatis in aliis ſcientiis, aut addiſcendis, aut tradendis: quippe quæ & fa-

cem

Digitized by Google

cem veluti præfert naturali Theologiæ, & ad jus Naturæ intelligendum, & explicandum ſummopere aptiſſima. Quibus duabus ſcientiis, quæ ex Pſycologia omnem originem trahunt, nihil dici poteſt utilius ad adipiſcendam, & complendam felicitatem Hominis, ad quam ferimur nullo magiſtro, nullis legibus, aut conſuetudinibus inſtituti. Naturalis quippe Theologiæ præcipuum munus eſt, Dei attributa, & perfectiones perſequi, quantum humana mens patitur, & cogitatio. Attributorum autem divinorum ſcientia tum vel maxime habetur, cum rerum earum notiones, quæ menti hominum inſunt, & ipſius propriæ ſunt, ex certis, ac definitis limitibus liberamus, quibus res omnes finitæ circumſcriptæ ſunt. Accedit eodem, quod hominis animus ad naturæ divinæ ſimilitudinem quam proxime accedat, ut paſſim divinæ ſcripturæ teſtantur. Ex quo facile quiſque perſpicit, principia omnia Pſycologiæ ad Deum ipſum quoquomodo transferri poſſe, & quodammodo ad ipſum pertinere, ſi nullis præterea limitibus, aut finibus includantur.

2. At cum actionum humanarum honeſtas, & turpitudo ex natura humana, atque adeo ex rebus omnibus, quæ humanæ menti inſunt, repeti ſolum queant, ecquis erit, qui neget in jus Naturæ, quod leges naturales de rebus aut expetendis, aut fugiendis tradit, uberrimum ex ea fructum redundare? Libertas hominum præterea in Pſycologia demonſtratur, quam ſi tollas, jus omne, Religionem, civilia, & ſacra omnia tollas, neceſſe eſt. Quicumque ergo, ut ſapienter Tullius, ſeipſum noverit, primum aliquid ſe habere ſentiet divinum, ingeniumque in ſe ſuum, ſicut ſimulacrum quoddam dedicatum putabit, tantoque munere Deorum aliquid dignum & faciet, & ſentiet; & cum ſe ipſe perſpexerit, totumque perſcrutarit, intelliget quemadmodum a natura ſubornatus in vitam venerit, quantaque inſtrumenta habeat ad obtinendam, adipiſcendamque ſapientiam, quoniam principia rerum omnium adumbratas quaſi intelligentias animo, ac mente conceperit.

3. Jam Pſycologia ex duobus principiis, quibus animi noſtri natura monſtratur, in duas partes diſtribuitur, quarum altera *Empirica*, *rationalis* altera dicitur, quia ſcilicet tam

expe-

experimentis, quam vi, & intelligentia humanæ mentis principia demonſtrat, quæ animis noſtris competunt, & ea quæ in ipſis clariſſime obſervantur. Noſtra autem intereſt illarum rerum, quæ a nobis longiſſime abſunt, clariſſimam cognitionem habere, & ſenſui objectas res tamquam omnino præſentes intueri, appetere bonum, malum repudiare; quæ omnia, & ſimilia nonniſi experientiæ ſubſidio deprehendimus, eoque ad Empiricam referuntur.

4. At vero animum noſtrum natura ſua unicum, & individuum eſſe, ſimplicem, indiſſolubilem, omnis concretionis corporeæ expertem, rationis, honeſti, & inhoneſti capacem, liberum, & vi ſua immortalem, & providum non tam experimentis, quam ſubtili quadam argumentatione deducimus. Quare quæ hujus ſunt generis ad Pſycologiam rationalem revocari debent. Singularis enim eſt vis, ut ſapienter Tullius, animi ſejuncta ab aliis uſitatis, notiſque naturis animi noſtri cognitione ſita, ut de ea dubitari non poſſit.

CAPUT I.

De Natura Animi noſtri, & exiſtentia.

5. MUlti quidem e veteribus Philoſophis hominum mentes concretas, & corporeas eſſe putaverunt; quos inter Epicurus; quorum opinionem invictiſſimis argumentis refutatam, & pene confectam, & obliteratam quidam noſtri temporis Philoſophi inſtaurare minime dubitarunt, qui ut dicant aliquid, quod novum fortaſſe videatur, & veritati, atque adeo ipſi rationis lumini aperte repugnare non dubitant: quaſi vero quod novum ſit, id continuo laudandum. Audiatur itaque Cicero ſola ratione de animorum noſtrorum natura diſputans. " Nil eſt in animo mixtum, & concretum, aut quod ex terra natum, aut fi„ ctum eſſe videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut „ fiabile, aut igneum. His enim in naturis nihil eſt, quod „ vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & „ præterita teneat, & futura prævideat, & complecti poſ„ ſit præſentia. " Et cap. XVIII. Tuſculanarum quæſtionum

num., lib. 1. „ In animi noſtri cognitione dubitare non poſ-
„ ſumus, niſi in Phyſicis plane plumbei ſimus, quia nihil ſit
„ animis admixtum, nihil concretum, nil copulatum, nil co-
„ agmentatum, nil duplex. Quod cum ita ſit, nec ſecerni,
„ nec dividi, nec diſcerpi, nec diſtrahi poteſt; nec interire
„ igitur. Eſt enim interitus quaſi diſceſſus, & ſecretio earum
„ partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur.
Hactenus Cicero; quocum, & omnibus ſanæ mentis Philoſophis ſit noſtra propoſitio.

6. Ineſt homini animus natura ſua ſpiritus, nec quidpiam ideo concretum, aut mixtum, aut ex terra natum, aut confictum habet; quæ propoſitio fide certa eſt, itemque ratione certiſſima, atque in hunc modum evidentiſſime comprobatur. Etenim quod poteſt ea percipere, quæ in ſenſus nullo modo cadunt, ſpiritus ſit oportet. Principium namque certum, & evidens eſt, nihil fieri, aut exiſtere ſine cauſa, & ſufficienti quadam ratione poſſe. Quod autem in ſenſus non cadit, id quidem motionis corporeæ effectus eſſe non poteſt. Neque enim motus generat niſi motum, nec motio corporea vehementiorem aliam motionem, & nobiliorem concitare, nec res viſſibilis, & corporea rem inviſſibilem, nec corpoream exhibere poteſt. Ergo ſi ſemel concedatur, tantam animis ineſſe vim, & efficacitatem, ut quæ in ſenſus minime cadunt percipiat, nec propterea effectus ſint motionis corporeæ; illud, opinor, infallibili conſecutione deducitur, animos noſtros ſpiritus eſſe, & vi prorſus ex ſe movendi gaudere, ex qua motus omnes animi incredibiles, & pene divini certiſſime repetendi ſunt. Quidquid enim vim ex ſe movendi habet, id certe alio non indiget, a quo moveatur. Itaque & motum per ſe augere, & generare, & jam generatum valet extinguere, & oppoſitos etiam motus inducere, atque id etiam videre, & percipere, quod nullius motionis corporeæ effectus eſt, nec umquam per ipſam motionem corpoream exhibendum. Hæc quidem certa ſunt, atque ex principio metaphyſico evidentiſſime conſequuntur. Illud vero certius fortaſſe, & exploratum magis, quod communibus conſtat obſervationibus, Hominem nempe res maximis diſſitas intervallis cognoſcere, atque adeo res illas,

quæ

quæ nuſquam ſunt, & nullibi fuerunt, quæque propterea nullam in ſenſibus corporeis motionem excitant, & ne excitare quidem potuerunt. Quid? nonne Homo veritates maxime univerſales, remotaſque a ſenſibus omnibus, & disjunctas comprehendit, principia metaphyſica oſtendit, & alterum ex altero nectit, & deducit? Quid? nonne rerum, quæ ſenſibus objiciuntur, ſimilitudines videt, easque inter ſe non ſolum, ſed aliis etiam rebus comparat, aptam partium diſpoſitionem perſpicit, totumque earum nexum comprehendit? Quid enim hoc cum motionibus corporeis commune habet? Neque enim hoc totum uno obtutu, & vix ſine temporis intervallo percipimus, ſed ſtudio, labore, & induſtria, & longiſſima meditatione comparamus, neque omnes deinceps æque vident, ac intelligunt. Quod quidem nullo modo accideret, ſi hæc omnia motionis corporeæ effectus eſſent, ac per motum corporeum explicare poſſent.

7. Experientia quippe compertum eſt, nec de eo nos dubitare ſinit, omnes Homines æque videre, & comprehendere objecta, quæ in oculos corporeos incurrunt, quæque ipſam in organis corporeis motionem efficiunt. Cur ita? quia motiones corporeæ objectorum ſimillum æque vellicant, & concutiunt ſenſuum organa, ipſumque motum, & repræſentationem efformant, ſi rite, & æque ea conformata fuerint, & æqua polleant perfectione, ut neque clariorem, neque vehementiorem, neque perfectiorem alius alio habeat cognitionem. Verumtamen non omnes ipſam perceptionem, & cognitionem obtinent. Alius enim alio & acutius intelligit, & intimius penetrat, totumque rimat, & perſpicit, & alius alio & plures rerum, & objectorum ſimilitudines, & diſſimilitudines percipit, & majores relationis terminos videt, aptamque diſpoſitionem comprehendit, & extenſiorem propterea, & majorem & vividiorem notionem acquirit. Atqui motio corporea eadem in utroque eſt. Cur motionis effecta plane diverſa? Neque vero effectus aliquis ſine cauſa quadam concipitur, neque diverſorum effectorum eadem, & individua cauſa aſſignari poteſt, niſi ea deinceps vim in ſe habeat ſeſe movendi arbitrio

paratio realis eſt, quæ idcirco diverſis temporibus perficiatur? Quo fit, ut tanta vis animi, & poteſtas ſit, ut uno obtutu, atque eadem mentis actione plures res videat, & percipiat, eaſque conferat, deque ipſarum convenientia, aut diſſimilitudine judicet. Atque hinc alterum oritur de animorum noſtrorum ſimplicitate ſumma cum efficacitate conjuncta argumentum.

9. Et vero ſi fingamus, animos noſtros aut materiam eſſe, aut ſaltem quidpiam concretum, & mixtum; quo pacto objecta plura inter ſe diſtincta, & disjuncta claritudine ſumma, & uno obtutu perciperet? Neque enim hoc intelligitur, quin in unico, & individuo materiæ puncto diverſi, ſibique repugnantes motus exiſtant; id quod fieri nulla ratione poſſe vident, & perſpiciunt omnes: quippe motus illi contrarii alii aliis eliderentur, & nulli fierent, ſicuti experimentis quotidianis edocemur. Atqui ea eſt animorum noſtrorum vis, & virtus, ut & plura ſimul uno obtutu pervideat, alia aliis comparet, & æqualitatem, vel inæqualitatem arguat, & diverſas rerum naturas, & proprietates evincat; quæ omnia infallibiliter, & ineluctabiliter animorum noſtrorum divinitatem demonſtrant.

10. Et vero ſi hujuſmodi motus in animo per aliorum corporum impulſiones fierent, hi certe in uno, eodemque materiæ puncto coexiſterent, id quod obtineri nulla ratione poteſt. Vel enim in ipſis corporibus hic motus invenitur, vel non. Si primum, infinita pene corpora in uno, eodemque loco exiſterent, atque adeo penetrarentur, quod corporum proprietatibus adverſatur. Sin alterum, modificationes, motuſque corporum quidpiam eſſent a corporibus ſecretum, & diſtinctum, quod æque abſurdum credendum eſt. Quod ſi nihilominus daremus; certe modificationes illæ non ex ſeſe ſubſiſterent, ſed corporibus inhærerent: igitur redit primum argumentum.

11. Sed jam rem ipſam ex ſingularibus, & pene divinis Hominis operationibus demonſtremus, qui vi tanta, & divina quaſi mente ſubornatus in Mundum venit, ut & infinitas propemodum rerum cognitiones acquirat, & majoris ſemper perfectionis capax reperiatur, nec ullis limitibus

bus, aut idearum copia ipſius mens divinior continetur. Nemo quippe tam ſui met oblitus eſt, qui cum Hominis inventa, & ſingulares, & incredibiles artium, & ſcientiarum omnium progreſſiones, quæ ſunt mentis, & rationis æterna monumenta, & copiam idearum, & multitudinem conſideret, non continuo rapiatur, & infinitam ipſius vim, & poteſtatem, & perfectionem maximam eſſe fateatur. Ex quo evidenter concludit, ineſſe ipſi oportere quidpiam excellens divinum, & infinita propemodum vi, & efficacitatem præditum, & majoris ſemper in infinitum perfectionis capax. Quod quidem niſi in Phyſicis plumbei eſſe velimus, & obſervationibus repugnemus, ex ſola machinæ perfectione, & aptiori partium figura, & diſpoſitione minime repetendum. Quantacumque enim illarum perfectio ſit; ea certe intra certos, & definitos limites coercetur. Et vero vix Homo ab Homine machinæ perfectione differt; at ingenio, & mentis acumine pene in infinitum differt, ut nulla fere inter ipſorum operationes proportio reperiatur, ut neque omnes æque videant, neque æqualem acquirant idearum copiam, nec æqualiter perficiantur; id quod certe evenire nullo modo poſſet, ſi quæ in Hominibus inventa conſpicimus, ea dumtaxat ex impulſionibus rerum externarum, & aptiori corporum conſtitutione, & diſpoſitione peteremus. Quare maxima Hominum, & pene divina perfectio, quam inſtituta, leges, Societates, & infinitæ pene ſcientiarum, & artium progreſſiones loquuntur, luculentiſſimum, & ineluctabile divinitatis ſuæ ſuppetit argumentum.

53. Ut enim Dei immutabili eſſentia, & exiſtentia, ipſiusque ſumma perfectio ex rerum creatarum perfectione, & exiſtentia monſtratur; ſic animorum perfectio, & quaſi divinitas ex ſingularibus hominum operationibus luculentiſſime comprobatur: quas operationes numquam attingere bruta potuerunt, de quibus jure dubitatur, ipſorum ne anima indiſſolubilis, & individua prorſus ſit, an corporea contra, & concreta, & ex terra nata videatur. Quid enim bruta cum Hominibus commune habent, unicam ſi excipias ſentiendi vim; ex qua ſolam numquam poteſt evinci

ci, ineſſe Hominibus aliquid excellens divinum, & infinitæ quodammodo perfectionis capax: quamquam ipſa vis ſentiendi, quæ Homini ineſt, multo quidem perfectior evadat illa ipſa ſentiendi vi, quam in belluis experimur. Senſu quippe intimo, & infallibili Conſcientiæ teſtimonio ſuademur, nos tempore eodem plures objectorum motiones perſentire, ex quo etiam evidenter concludendum eſt, animos noſtros concretos, & corporeos fieri nullo modo poſſe.

13. Nam ſi animus noſter eſſet quædam natura, quæ ad certam, uti volunt, cerebri partem pertineret; profecto pars mentis ea, quæ in extremitate nervorum ad nares uſque protenſa eſt, ſentiret utique odorem roſæ, advertere tamen rubicundum ejus colorem non poſſet, quem alia animæ particula in extremo nervo optico ſita perciperet; atque ita pars illa ſenſum odoris habens, non foret ſibi conſcia coloris, quo neceſſario alia mentis portio afficeretur. Atqui ſenſum utrumque unica, & individua pars excipere debet. Si enim altera colorem, altera odorem perſentiret, non poſſet magis rerum harum diſcrimen a nobis animadverti, quam ſi quis alius tantum colorem, odorem tantum alius percepiſſet.

14. Verumtamen hoc totum argumentum in eo innititur, quod duæ motiones illæ tempore eodem habeantur. Quod quidem ſine ullo erroris periculo in Homine conſtitui poteſt, in materia vero non poteſt, & vires ipſius abſolutas ſuperat. Siquidem ex aliis ipſius operationibus certi ſumus, plures res animum uno obtutu, & unica mentis actione percipere: jungit enim, quæ diſſita, & disjuncta ſunt, & alias res ex aliis nectit, & deducit, & rerum abſtractarum, quas nec corporeas dicere, & affirmare, nec per motum corporeum explicare poſſumus, claram, & diſtinctam obtinet cognitionem. Quæ omnia certiſſime ſine ulla cauſa, & principio fierent, niſi tanta vis animi, & poteſtas foret, vi cujus plura ſimul objecta pertingat, unoque obtutu pervideat. Ex quo recte concludimus, res omnes, ſive corporeæ, ſive incorporeæ ſint, animum æquæ videre, & percipere, diverſaſque motiones corporeas eodem temporis momento perſentire; id quod fieri nullo modo poteſt, ſi tota vis animi

ex

ex concertione quadam, aptaque ſolum partium diſpoſitione oriretur. Neque vero intelligitur, quod diverſæ motiones, & repræſentationes eodem momento, & ſine ullo prorſus temporis intervallo in materia fiant. Quidquid enim illæ ſint, & quocumque pacto operentur; certe nonniſi per particularum diverſam diſpoſitionem, diverſumque ſitum, diverſamque mutationem loci explicari debent; quod quidem ſine ullo tempore obtineri non poteſt, niſi motum inſtantaneum poſſibilem ſaltem recipiamus. Breviſſimum illud quidem erit, & inſenſibile, neque ullum diſcrimen, aut differentiam percipiemus; verumtamen diverſum, nec temporis momento fieri potuiſſe ratione cognoſcemus. Quo ſit, ut ipſa vis ſentiendi, quam & brutis animantibus, & Hominibus communem eſſe dicimus, multo quidem perfectior in ipſo Homine deprehendatur: ex qua profecto, etſi ea rerum ſenſibilium, & corporearum vera imago dici, & haberi omnino debeat, atque adeo motionibus corporeis accuratiſſime reſpondeat, ipſiſque quam ſimillima ſit; tota Hominis excellens natura, & vis infinita evidentiſſime comprobatur. Quamvis enim breviſſimum, & prorſus inſenſibile tempus eſſe fateamur, quo motiones, & repræſentationes corporeæ fiunt, & imagines objectorum in materia depinguntur, nullamque propterea temporis differentiam, aut intervallum deprehendamus, aliquam tamen moram extitiſſe ratione cognoſcimus, & mentis juſta, nec fallaci conſecutione deducimus.

15. At multo ſecus ſe res habet in Homine, quippe qui eodem momento, & ſine ullo temporis intervallo & ſentit, & percipit. Neque enim major virtus in ipſo requiritur, ut objectorum imagines ſibi efformet, & effingat, quam ut res plures uno obtutu, unaque mentis actione comprehendat. Neque vero id totum uno obtutu comprehendit, quin tempore eodem comprehendat. Quare maximum inter imagines rerum corporearum animi, & materiæ ineſt diſcrimen; quarum illæ, quia ſunt ordinis ſuperioris, in materia cadere nullo modo poſſunt, ipſiuſque vires abſolutas ſuperant, vel in ipſa re, quæ menti ſiſtit,

quæ-

quæque per motionem corpoream exhiberi non poteſt, vel in ipſa, qua ſiſtit, ratione, & ab humana mente recognoſcitur; hæ vero poſtremæ in materiam cadunt, nec ipſius vires excedunt, cujus motionibus rerum corporearum imagines fiunt, & in ipſa veluti in cera quadam depinguntur.

16. Huc accedit gentium, & populorum omnium conſtans judicium, de ſimplici, & intelligenti animorum noſtrum natura. Res autem ejuſmodi erat, ut ex cognitionibus cunctis Hominibus communibus, vel certe his, quæ ſenſu intimo obtineri poterant, facili, nec admodum implicata deductione conſequeretur: quo ſolum conſtituto, quemadmodum in Dialectica demonſtravimus, omnium populorum, & gentium in aliqua re conſentio lex Naturæ putanda eſt, quæ fallere nullo modo poteſt, nec in errorem inducere.

17. Sed quamquam hujuſmodi argumenta ita certa, & evidentia ſint, ut nemo ratione utens, quamvis maxime cupiat, diſſentire queat; plures tamen ſunt, qui rem totam aliter ſe habere potius vellent, quam vero exiſtiment, & quantum viribus conniti poſſunt rei fere per ſe notæ, & tota retro antiquitate probatæ, & validiſſimis ſuffultæ fundamentis tenebras volunt adducere.

18. Et primo quidem argumentum ex eo petitur, quod animus noſter res extenſas., & concretas percipiat: ex quo ſapienter concludunt, non ſimplicem illum, ſed corporeum eſſe oportere. Quo quid ineptius? Nam ipſum argumentum in Adverſarios retorquetur. Nam Deus, qui ſine dubio ſimplex, nec concretus eſt, etiam res corporeas, & friabiles & diſtrahibiles pervadit, & plane percipit. Quod ſi eo temeritatis, & dementiæ devenerint, ut Deum, quo nihil melius, aut perfectius, aut potentius dici, & excogitari poteſt, concretum, & corporeum dixerint, & ranis, & muribus quam ſimillimum; ne hylum quidem proficient. Eodem quippe argumentandi genere conficiemus, Deum non ſolum, ſed ſpiritus omnes ſimplices, nec dividuos, nec aliqua ratione concretos, aut friabiles eſſe oportere. Nam ſi quod res corporeas percipit, concretum ſit, & corporeum; cur id quod

res individuas, nec partibiles comprehendit, ſimplex non erit, & omni extenſione, & figura, & compoſitione deſtitutum? Quod enim inter utrumque diſcrimen adeſt, aut quam ipſi rationem dabunt, ut alterum non autem alterum concludatur? Verum hoc quidem totum leviſſimum eſt, & vix refellendum.

19. Illud vero æque leve fortaſſe, quod maxime voluit Obeſius, qui cum in ſuo Leviatane plurima Philoſophiæ vulnera inflixit, tum & hoc graviſſimum. " Cauſa ſentionis, inquit, eſt externum corpus, ſive objectum, quod „ premit uniuſcujuſque organum, vel immediate, ut in „ ſenſu tactus, & guſtus, vel mediate, ut in viſu, auditu, „ olfactu, & premendo, mediantibus nervis, & membranis „ continuo efficit motum introrſum ad cerebrum, & inde „ ad cor; unde naſcitur cordis reſiſtentia, & contrapaſſio, „ ſive conatus cordis, quo ſe a preſſione per motum tendentem extrorſum liberet; qui motus propterea apparet „ tanquam aliquid externum; atque hæc apparitio, ſive „ phantaſma eſt illud, quod ſentiones efficit, quemadmodum lumen, quod ad oculum refertur, color dicitur, „ quod ad aurem, ſonus, quod ad nares, odor, quod ad „ palatum, ſapor, & quod ad reliquum corpus, calor, frigus, durities, mollities, & cætera ad ſenſum tactus pertinentia. Quæ qualitates omnes nominari ſolent *ſenſibiles*, & ſunt in ipſo objecto nihil aliud præter materiæ „ motum, quo objectum in organa ſenſoria diverſimode repræſentatur, neque in nobis aliud, niſi diverſi materiæ „ motus; Atqui motus nihil generat niſi motum, quod „ eſt axioma notiſſimum. " Simili modo, quo perceptiones, & judicia item, & ratiocinationes per ipſas cerebri, & cordis incitationes, motiones, & paſſiones ſic explicat, ut non tam verbis, ut preclare Makus, & diſputatione Philoſophorum, quam vinculis, & carcere fatigandus videatur. Et vero totum argumentum, ſi quid probat, nihil aliud certe probat, niſi actiones illas, & motiones, quæ in corpore fiunt, per motum fieri, & generari, & explicari, prorſus oportere, id quod nemo negat, qui corporum noſtrorum conſtitutionem cognoverit.

20. Aſt

20. Aſt præter illas ſentiones corporeas ex diverſo particularum motu, & corporeis impreſſionibus oriundas, ineſt homini cæteratum ingens copia cogitationum, quæ cum rerum maxime abſtractarum perceptiones ſint, quæ nec corpus eſſe, aut fingi ullo modo poſſunt, nec corporeum motum in nervis corporeis generare; per impreſſionem, motumque organorum corporeorum explicari qui poterunt? Et erit quiſquam, qui dubitet, quin rerum individuarum, & ſimplicium animis noſtris quam plurimæ inſint perceptiones? Deductio enim alterius ex altero, veritatum omnium metaphyſicarum perceptio nihil corporeum dicunt, nihil dividuum, nihil concretum, nihil propterea in corporeos ſenſus incurrens. Quod ſi hoc; ne motum quidem in organis corporeis excitare valebunt, quibus anima res illas omnes fingat, ſibique præſentes efformet.

21. Deinde ſi artificioſa corporis compoſitio, & conſtitutio, ſi partium ſubtilitas, & ſingularis, & pene incredibilis motus quantitas conferre quidquam poſſet ad rerum corporearum perceptionem, nonne omnes homines, id, quod in beſtiis, & brutis animantibus experimur, ſine ullo ſtudio, labore, & induſtria perciperent res illas omnes, quarum capax eſt corporis phyſica conſtitio? Quis autem ſanus hoc dixit umquam? Quocirca ſi homo majorem ſemper, & majorem perfectionem acquirat, ſi infinitæ quodammodo ipſius operationes ſint, atque in infinitum, & miris modis variabiles, ſi in ſimplici, eademque re plures relationes, nexus, & ordines magis, magiſque perſpiciat; illud fateamur, neceſſe eſt, vel hominis conſtitutionem phyſicam ſcientiarum comparatione, & notionum copia, & multitudine prorſus immutari oportere, vel deductiones rerum, & comparationes, quibus ſcientiæ efformatæ ſunt, per organorum impreſſionem dumtaxat, motumque corporeum haberi minime potuiſſe.

22. Ex quibus omnibus illud pro comperto videtur eſſe; duo nempe in Homine operationum genera reperiri, quarum aliæ, quia motionibus corpereis accurate reſpondeant, per motum quidem corporeum explicari potuiſſent, ſi nihil aliud in Homine, niſi rerum corporearum ideas, &

imagines haberemus. Atque hoc quidem ſolum eſt, quod ex Obeſii argumentatione deducitur. Neque enim nos illam differentiam temporis demonſtrare poſſumus, quæ in imaginibus, & corporeis ſenſionibus neceſſaria eſt. At quia Homini inſunt motiones aliæ, quæ a motionibus corporeis diverſæ ſunt, & alterius generis, & ordinis, nec per motum corporeum effici, nec per ipſum explicari queant; idcirco recte ex ipſis, & evidenter deducimus, exiſtere in Homine aliquod principium, ex quo illæ operationes originem ducant, ne effecta ſine aliqua cauſa obtineri poſſe fateri compellamur. Hoc autem conſtituto, quod certum, & evidens eſt, rectiſſime, & juſta conſecutione concludimus, operationes etiam illas animi, quæ motionibus corporeis accurate reſpondent, & quibus poſitis, motio in animo, & imago objectorum infallibiliter obtinetur; non autem poſitis, non habetur, a vi potius animi, quam ab impulſionibus corporeis proficſci. Nam quod ex ſe percipit, & intelligit, quod motionis corporeæ effectus eſſe nullo modo poteſt, ſed propria vi, & efficacitate movetur; cur non etiam ex ſe illas res, & propria ſui actione & motu percipiet, quæ motionis corporeæ effectus ſunt, & ſolum per motionem corpoream exhibentur? Neque vero aliud præ alio majorem vim, & efficacitatem poſtulat. Quapropter in Homine duplex ſenſus diſtinguendus eſt, vel Homo res corporeas dupliciter ſentit. Neque enim modo illas ſentit motione corporea, qua ipſius corpus pervellitur, & afficitur, verum etiam motione animi, corpoream ipſam motionem ſentit, eamque percipit, ſibique præſentem externorum objectorum imaginem intuetur. Neque enim modo hi duo ſenſus principio, ex quo originem ducunt, inter ſe differunt, ſed ratione etiam, qua fiunt, uti ſupra dictum, & monſtratum eſt: quamquam uterque ſenſus in Homine ſæpe numero confundatur, & ſentire pro intelligere, & percipere res corporeas non raro uſurpetur. Verum id quidem translate tantum, id quod ſæpe inculcandum eſt, ne alterum ex altero deducamus. Nam ſi preſſe loqui velimus, ſentire eſt ſenſu, & motione corporea percipere, ut quidam morbo aliquo, & ſenſus ſtupore, cibi ſuavitatem non ſentiant.

CA-

An materia cogitet, vel ſaltem Dei potentia cogitare poſſit?

23. SI quis modificationes materiæ, & principia, ex quibus omnis vis in materia ducitur, cognita, & perſpecta habuerit, & in naturam cogitationum, quam capite ſuperiori illuſtrare conati ſumus, diligenter inquiſiverit; is profecto perſpiciet, cogitationes animorum diverſi eſſe generis, & ordinis, ac repræſentationes corporeas, eaſque a diverſis principiis proficiſci, nec invicem permiſceri, & confundi ſine evidenti paralogiſmo poſſe.

24. Nihilominus quæſtio inſtituta fuit, & maxime inter Philoſophos recentiores agitata de poſſibilitate ſaltem cogitationis materiæ, quam maxime promovit Joannes Lockius metaphyſicus peritiſſimus, qui dum nimium in viribus materiæ definiendis incubuit, eaſque plus juſto auxit, & ultra perduxit; ſpiritus vim, & naturam mirum in modum depreſſit, & animorum non minus, quam materiæ vires, naturam, & proprietates metaphyſicas ignoravit, aut ſaltem ignoraſſe ſe finxit. Totum quippe ipſius ſyſtema nimis forſitan mechanicum eſt, & dum omnia voluit explicare mechanice, & ſenſibilia efficere, ſpiritus, & materiæ vires permiſcuit, nec effecta ſatis, ut par erat, diſtinxit, eaque poſuit, probavitque principia, ex quibus non multum, opinor, difficili conſecutione deduceretur, vel animos noſtros concretos, & corporeos fore, vel ipſorum vim, & efficacitatem eſſe prorſus inutilem. Aſt quid animi vires, cum corporum viribus commune habent? quippe quæ differunt & principio, & efficacitate, & ratione, qua agunt, nec motus, nec effectus ab ipſis geniti ejuſdem generis fieri poſſunt, nec ab ipſis viribus generari.

25. Sed ut tota quæſtio, quæ maxime intereſt, in toto lumine collocetur, neve ea in logomachiam, quod in quæſtionibus metaphyſicis, & abſtractis non raro evenire ſolet, devolvatur, diverſi ſtatus quæſtionis declarandi erunt, & quid ma-

maxime per cogitationem intelligi debeat, prorſus definiendum. Nam ſi cogitatio nihil aliud eſſe dicatur, quam effectus quidam, qui oritur ex principio mirum in modum efficaci, vique ſeſe movendi prædito, nec motione corporea generatus; nihil profecto aut certius erit, aut magis evidens, quam hoc totum materiæ denegandum; quippe quæ & iners eſt, & ad motum, & quietem plane indifferens, nec vim aliquam, aut motum habet, quem ab alio minime mutuarit. Quare hæ duæ notiones invicem opponuntur, & quod materia iners ſit, nec vi ſe movendi polleat, quam ab alio minime exceperit, & quod cogitationis ſit capax, vel quod idem eſt, quod vim, & poteſtatem habeat ſe movendi, quam ab alio non tulerit acceptam. Quarum ſi alteram poſueris, evidenter corruet, & deficiet altera. Ex quo perſpicitur, in terminis ſibi contradicere Lockium, ſi quæſtio, quemadmodum a nobis expoſita fuit, intelligatur; qui cum inertem materiam eſſe poſuerit, ei nihilominus ſeſe movendi conceſſerit facultatem.

26. At ſi voluerit modificationes, & motiones, quæ in materia fiunt impulſionibus objectorum externorum, ejuſmodi fore, ut motiones animi imitari quoquomodo videantur, illas præſertim, quæ objectorum corporeorum repræſentationes, & veluti quædam in animo inſculptæ, & depictæ imagines ſunt; id certe ne inviti quidem concedemus: quamquam maximum inter ipſas diſcrimen eſſe dicimus: modificationes quippe, quæ in materia fiunt, certe ab alio fiunt, nec ex viribus materiæ originem ducunt, nec tempore eodem peraguntur. Contra autem actiones animi ab ipſo fiunt, qui non iners, nec vi ſe movendi deſtitutus eſt, ſed ſumma pollet efficacitate, unoque obtutu, unaque mentis actione & res diverſas, & maximis diſſitas intervallis comprehendit. Quapropter objectorum imagines, & repræſentationes, quæ in animo per cognitionem fiunt, diverſi generis ſunt, & toto cœlo differunt ab imaginibus, & repræſentationibus, quæ inſculpuntur in materia impulſionibus, & motionibus objectorum externorum: quamquam utraque ipſum objectum referat, ipſique accurate reſpondeat.

Digitized by Google

at. Quare duplex in Homine, quemadmodum obſervavimus ſupra, vis ſentiendi, & percipiendi diſtinguenda erit, & duplex objecti notio, & idea; quarum altera concreta, & corporea eſt, quamquam imago, & idea objecti ſit, nec niſi motionibus, & impulſionibus objectorum externorum efficienda; quarum idcirco verus ea effectus dici, & haberi debet; altera, quæ poſita, idea corporea, ab animo ſolum efformatur, vi cujus objectum corporeum ſit animo præſens, & ſiſtit, & ab eodem percipitur, & quoquomodo ſentitur: quæ, idea quamquam ſine idea, & imagine corporea obtineri nequeat, ab eadem tamen minime fit, nec verus ipſius effectus dici, & haberi debet; tota quippe quanta eſt, ex ſola animi vi, & efficacitate proficiſcitur. Igitur non concreta, nec corporea illa quidem habenda erit, niſi terminis ludere velimus, & alterius plane ordinis, & naturæ, nec cum illa profecto comparanda, quam ideam corpoream, & imaginem objectorum dicimus ex ſola motione organorum corporeorum oriundam.

27. Sed ulterius progrediendum erit. Quare per cogitationem vis illa ſine dubio intelligi debet, vi cujus objecta omnia, cujuſcumque generis ſint, animo ſiſtunt, & fiunt ipſi præſentia. De ipſis ſiquidem animus cogitat, eaque ſentit, & percipit, & plane cognoſcit. Quo ſenſu, inſtituta quæſtione, nihil poteſt dici Lockii opinione fallacius, aut magis a veritate alienum. Quæcumque enim vis illa ſit, quæ materiæ tribuatur, ea profecto ejuſmodi eſſe debet, ut ab alio neceſſario mutuetur, ne in terminis repugnemus, & dum materiam inertem eſſe dicimus, virtute quadam & efficacitate eam donemus, nec inertem propterea fateamur. Quidquid enim mutuatur, id quidem per motum fieri debet; vi cujus partes illam determinatam diſpoſitionem acquirant, aptam tamen, & idoneam ad effeuctm exhibendum. Atqui res concretionis expertes hujus motus incapaces ſunt. Quæ enim conſentio, aut proportio inter res abſtractas, & corporeas, & quæ invicem opponuntur poterit inveniri? quarum illæ, quia corporeæ nullo modo ſint, nullam motionem profecto in corpore excitare valeant, nul-

lamque

Digitized by Google

tamque propterea in ipſo mutationem, aut diſpoſitionem inducere, quæ vera ſit illius objecti imago corporea, & figura, quæque ad ipſum aliquam ſimilitudinem, & proportionem habeat. Quare hujuſmodi objecta, quæ concreta non ſunt; & motionis corporeæ prorſus incapacia, numquam materiæ ſiſterent, nec fieri poſſent ipſi præſentia; nulla quippe materiæ modificatio, aut repræſentatio eſt, quæ objecta inſenſilia, nec motionis corporeæ capacia repræſentet. Quod tamen ſi daretur; illud quidem, opinor, evidenter conſequeretur, materiam ex ſe motum generare poſſe, ſibique fingere formas, & imagines objectorum ſine ulla ipſius materiæ mutatione, aut diverſa partium diſpoſitione. Quo igitur pacto ea iners, & indifferens ſane ad motum, & quietem dicenda erit, quæ motum ex ſe inducit, nullo movente, & formas diverſas, & figuras induit, & propria vi diverſas ſibi dat, & ſubit mutationes? Quid in ſimplex, veruſque ſpiritus? Siquidem in unico, atque individuo materiæ puncto infinitæ ropemodum imagines inſenſibilium objectorum poſſent exiſtere. Cur non intelligens ea, & ratione utens, nec aliud ex alio nectet, quæ & res abſtractas videt, & omnem partium relationes, ſimilitudines, & diſſimilitudines contemplatur?

28. Quibus rebus omnibus nihil poteſt dici fallacius, nihil quod magis materiæ viribus adverſetur. Quare ne divinitus quidem effici poteſt, ut materia iners ſit, & vi ſeſe movendi polleat, & quamdam in ſe ſubeat mutationem, & repræſentationem, quæ ab alio non fuerit inducta, & plane mutuata. Neque enim Deus duo attributa, quæ invicem adverſantur in una, atque individua re conconjungere, nec Hominem efformare poteſt, qui ratione præditus ſit, & vi ſeſe movendi gaudeat, hiſque careat perfectionibus, & ratione deſtitutus evadat.

29. Quapropter certum, & evidens eſſe dicimus, materiam non ſolum minime cogitare, ſed etiam vi cogitandi deſtitui; cujus omnis natura inertia eſt, nec cum vi cogitandi, & intelligendi copulari poteſt, nullumque deinceps argumentum eſſe, ex quo hujus rei evidentia obſcurari, aut ſaltem debilitari poſſit. Neque enim verum eſt, quod

Digitized by Google

Lockius contendit, nos plane ignorare, an Deus concedere poſſit materiæ cogitandi vim, totamque propterea repugnantiam latere, quæ in his duobus attributis invenitur. Si quid enim noſtræ probationes valent, illud certum, & evidens eſt, inertiam vim omnem ex ſeſe movendi excludere, ac propterea cogitandi vim, quæ duo propterea invicem jungi, & copulari non poſſunt. Quam quidem rem, ut ſciamus, & plane demonſtremus; ſcire profecto nullo modo tenemur, omnes materiæ proprietates, & attributa, multoque minus neceſſe erit, ut mentem divinam pervadamus, & quidquid ipſa intelligit, cognoſcamus. Neque enim hoc licuit, aut nemini umquam mortalium licebit. Quare ſatis, ſuperque eſt, ut nos aliquod attributum in materia deprehendamus, quod vim omnem cogitandi excludat, nec cum ea copulari poſſit. Ex quo evidenter deducimus, duo illa attributa invicem pugnare, eaque in mente divina reperiri; ipſorumque mutuam contradictionem a Deo pervideri, & cognoſci, nec conjungi propterea ſimul poſſe; idque etiamſi nec omnes proprietates, & modificatienes materiæ pervadamus, nec cognitiones omnes videamus, quæ divinam rationem, & intelligentiam abſolvunt. Quapropter nihil hoc argumentandi genere debilius, aut putidius eſt; quo ſi utendum fuerit, nihil erit tam ſanctum, quod corruere, & labefactari, nihil contra tam abſurdum, aut rationis inimicum, quod probari, & demonſtrari non poſſit. Neque enim nos rerum omnium attributa, & proprietates videmus, nec perſcrutari omnes poſſumus, nec certam de omnibus, & evidentem cognitionem obtinemus. At quemadmodum monſtrari poteſt, aquam cum igne pugnare, & circulum triangulum non eſſe, quin idcirco ſcire teneamur, & corporum, & harum figurarum proprietates, & affectiones omnes (ſcire enim ſat eſt, & plane ſufficit, aliquam in altera re proprietatem inveniri, quæ alteri alterius proprietati adverſatur) ſic oſtendi poteſt, materiam eſſe prorſus indifferentem vel ad motum, vel ad quietem, nec efficiendi quidpiam habere vim, & poteſtatem, quæ non ab aliis cauſis, & motione aliorum corporum mutuetur, quin attributa omnia materiæ cognita

ta, & perſpecta penitus habeamus. Atqui hujuſmodi proprietas ejus generis eſt, ut cum perceptione illius materiæ, & cogitandi vi quam evidentiſſime pugnet: quidquid enim percipit, & rerum cogitationes quaſi totidem animo formas effingit, id certe ex ſe, nec vi propterea ab aliquo mutuata moveatur oportet, nec iners propterea, nec corpus erit, nec indifferens ſane ad motum, & quietem.

30. Quocirca etſi corporearum varia, & multiplici partium conjunctione, & commiſſura ſingulares ſane, & mirandi effectus, motuſque producantur; hi tamen hujuſmodi ſunt, ut & vi inertieæ conſentiant, nec aliqua ei ratione adverſentur. Aſt effici nulla induſtria, & labore poteſt, atque adeo nec Dei pleniſſima omnipotentia hoc poteſt, ut materia effecta generet vi inertiæ proſus repugnantia, & ne ſit indifferens, id quod natura ſua indifferens eſt, neque ab alio concepto motu, ſed vi propria, & natura moveatur, quod ex ſe, & natura ſua moveri non poteſt.

31. Quapropter hæc duo attributa *vis ſeſe movendi*, in qua tota cogitatio, & intelligentia ſita eſt, & *inertia* corporis, ſive *vis non ex ſe*, ſed *ab alio prorſus movendi*, ſic mutuo pugnant, & adverſantur, ut *rationale*, & *irrationale*, ut *album*, & *nigrum*, nec conjungi propterea in eodem ſubjecto, ne pleniſſima quidem Dei virtute, & poteſtate poſſint. Ex quo evidentiſſime concludendum arbitramur, ſpiritus, & materiæ vires diverſi generis, & naturæ fore; quas qui propterea conjungeret, & alias aliis confunderet; is certe ſatis demonſtraret, ſe utriuſque rei metaphiſicas proprietates ignorare, univerſamque propterea Naturam, cujus effecta, & phœnomena omnia ab his duabus viribus, tamquam totidem rerum omnium principiis, infallibiliter proficiſcuntur.

CAPUT III.
De Animi noſtri immortalitate.

32. QUamquam animus noſter natura ſua finitus, nec præterea æternus eſſe poſſit, nec quidpiam ex men-

mente divina derivatum, aut quodammodo diſcerptum, ut ſtulte quidem olim Pythagoras ſomniavit, at non idcirco interire debet; ſed contra natura ſua æternus, & prorſus immutabilis eſt. Siquidem alterum rerum creatarum naturam contradicit, alterum animi præſtantiæ, & quaſi divinitati conſentit. De origine autem animorum incertæ admodum, & plurimæ ſunt Philoſophorum ſententiæ. Et Plato ille quidem, quem divinum appellant, animos noſtros multo ante corporum creationem conditos fuiſſe, atque in totidem neſcio quæ aſtra collocatos, atque inde in humana corpora transfuſos fuiſſe, Pythagoram imitatus, commentus fuit: quaſi vero aſtra materia non fuerint, aut corpus, quod ante ipſorum creationem produci potuiſſet. Deinde animorum ex alio in aliud corpus translationes, quaſi tranſmigrationem quamdam complexus eſt. Et ille, inquit, qui recte, & honeſte vivendi curriculum a natura datum confecerit, ad illud aſtrum, quod ipſi magis aptum, & idoneum fuerit, revertetur. Qui autem intemperate, & immoderate vixerit, is in figuram muliebrem immutabitur; & ſi ne tum quidem finem peccandi fecerit, gravius etiam jactabitur, & in figuram quam ſimillimam ſuis moribus, pecudum ſcilicet, & ferarum transferetur. Verum hæc quidem deliramenta Philoſophorum ſunt, & veluti ægri ſomnia vana finguntur ſpecies; quæ tamen adumbratam erroribus veritatem continent. Nam hoc vel maxime probant, animos noſtros non ex hac materia corporea genitos, & propagatos fuiſſe, & immortales deinceps, & pæna quadam, aut præmio poſt mortem affici potuiſſe.

33. Nec minus aſſentior his, qui animos a parentibus in liberos generatione transfundi volunt. Quapropter, & VVolphii, & Leibnitii opinionem rejicimus, qui animos in hominum ſemine incluſos eſſe voluerunt; qui velint, nolint, Pythagoræ, & Platonis tranſmigrationem admittant, oportet. Quare hoc certum eſt, & tamquam certum prorſus conſtituo, animos nempe noſtros non jam ab initio mundi genitos, & procreatos fuiſſe; ſed continuo a Deo, atque ex nihilo prorſus procreari. Si quis autem a me petierit, quo tandem tempore, quibus ne poſitis diſpoſitionibus

nibus corporis animus creetur, & corpori conjungatur, candide me neſcire fatebor, id quod omnes fateantur neceſſe eſt, qui & candidi, & ſinceri eſſe, nec Ariolorum more divinare volunt. Illud præterea certum, atque indubitatum eſt, poſt aliquas diſpoſitiones organici corporis animos procreari, atque in illud transfundi; at quocumque tempore procreentur, non idcirco mortales dici, & haberi debent.

34. Quapropter dicimus: Animos noſtros natura ſua immortales eſſe, nullamque tantæ virtutis inveniri cauſam, ſi Deum potentiſſimum excipias, quæ in ipſos agat, eoſque deſtruat, atque in nihilum redigat. Hæc autem propoſitio fide certa eſt; quippe quæ ex ſacris litteris PP., & Conciliorum omnium teſtimoniis, & univerſæ Eccleſiæ judicio evidentiſſime comprobatur. Nec minus ea ratione conſtat; inviſtiſſimis namque argumentis, & momentis ex natura animorum petitis, compertum eſt, Hominum animos natura ſua immortales eſſe oportere, eſtque prioris propoſitionis inviſtiſimum, & infallibile corollarium. Quidquid enim ſimplex, & individum eſt, id quidem immortale, & natura ſua interire non poteſt; nec enim deſtruitur, quin in nihilum abeat; atqui hoc totum non minus totius Naturæ vires evidenter ſuperat, quam rei cujuſcumque ex nihilo procreatio; neque enim minor virtus requiritur, & neceſſaria eſt, ut res penitus deſtruatur, atque redigatur in nihilum, quam ut ex nihilo traducatur.

35. Sed audiamus præterea Tullium populorum omnium conſentione animorum immortalitatem comprobantem. "„Omnium autem in re conſentio, & omnium gentium „lex naturæ putanda eſt: quis eſt igitur, qui ſuorum mor„tem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitæ co„modis arbitretur..... Atque hæc ita ſentimus natura du„ce, nulla ratione, nullaque doſtrina. Maximum vero Ar„gumentum eſt, naturam ipſam de immortalitate animo„rum tacitam judicare, quod omnibus curæ ſit, & maxime „quidem quæ poſt mortem futura ſit..... Serit arbo„res, quæ alteri ſæculo proſint, (ut ait Statius in „Synephebis) quid expeſtat, niſi ad poſtera ſæcula per„tineret? Ergo arbores ſeret diligens agricola, qua„rum

„ rum aſpiciet baccam ipſe numquam, & magnus vir
„ leges, inſtituta, Rempublicam non feret? Quid procrea-
„ tio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones
„ Filiorum, quid teſtamentorum diligentia, quid ipſa ſe-
„ pulchrorum monumenta, quid elogia ſignificant, niſi nos
„ futura cogitare? Quid in hac Republica tot, tantosque
„ viros pro ipſa interfectos arbitramur: iiſdem ne ut fini-
„ bus nomen ſuum, quibus vita terminaretur? Numquam
„ ſine magna ſpe immortalitatis ſe pro Patria offerrent ad
„ mortem. Licuit eſſe otioſo Themiſtocli, licuit Epaminon-
„ dæ, licuit, ne & vetera, & externa quæram, mihi; ſed
„ neſcio quoquomodo inerat mentibus quaſi ſæculorum quod-
„ dam augurium futurorum; idque in maximis ingeniis,
„ altiſſimiſque animis, & exiſtit maxime, & apparet fa-
„ cillime: quo quidem dempto, quis tam eſſet amens, qui
„ ſemper in laboribus, & periculis viveret? Quod ſi ho-
„ minum conſenſus Naturæ vox eſt, omneſque, qui ubi-
„ que ſunt, conſentiunt, eſſe aliquid, quod ad nos perti-
„ neat; nobis quoque idem exiſtimandum eſt; et ſi quorum
„ aut ingenio, aut virtute animus excellit, eos arbitramur,
„ quia natura optima ſunt, cernere Naturæ vim; maxi-
„ me veroſimile eſt, cum optimus quiſque maxime poſte-
„ ritati ſerviat, eſſe aliquid, cujus poſt mortem ſenſum
„ ſit is habiturus.

36. Quapropter ſive intimam naturam animorum noſtro-
rum inſpiciamus, & proprietates, & affectiones, quibus illi
quidem obnoxii ſunt perſcrutemus, ſive totius de hac re
univerſæ Naturæ judicium conſulamus, certum, & evidens
plane eſt, animos noſtros ſimplices quidem Spiritus, & prorſus
immortales eſſe, nullamque tantæ virtutis cauſam in uni-
verſa Natura reperiri, quæ poſſit ipſos diſſipare, & per-
dere, atque ad nihilum ſane redigere. Huc accedit, quod,
animorum immortalitate ſublata, virtus omnis tolleretur
ſine qua & inſtituta, & leges, & ſocietates omnes corrue-
rent: quo certe nihil poteſt excogitari magis abſurdum,
aut imaginari dementius.

37. At ulterius progrediendum, neque modo monſtrandum
erit, animos immortales eſſe oportere, neque interire, & ne

de-

deſtrui quidem a Deo poſſe, ſi ſartas tectas Naturæ leges eſſe velit, ſed illud præterea connitendum eſt, tantam nimirum animorum excellentiam fore, ut ex ea evidentiſſime concludatur, eos in æternum conſervatum iri, ipſoſque ſine fine victuros. Ex quo efficitur, ut pluſquam immortales, evadant, & ab illis rebus ſecernantur, quæ quia ſimplices, immortales natura ſua ſunt, (cujuſmodi forent puncta ſimplicia materiæ); incertum tamen eſt, an in perpetuum conſerventur, nihilque propterea de ipſarum æternitate poſſumus affirmare. Nam nihil in his naturis deprehendimus, quod immortalitatem poſtulet, & impediat quodam modo omnipotentiæ vim, nihil quod Deum ad ipſarum conſervationem quoquomodo compellat, nihil, ex quo juſta conſecutione concludamus voluntatem divinam, qua nollit rebus natura ſua ſimplicibus, & immortalibus vim inferre, eaſque velit ſine fine manſuras. At multo ſecus ſe res habet in Homine, in cujus natura veram, tutam, & ſufficientem rationem deprehendimus, ex qua juxta conſecutione cognoſcimus, Deum animos in æternum conſervare velle, nec eos perdere, & diſſipare, nec ipſis violentiam inferre. Tanta ſiquidem excellentia, & virtus animorum eſt, ut & ipſi in æternum ſuas actiones, & operationes exercere valeant, & velle, & amare, & laudare Deum poſſint, & ipſius attributa, & majeſtatem intelligere, & contemplare, & perpetuo venerari; mereri item, & demereri in æternum: quæ omnia tutum, & efficax argumentum ſuppetunt, ut de perpetua ipſorum conſervatione veriſſime, & infallibiliter judicemus.

38. His adde, quod cunctis Hominibus inſit quædam beatitudinis inſita, & ut ita dicam innata cupiditas, quæ cum in hac vita expleri, & ſatiari nequeat, fruſtra ab Auctore Naturæ Deo indita fuiſſet, niſi poſt mortem ejus exaturandæ facultas ſuppeditaretur; ſecus enim multo quidem homine bruta animantia feliciora eſſent, & beatiora, quorum cupiditates, & appetitiones pleniſſime in hac vita ſatiantur.

39. Sed eſt & alia ratio, ex qua Dei voluntas de animo conſervando invictiſſime eruitur. Nam ſi Deus animos noſtros

ſtros deſtrueret, num juſtus ipſe, num ſumme providus haberetur? Cum enim homo juſtus non minus, quam injuſtus eſſe poſſit, certe ad Dei æquitatem, & bonitatem ſine dubio pertinere videtur, ut digna compenſatione mortalium merità remuneret, peccata puniat, & demerita. Certiſſimum autem eſt, hanc remunerationem non ſemper in hac vita fieri: improbos namque ſæpe felices, & bonis omnibus affluentes, probos autem, & bonos, & ſapientes viros toto ætatis curriculo calamitatibus, ærumnis, ac laboribus coopertos, & oppreſſos videmus. Quid igitur reſtat providentiæ divinæ omnino conſentaneum, niſi ut tempus aliquod præparaverit, & definiverit, in quo mercedem quiſque ſuis meritis reſpondentem conſequatur? Quod quidem argumentum ita efficax, & robuſtum judico, ut ſi minus Deum animos noſtros delere, & deſtruere non poſſe, eos tamen numquam delendos, aut deſtruendos evincat.

40. Sed contra hæc argumenta, quibus hujuſmodi veritas demonſtratur, plura etiam congeruntur, & objiciuntur argumenta, quibus ſi minus veritas frangi, & debilitari valeat, at obſcurari quodammodo videatur. Primum itaque argumentum, & quod majorem ſpeciem, & robur habet ex affectionibus, quibus animus ſubjacet, petitum eſt. Videmus enim, nec de eo dubitare poſſumus, animos nempe & creſcere, & adoleſcere, & ægrotare, & vigere, ſuiſque etiam morbis laborare, ipſiſque adeo, quibus corpus medicinis curari, & invitum a corpore, & reluctantem diſcedere, & alia bene multa, quæ confertim agglomerat Lucretius, ut animos corporeos, & ex terra fictos, & natos eſſe demonſtret. Verum tamen inepte quidem. Quid enim magis certum, & exploratum eſt, quam animos, dum in hoc corpore, quaſi carcere quodam mancipati detinentur, nihil plane percipere, & videre, nullaſque rerum corporearum formas, & imagines ſibi fingere, & efformare poſſe, ſine motionibus corporeis? Eget namque in ſuis perceptionibus animus objectorum præſentia, quæ numquam, dum corpore retinetur, haberi poteſt, niſi mediis quibuſdam motionibus corporeis, & repræſentationibus, & imaginibus, quæ certiſſime, & infallibiliter eo clariores, vividiores,

 & in-

& intenſiores erunt, quo ſenſus magis ſani, & robuſti fuerint, quo perfectior, & aptior partium diſpoſitio, & quo magis ordinatæ, & conſtantes motiones fient, quibus objecta corporea ad animi ſphæram deferuntur. Itaque quid mirum, quod aucta partium perfectione creſcat quodammodo, & perficiatur animus, quod vigente corpore vigeat, quod ægrotante infirmetur, ipſiſque adeo quibus corpus curetur medicamentis, communeſque in utroque affectiones videamus? Quare ut efficax, & robuſtum argumentum eſſet; illud vero proculdubio probandum, objecta omnia animis ſiſtere, & præſentia fore ſine ulla motione, & repræſentatione corporea, nec corpore uti animum tamquam inſtrumento quodam in ſuis operationibus obeundis; quo certe nihil magis fallax, & a veritate magis alienum. Cur igitur alterum ex altero concludendum erit; potiſſimum cum ex aliis animi motionibus evidentiſſime deducamus, eas per motum corporeum fieri nullo modo poſſe, nec per motum corporeum explicari, eaſque propterea ſimplices eſſe, & prorſus immortales animos.

41. Reliqua vero argumenta vix robur habent, & ſunt plane leviſſima. Itaque declaranda potius, quam refellenda ſunt. Neque enim ex eo, quod animus principium habuerit, finem quoque habiturum concludendum erit. Nam alterum non autem alterum ad notionem Creaturæ pertinet. Illud præterea, nec invitus quidem concedo, illas res omnes, quæ ſolum per creationem fieri poſſunt, indeſtructibiles quidem fore; non autem illas, quæ productione dumtaxat fiunt, quibus non exiſtentia, ſed diverſus dumtaxat modus exiſtendi tribuitur. Hujus generis ſunt res compoſitæ omnes, quæ fiunt ſola diverſa partium textura, & diſpoſitione, & diverſa ſolum exiſtendi ratione, quæ propterea non ſuperat omnium cauſarum vires; atque idcirco variari, & ad primævum ſtatum redigi ab ipſis ſine dubio poteſt. Quidquid vero ſimplex, ſolumque per creationem efficitur, id quidem diverſos exiſtendi modos acquirere nullo modo poteſt, diverſamque ſui mutationem, quin a non exiſtendo ad exiſtendum, vel contra traducatur; id quod certe virtutem omnium cauſarum excedit, quæ diverſos tantum in exiſtendo modos rebus omnibus impertiri poſſunt. 42.

42. At quid dicam de argumentis ex Scripturæ authoritate petitis, quibus Homo jumentis inſipientibus comparatur, idemque interitus, & finis, & principium conſtituitur? Nihil enim hoc ineptius, aut ſtultius fingi, & imaginari poteſt. Nam ſi quæſtio ſolummodo authoritate definienda ſit, cauſa omnis finita erit. Nihil enim aut certius, aut magis exploratum eſt, ex infinitis propemodum SS. literarum teſtimoniis, omnium PP., & Conciliorum conſentione firmatis, quam animos noſtros ſimplices, & Spiritus intelligentes, & immortales fore, atque in æternum etiam permanſuros, ut certi non modo ſimus animis noſtris debitam eſſe immortalitatem, verum eriam eos ſine fine victuros. Si ergo de Hominis interitu quandoque Scripturæ loquantur, certiſſime, & infallibiliter intelligendæ ſunt de ſeparatione Spiritus a corpore, brutorum reſolutioni quam ſimillima.

43. Sed ut omnis quæſtionis veritas in majori lumine collocetur, hæc duo accipe; quarum prima eſt, animos noſtros non ita immortales eſſe, ut ne a Deo quidem diſſipari poſſint. Sunt enim ſolummodo natura ſua immortales; non autem indeſtructibiles per eſſentiam. Quare ſi Deus vellet animos noſtros deſtruere, id quidem poſſet, & propria vi, nec ab alio mutuata poſſet; nihilominus hoc totum fieri naturaliter nullo modo poſſe dicimus. Ne ergo vocis ambiguitate decipiamur, tum ſolum Deum quidpiam naturaliter efficere tenendum eſt, cum res illas operatur, quæ a viribus etiam Naturæ patrari potuiſſent. Sin aliquid fiat, quod a viribus ipſis Naturæ effici minime potuiſſet; illud quidem naturale non erit, & ne a Deo quidem effici poterit, ſi juxta naturæ leges operetur, nec majorem vim adhibeat in effecto producendo, quam quæ in omnibus viribus Naturæ reperitur. Hæc autem vis, etſi major cunctis Naturæ viribus habeatur, propria tamen Dei eſt, nec ipſius naturam, aut poteſtatem maximam ſuperaret, aut majorem in altero, quam in altero difficultatem inveniret. Ipſa enim vi, & efficacitate, & facilitate utrumque ageretur a Deo, quamquam totus ſecutus effectus numquam naturalis haberetur, ſi ab aliis etiam viribus induci minime potuiſſet.

44. Altera res eſt, Deum nullo modo teneri ad animorum creationem, eamque ab ipſis nec exigi, nec quodammodo poſtulari; quamquam ipſi animi poſt creationem vere immortales, & indeſtructibiles prorſus evadant: eoque veriſſime dicatur, quod ſui conſervationem, & æternitatem exigant. Maximum quippe inter utramque rem diſcrimen eſt, nec alterum ex altero temere concludendum. Siquidem nihil erat animus ante ſui creationem, nihilque ipſi inerat, quod raperet divinam voluntatem, atque ad ſui productionem compelleret. Quidquid enim creavit Deus, id quidem libere prorſus creavit, nec aliqua lege ad creationem rerum compulſus fuit; quæ cum infinita bonitate careant, tum ut crearentur prorſus indifferentes erant. Dum vero creantur, certe tunc aliquid ſunt, & habent, tunc omnem indifferentiam amitunt, tum denique exigunt ſui conſervationem, quæ in eo ſita eſt, ut res omnes perpetuo exiſtant, niſi aliarum cauſarum viribus deſtruantur. Ergo quæ res exiſtunt, ſui profecto conſervationem poſtulant: quamquam non omnes æque poſtulent, nec æque omnes ſuperent vires cauſarum omnium, nec æque omnes a viribus Naturæ deſtruantur. Omnes autem in eo conſentiunt, ut nihil ante ſui productionem poſtulent; idque ſolum poſt productionem poſtulent, ut niſi cauſa quævis acceſſerit, quæ omnem tollat exiſtentiam, ſtatum, quem habent; perpetuo ſervent, & retineant. Quod ſi res hujuſmodi fuerit, quemadmodum habentur animi, ut nulla vi creata deleri, atque ad nihilum redigi queant, indeſtructibiles prorſus, & immortales ſine dubio erunt, & ſtatum perpetuo conſervabunt, quem ne Deus quidem poteſt tollere, niſi ipſis rebus vim inferat, & omnipotentiori virtute, & excedente vires cauſarum omnium operetur.

45. Sed quamquam hæc certa, & explorata ſint, nihilque in Creaturis reperiamus, quod earum creationem poſtulet, nonnulli tamen ſunt Philoſophi, qui dubitent, num, poſitis quibuſdam corporeis diſpoſitionibus, Deus ſaltem, ut Author Naturæ ad animorum productionem, & conjunctionem cum corpore teneatur. Quæ opinio non placet, nec ſatis video, quo fundamento poteſt inniti dubitatio, niſi pariter

riter

riter de animorum noſtrorum natura, & excellentia dubitemus. Non enim id intelligi poteſt, niſi diſpoſitiones corporeæ vere exigant animorum conjunctionem, quæ propterea conjunctio verus ipſarum effectus erit, ipſiſque debita naturaliter.

46. Ideo namque Deus ut Auctor Naturæ lucem impedire non poteſt, ex quo corpus lucidum efformarit, vel illam partium diſpoſitionem induxerit, quia lux debita eſt illi partium diſpoſitioni, ex eaque oritur, & efficitur, veruſque propterea ipſius effectus dici, & haberi debet. Ergo ſi, poſita partium definita diſpoſitione, debita minime neceſſario ſit animorum procreatio, & conjunctio, ne Deus quidem tenebitur, ut Auctor Naturæ ad animorum creationem, & transfuſſionem in corpus. Qui ſi teneatur, tota profecto animorum conjunctio, & procreatio debita quodammodo erit illi partium modificationi, & figuræ, veruſque effectus ipſarum. Cur ergo non corporei animi, quorum procreatio ex cauſis corporeis pendet, ſi minus ab ipſis efficiatur? Omnis quippe effectus rei corporeæ corporeus ſine dubio eſt, nec cauſæ effecta diverſorum generum generare valent. Quapropter hujuſmodi quæſtio, niſi alio ipſius ſenſus detorqueatur, in materialiſmum aperte ducit; idque ſane ponit, ex quo juſta, & infallibili conſecutione deducitur, animos noſtros, quos ſimplices, & Spiritus eſſe volunt, corporeos eſſe, nec ab omni concretione materiæ ſecretos. Nulla ergo forma, nec apta partium diſpoſitio eſt, cui debita ſit animorum conjunctio, nihil, quod diſſimiles illas, atque inter ſe repugnantes naturas invicem conjungere, & copulare poſſit, nihil denique, quod Deum ad animorum procreationem compellat; idque etſi ad ſtatutas, & fixas Naturæ leges operari velit.

47. Itaque omnis procreatio animorum, & conjunctio cum corpore liberrima Deo fuit, & ab ipſo ſolum pendet, nec ab omnibus Naturæ viribus, etiam poſitis quibuſvis diſpoſitionibus corporis, effici poteſt. Quemadmodum ergo nulla Naturæ lex violaretur, etiamſi Deus animos minime procrearit, idque poſitis certis quibuſdam corporis diſpoſitionibus, ita nec aliqua lex Naturæ reperitur, qua Deum

ſaltem ut effectorem Naturæ ad procreationem animorum cogat, niſi ea deinceps diſpoſitionibus illis debeatur. Itaque in terminis repugnatur, dum animos ſimplices, & Spiritus, & alterius ſane ordinis eſſe dicimus, eodemque tempore ipſorum procreationem deberi, & quodammodo effici volumus a cauſis, quæ nullam cum effectu rationem habent Quid enim ſpiritus cum materia commune habet? Aut quæ Naturæ lex, poſitis quibuſvis in materia diſpoſitionibus, & modificationibus, nexum, & conjunctionem rerum diſſimilium, atque inter ſe repugnantium exigeret, & quodammodo poſtularet? Id enim vires omnium cauſarum ſine dubio ſuperat, ſolumque virtute Dei omnipotenti effici poteſt.

CAPUT III.

De Commercio Animi cum Corpore.

48. Difficillima, & obſcuriſſima ſane quæſtio tractanda eſt, in qua quid probari, & rejici debeat, vix infirma ratione noſtra aſſequi poſſumus. Itaque ſumma diligentia, & ſtudio opus eſt, ut quæ animi noſtri ſit in corpus vis, & actio, corporiſque in animum viciſſim conſtituere, & definire quoquomodo valeamus. Quod ut aſſequamur, primum ad obſervationem confugiendum erit, tum in cauſam effectorum inquirendum, quæ intra nos geruntur, nec de ipſis propterea dubitare poſſumus. Et primo quidem ſi quæ intra mentem, corpuſque experimur, ſedulo contemplemur, hæc profecto deprehendimus, nos ſcilicet membra quædam, ut oculos, pedes, linguam pro arbitrio, & voluntate animi movere, vel non movere poſſe.

49. Deinde animi fervorem, & concitationem in corpus ipſum ſæpiſſime redundare videmus, vi cujus humores, & ſanguis ſummopere perturbantur: quæ tota perturbatio, & effervеſcentia, deferveſcente animi æſtu, & calore ſedatur, prorſuſque quieſcit; id quod in homine potiſſimum ira inflammato perſpicimus. Hæc igitur, & ſimilia, quæ in nobis ſæpe numero ſentimus, ſine dubio quamdam animi

in

in corpus actionem evidenter evincunt, ſi nulla deinceps adſit cauſa, quæ obſtet, & impediat.

50. At ſunt præterea alia plura, quæ ſimiliter in machinæ noſtræ conſtitutione obſervantur, quæ ipſam actionem corporis in animum comprobare videntur. Si enim ſenſuum organa rite conſtituta ſint, & prorſus valentia, rerum externarum actione pulſantur, & commoventur; quorum mutationum perceptio continuo, & facillime enaſcitur in animo, niſi is altiſſima quadam meditatione defixus ſit, vel ſomno profundiſſimo ſane deditus, quæ rei externæ, ſenſum afficientis, repræſentatio eſt, eaque, motione ceſſante, illico, vel paulo poſt evaneſcit. Illud præterea certum experientia eſt, multa in corpore exiſtere, & reperiri, quæ mentem acuunt, & quæ obtundunt, plurima. Etenim ſi quo languore, aut morbo corpus impediatur; ægritudine, & moleſtia quadam ſimiliter animus afficitur. Contra vero valente, & vigente corpore, mens quoque multo paratior, & expeditior redditur ad ſua munera, & officia obeunda. Ex quibus facile perſpicitur, cur hæ ideæ potius, quam aliæ excitentur; cur hoc potiſſimum tempore, quam alio habeantur, & contra. Plurimarum itaque affectionum animi ſufficiens tota ratio in motionibus corporeis ſita eſt, non ſecus ac motuum, qui fiunt in corpore tota ratio ex conſtitutione animi, & vi, & actione petenda eſt. Atque hinc mira illa corporis, & animi conjunctio, & arctus ille nexus ortus eſt, qui commercium a Philoſophis dici conſuevit, quod illi ſolum Philoſophi negare poſſunt, qui dum præ ceteris ſubtiliores, & acutiores, & quaſi ex luto meliori formati videri volunt, in abſurda quæque miſere dilabuntur. Itaque rejicimus, atque omnino contemnimus tum Scepticos, qui nihil affirmandum eſſe putant, tum Idealiſtas, qui corpora omnino extare nolunt, tum maxime Materialiſtas, qui res a Natura omnino ſeparatas, ſecretaſque conjungunt, animumque corporeum eſſe, nulla ratione, & fundamento innixi, miſere fabulantur. Siquidem mirandæ, & multiformes Hominum operationes, quas omnino perſpectas, cognitaſque habemus, utrumque evidenter confirmant, neque ex uno, atque individuo principio illæ quidem

dem proficiſci poſſunt. Sed quamquam omnes ſanæ mentis Philoſophi hoc animi, corporiſque commercium probent, recipiantque; id quod perſpicuum, & evidens omnino eſt ex iis rebus, quas in nobis perſentimus, quo tamen hoc pacto, & ratione fiat, non una omnium Philoſophorum opinio eſt, & diverſimode admodum explicatur.

51. Et quidem Carteſius nobilis in primis Philoſophus, ut quæſtionem difficillimam enodaret, facillimamque redderet, ad Deum ipſum confugit, nodunque amputaviſſe potius, quam diſſolviſſe credendus eſt; nec tamen graviſſimas ex ea opinione orituras difficultates vitavit, & dum vitare voluit Scyllam, incidit in Carybdim. Ait enim, pulſione extrinſecus oblata, vel excitata motione quadam corporea, continuo in animo ideas motioni corporeæ convenientes, & prorſus proportionales a Deo fingi, & generari; atque viciſſim, orto in animo motu, voluntaris Dei decreto effici motiones in corpore animi motionibus conſentaneas. Quocirca corporis, animique conſentio, & mutua tendentia, & alterius in alterum vis, & actio mere apparens eſt in hypotheſi Carteſiana. Ponitur namque in ea, Deum certam tuliſſe legem, quæ nullo tamen conſtituitur fundamento, vi cujus fieret, ut poſitis quibuſdam mutationibus corporis, certæ in animis ideæ, rerumque formæ fingerentur, itidemque in corpore certi, & definiti motus, poſitis quibuſdam animi appetitionibus. Hoc autem ſyſtema, quod ad explicandum animi, & corporis commercium inſtitutum fuit, atque cauſarum occaſionalium ſyſtema appellari ſolet, omnium abſurdiſſimum cenſendum eſt, neque a veritate ſolum alienum eſſe, ſed ne ſubſtineri quidem aliqua ratione poſſe judicamus. Quod ne temere quidem dictum a nobis videatur, ſic ejus vitium, & falſitatem oſtendimus.

52. Et 1. quidem quærimus, an omnes omnino animi affectiones a Deo efficiantur, an ne aliquæ dumtaxat? Si primum; igitur nulla in nobis exiſtet libertas, immo ne anima quidem. Unde enim, & quibus operationibus ea poterit demonſtrari, cum ideæ potiſſimum, quæ a Deo efficerentur, æque effici ſine anima potuiſſent? Quod ſi nihilominus demus, & notiones illas effici a Deo nullo modo

poſſe,

poſſe, niſi exiſtat animus, fateamur; illud vero Carteſius concedat, oportet, motiones illas non ex arbitrio, & voluntate animi proficiſci, ſed ex ſolo Dei arbitrio, & voluntate pendere; quod enim a Deo efficitur, id quidem non ab animo erit, qui quidpiam ex ſe & velle, & repudiare non poſſet, ſi omnes ipſius motiones ſolummodo a Deo orirentur. Quo igitur pacto libertate gaudebit? Tum enim libertas habetur, cum operatio una potius, quam altera eligitur, eaque ex ſola animi vi, & efficitate oritur, & efficitur.

53. Quod ſi aliquæ operationes a Deo, aliquæ vero ab animo oriantur; cur non ab eo omnes? An major efficacitas, & virtus ad has potius, quam illas efficiendas requiritur? Cur alias ab aliis animus non ſecernit? Cur de omnibus idem efformat judicium? Certe quidem Joſue clariſſime ſenſit, quod diſcrimen intercederet inter ſolis ceſſationem a curſu, cujus occaſio tantum fuerat, & haſtæ vibrationem ab ipſo profectam. Quin etiam ſi hæc valeret opinio, tot miracula haberemus, quot animi operationes; quippe quæ totius naturæ vim, & poteſtatem ſuperarent. Nec vero ex miraculorum, & prodigiorum cenſu operationes illæ expungendæ ſunt; quia, ut efficiantur, tam corpus, quam anima occaſionem præbent. Siquidem Lazari ad vitam revocatio precibus, lacrymis, & ſororum mœſtitudine a Chriſto operata fuit, nec minus ea miraculoſa cenſetur. Ex tot ergo, tamque multiplicibus rationibus, invictiſſimiſque momentis palam, opinor, eſt, abſurdam eſſe opinionem Carteſii, & a Metaphyſica ſane rejiciendam.

54. Alterum ſyſtema eſt cauſarum efficientium, ſive *influxus*, ut dicunt, *phyſici*, quod in vera, & in mutua efficientia animi in corpus, & hujus adverſus animum viciſſim ſitum eſt. In hoc autem ſyſtemate docetur, has duas naturas, corpus ſcilicet, & animum, quamquam valde interſe diſſimiles ſint, ita mutuo obſtrictas, atque devinctas eſſe, ut altera in alteram vere, & efficienter influat, veramque actionem exerceat: nec tamen quidpiam ex illa mutua actione alterius in alteram transferatur. Siquidem impreſſis in ſenſibus motionibus, & muſculorum, & nervorum ope uſ-

que

que ad cerebrum propagatis humana mens ad ideas efformandas determinatur, & quaſi illa pulſione corporea afficitur, & movetur. Similiter ſi quævis voluntas in animo ſuboriatur, continuo impelluntur nervi motione animi, motuſque in eo membro, quod movere vult, conſequitur voluntarius. Cenſent præterea in humano corpore incitari motus, qui cauſam in ipſo corpore antecedentem nullam habeant, quippe qui appetitione, & movendi facultate animi generentur. Itemque ipſas motiones in membris corporeis extingui ad mentis arbitrium, nullo in natura corporea motu conſequente.

55. Hoc quidem ſyſtema, quod omnes fere Scholaſtici tenuere, cum obſcuriſſimum ſit, tum ex eo animos noſtros corporeos eſſe, nec a materia ſecretos facile quiſque demonſtrare poterit, dummodo per influxum phyſicum vera actio, & phyſica corporis in animum intelligatur, nec ad alium ſenſum transferatur vox; ac propterea ne defendi quidem poſſe judicamus, illæſis juribus Religionis. Quare nihil mirum eſt, quod noſtris temporibus hoc totum ſyſtema ubique probatum, & receptum fuerit ab his præſertim, qui animorum, & materiæ vires invicem confundere, & permiſcere ſatagebant, vel certe vires materiæ ultra æquum perducere voluerunt. Contra hos igitur potiſſimum agendum erit, qui quæſtionem vero ſenſu intelligentes, tantam eſſe vim materiæ conſtituerunt, ut vere ea poſſit in Spiritum agere, veramque in animum motionem efficere; non autem in Peripateticos, qui id ſolum voluerunt, materiam ſcilicet ideo in animum phyſice influere, vereque agere, quia ea veluti quoddam inſtrumentum ſit, & occaſio ſine qua animus nihil quidpiam perciperet, quamquam motio illa ab animo fieret, nec motione corporea gigneretur. Quare dicimus vires materiæ tota Cœlo diferre ab animorum viribus, eaſque inferioris cujuſdam eſſe ordinis, nec quidpiam propterea in animum agere poſſe, & ne minimam quidem in ipſo, tamquam cauſam efficientem, motionem, & effectum inducere. Etenim ſi corpus in animum phyſice ageret, phyſicamque actionem exerceret, nonne motum ipſi corporeum imprimeret, & vere communicaret? Atqui hæc motus commu-

municatio fieri nulla ratione poteſt, nec plane intelligi, niſi ſpiritus concretus, & corporeus, & prorſus impenetrabilis habeatur. Ideo namque corpus alterum in alterum agit, motumque gignit, quia alterum alterius motibus reſiſtit: atque ea ſolum de cauſa reſiſtit, quia in uno, eodemque loco duo illa corpora, cum natura ſua impenetrabilia ſunt, exiſtere nullo modo poſſunt. Qua certe ratione, ſi animus noſter reſiſteret, nonne corporeus, corporiſque proprietatibus omnibus præditus haberetur? Neque enim penetrabile id dici poteſt, quod motioni materiæ impenetrabilis omnino reſiſtit. Ex quo efficitur, vel ſpiritum conjungi cum materia nullo modo poſſe, nec in uno eodemque loco collocari, eoque non eſſe ab ipſa penetrabilem, vel materiam in ipſum phyſice agere nullo modo poſſe; quæ motum ſolum corporibus imprimit, quia non poteſt cum ipſis compenetrari. Atque hoc quidem argumentum ita efficax, & robuſtum exiſtimo, ut eo penitus conficiatur, vires materiæ diverſi eſſe generis, & ordinis, ſi viribus ſpiritus comparentur. Quare niſi prius monſtretur, omnem in materia vim ex ſola impenetrabilitate minime oriri; id quod ubi de virium mechanicarum origine confeciſſe putamus, & illud deinceps elementum oſtendant ab impenetrabilitate diverſum, ex quo vis tota corporis ducenda eſt; certiſſime tenendum erit, vires materiæ, & ſpiritus diverſas eſſe, nec in animum quidpiam eas phyſice agere poſſe, niſi is deinceps concretus, & corporeus ſit, & impenetabilis prorſus evadat.

56. Deinde vel in animis concipimus vim, & virtutem quamdam, qua, poſita motione, & repræſentatione corporea, ipſam propria vi, nec ab illa motione corporea inducta percipiat, vel totam percipiendi vim ex ſola motione corporea mutuamus. Si primum dixerint, cur materia in ſpiritum agere debeat, ego vero non video. Ipſe namque effectus tum a materia, tum ab animo oriretur, qui vim in ſe haberet producendi motum, quo objecta in motione, & repræſentatione corporea perviderer. Itaque unius, atque individui motus duplex cauſa conſtitueretur, æque apta, & idonea ad inducendum effectum. Quo certe nihil dici po-

poteſt ineptius, & a Natura magis abhorrens. Neque enim plures rerum cauſæ confingendæ ſunt, quam quæ veræ, & neceſſariæ ſint ad effectum obtinendum. Sin ſecundum; illud etiam evidenter ſequitur, quod æque, vel magis abſurdum fortaſſe, animos ſcilicet noſtros poſt mortem nec vivere, nec cogitare, nec quidpiam agere, aut efficere, aut velle poſſe; quippe qui illo inſtrumento carerent, a quo omnem vim mutuarent ad ſuas obeundas operationes. Accedit eodem, quod ſi animus vim ſeſe movendi ex motione, & repræſentione corporea mutuaret, num vi propria, nec ab alio moveretur? Num quippiam velle, aut repudiare poſſet, quin motione corporea excitaretur? Nonne motionis corporeæ impetum, & directionem ſequeretur? Quo certe nihil poteſt dici ſtultius, magiſque animorum viribus, & naturæ repugnans. Quidquid enim ſpiritus eſt, id quidem principium mirum efficax credendum eſt, & a viribus materiæ diverſum, id vim & poteſtatem quamdam habere debet ad ſe movendum, nullo movente, nullaque alia externa motione, tamquam vera cauſa efficiente, actum, & impulſum: qua & imagines corporeorum objectorum attingat, & plane videat; eaque & ſecum ipſis, & cum aliis comparet, & rectum de ipſis judicium efformet. Ita cæteri Spiritus, multoque magis Deus objecta omnia percipit, naturamque omnem pervadit, & proprietates omnes animadvertit; idque vi, & natura ſua, nec ab objectis mutuata: quamquam nihil ſane Deus perciperet, ſi nulla extarent objecta, nulluſque eſſet terminus, in quem Divina ejus mens, & intelligentia terminari poſſet. Itaque inter Dei, & Spiritus intelligentiam hoc unum adeſt diſcrimen, quod Deo, non autem Spiritibus, omnes res ſiſtant, nec extra ſphæram activitatis, & intelligentiæ Divinæ collocentur. Quapropter duo ab adverſariis apertiſſime confunduntur, id quod ſæpe evenire ſolet in quæſtionibus arduis, & omni deinceps fundamento, & veroſimilitudine deſtitutis: alterum objecta corporea ſine motione quadam corporea animo ſiſtere, & præſentia fieri, & ipſius ſphæram attingere nullo modo poſſe; eamque propterea veram eſſe cauſam, qua rerum corporearum imagines efformentur, quibus ſolummodo objecta

ad

ad ſphæram animi deferuntur: alterum ipſas motiones corporeas nil quidpiam in animo vere efficere, aut vim, & poteſtatem ipſius augere, aut ipſas inpulſiones corporeas objectorum cum ſimplicibus actionibus, & repræſentationibus animi coufundi poſſe. Quapropter totam Lockii opinionem tamquam fallacem, & erroris plenam rejicio, qui motiones illas, & repræſentationes corporeas, quibus objecta ſenſilia, & concreta ad animum deferuntur, ipſique præſentia fiunt, cum ipſis motionibus, & perceptionibus animi permiſcuit. Nec vero ſi animus ex ſe vim, & poteſtatem habeat ſe movendi, & cognoſcendi, idcirco omnia cognoſcet, ipſique fient præſentia. Hoc namque totum ad extenſionem, & perfectionem ſpiritus pertinet, qui eo plura, vel pauciora objecta percipiet, unoque veluti obtutu pervidebit, quo excellentior ejus natura fuerit, ut qui omnia pervadat, unaque, & ſimplici perceptione comprehendat; id in iutelligendo perfectiſſimum, id Deum dico.

57. Quamobrem hoc primum certum, ſpiritus omnes, etſi ſummæ efficacitatis ſint illi quidem, non omnia poſſibilia pertingere, neque objecta omnia in veram ipſorum ſphæram collocari. Illud vero dubium, quo pacto objecta intra ſphæram animorum collocentur. Quocumque autem pacto, & ratione hoc fiat, multo id quidem facilius in animo, dum corpore quaſi quodam carcere mancipatur, quam in ſpiritibus intelligitur, & mechanice prorſus explicatur. Mediis ſiquidem motionibus corporeis, tamquam totidem cauſis efficientibus, imagines rerum corporearum in aliqua parte corporis depinguntur, quibus objecta extra ſphæram animorum poſita, animo quodammodo ſiſtunt, & præſentia fiunt; quo ſolum conſtituto, jam clare percipimus, quo pacto animus, qui vi ſeſe movendi pollet, illa objecta per vim, & motionem propriam, nec ab alio mutuatam agnoſcat, ipſorumque ſibi veram imaginem repræſentet. Quapropter motiones corporeæ, ſi ad illam repræſentationem, & veluti ideam, & imaginem corpoream referantur, vi cujus objecta corporea viciniora, ut ita dicam, fiunt, atque intra ſphæram animorum collocantur, veræ profecto ipſius cauſæ efficientes dici, & haberi debent; ſin ad ani-

animum medium dumtaxat ſunt, & veluti quoddam inſtrumentum, & conditio, ſine qua objecta corporea minime viderentur. Quocirca nihil quidpiam in animo efficiunt, nec virtutem augent, nec ipſius motionem, & repræſentationem efformant; nec cum eadem illæ quidem confundi poſſunt, niſi in apertum errorem præcipitare velimus. Ut enim homo in cubiculo tenebricoſo incluſus nihil prorſus videt; aperta autem feneſtra omnia objecta luſtrat, & videt, quæ iu cubiculo continentur, nec tamen oculus perficitur, nec ejus virtus augetur, ſive clauſa, ſive aperta feneſtra ſit, nec quidpiam apertura feneſtræ in oculum influit, multoque minus viſſionem efficit; ſic animus motionibus corporeis utitur, tamquam quibuſdam inſtrumentis in ideis efformandis; atque ita utitur, ut numquam ſine ipſis motio animi, & objecti corporei idea, & repræſentatio haberetur. Ergo quidquid animus percipit, id quidem propria vi, & ſui motione percipit; eget tamen objectorum præſentia non ab animo, ſed ex ſola motione corporea oriunda. Ex quo palam, & perſpicuum eſt, has duas res inter ſe plane differre, & diverſas eſſe, eaſque ab optimo quoquam ſecernendas, nec cum Lokio alterum pro altero ſine evidenti periculo erroris obtrudendum.

58. Hiſce ergo demonſtratis, jam tertium ſyſtema videamus, quod harmoniæ præſtabilitæ dici conſuevit, quod Leibnitius invenit ad explicandum corporis, animique comercium, ſive principium illud, ex quo nexus oritur, & determinatio inter corporis, & ſpiritus motiones, & operationes. Hoc autem ſyſtema plures in Germania ſectatores habuit, VVolfium præſertim, a quo tamen obſcuratum potius, quam illuſtratum credimus. In hoc utique ſyſtemate ſumitur animus ingenita ſibi vi, & efficacitate, nec ab alio mutuata ſuas appetitiones, & perceptiones re vera, ac ſerie non interrupta producere, quibus totidem mechanicæ corporis operationes ex motionibus ſolum corporeis oriundæ reſpondent; quæ ambæ affectiones ſibi mirum in modum conſentiunt; nec tamen alterum in alterum agit, aut influit, eademque ſimiliter evenirent, etiamſi animus, & corpus nullimode jungerentur. Mirabilem vero hunc operatio-

rationum nexum, & ordinem, & ſingularem concordiam ex eo promanare putant Leibnitiani, quia Deus, priuſquam diſſimiles illas, & diverſi generis ſubſtantias invicem copularit, omnium affectionum, & operationum ſeriem multo ante præviderit, & cuivis animo idoneum, & ad ipſum animum conformatum corpus aptaverit: ex quo harmoniæ præſtabilitæ ſyſtemati nomen inditum. Verum, ut plane dicam, quod ſentio, hujuſmodi ſyſtema non placet, & ſane rejiciendum exiſtimo, niſi prius probetur, animos noſtros omni vi, & efficacitate carere ad inducendum motum corporeum, nec motiones corporeas veras eſſe cauſas, quibus objecta ſaltem corporea, & maximis licet intervallis diſſita ad ſphæram animi adducantur. Quorum poſtremum ſuperiori propoſitione falſum oſtendimus, alterum æque falſum non difficulter conficitur.

59. Quare dicimus tanta vi, & efficacitate pollere animos, ut vere, & phyſice in corpora agant, ipſaſque motiones inducant, quæ ab aliis motionibus corporeis effici ſine dubio potuiſſent; quin idcirco animus concretus ſit, eademque ac corpus ratione operetur, nec quidpiam de ipſius natura detrahatur. Hæc autem propoſitio non minorem, quam alia certitudinem habet, & validioribus fortaſſe rationibus, & momentis comprobatur. Nam quid prohibet, quod Spiritus vere, & phyſice agat in corpus, veramque in ipſo, tamquam cauſa efficiens, mutationem inducat? Quid? nonne Deus, qui puriſſimus, & ſimpliciſſimus Spiritus eſt, hunc terrarum Orbem ex nihilo condidit, atque ad exiſtendum induxit, cui & motum impreſſit, & partes omnes diſpoſuit, eaſque aptiſſimis locis collocavit? Nec tamen quidpiam concretum, aut mixtum, aut corporeum habet. Quare niſi negemus, aut Deum agere in materiam potuiſſe, aut ſimpliciſſimum, aut incorporeum eſſe; illud ſine dubio fateri compellimur, tanta vi, & efficacitate pollere Spiritus, ut objecta ſenſibilia, & corporea moveant, & impellant, totamque ipſorum indifferentiam tollant. Quod cum faciunt, non aliorum corporum inſtar hoc faciunt, nec eodem modo motum imprimunt, & communicant, nec quidpiam propterea de ipſorum natura,

&

& ſimplicitate detrahitur. Neque enim ſpiritus motum, quem habent, in materiam transfundunt, quemadmodum cætera corpora, quæ motum aliis imprimunt, ſed motum, qui prius non erat, generant, & jam generatum elidunt. Idque totum vi propria, qua ex ſe movere poſſunt, non autem impenetrabilitate, qua ipſorum motus impediatur, ſimplices ſiquidem ſunt, & prorſus penetrabiles. Quare ratio tota, qua Spiritus in materiam agit, ab illa toto Cœlo differt, qua corpus aliud in aliud ageret; quorum vires propterea diverſi generis ſunt, nec eodem modo res efficiunt, quamquam ipſum plane effectum inducerent. Quare nihil obſtat, aut impedit, quominus Spiritus in materiam agant. Quod ſi hoc, quid tandem erit, quominus hanc vim, & virtutem animis tribuamus?

60. Hoc autem, quod ex ſola animorum vi, & efficacitate ratione concludimus, continua etiam obſervatione earum rerum, quæ intra nos geruntur, evidentiſſime deprehendimus. Quis enim non ſentit, ſe pro arbitrio, & voluntate animi & ſedere, & ambulare, & loqui, & jacere, & hoc, & illud membrum movere poſſe? Idque nullo cogente, aut impellente; quæ omnia evidenter evincunt, tantam ineſſe animis vim, & efficacitatem, ut vere in corpus agant, veramque motionem inducant. Nam ſi poſita motione animi neceſſario, & infallibiliter motio corporea conſequatur; illud enim vero legitima, & infallibili conſecutione concludendum erit, motionem corpoream revera eſſe effectum motionis animi; ab eaque evidentiſſime proficiſci, ſi nihil præterea obſtet, aut impediat, nihilque ſane ex eo concludatur, vel quod excedat Spiritus vim, & efficacitatem, vel quod ſimplici ipſius ſubſtantiæ repugnet. Nihil autem, uti monſtratum eſt, obſtat in animis. Quod ſi quidpiam obſtiterit, quemadmodum in motionibus corporeis, non utique alterum ex altero concludendum. Quare ne recta, & juſta conſecutio ſit, id profecto monſtrandum, Spiritus in corpora agere nullo modo poſſe.

61. At progrediamur ulterius; neque enim ſolummodo declarandum eſt, Spiritus vim in corpora exerceri poſſe, nec quidpiam ex illa actione adverſus ipſorum naturam

cor-

conſequuturum; ſed illud etiam connitendum eſt, eos in corpora agere prorſus oportere, ne aliquis effectus ſine ulla prorſus efficiente cauſa reperiatur. Plurimæ namque motiones corporeæ, niſi ab animo tamquam principio quodam movente fierent, ſine ulla profecto efficiente cauſa fierent. Neque enim quiſpiam ignorare poteſt, quod in ſe videt, & obſervationibus infallibilibus experitur, ſe nempe pro arbitrio, & poteſtate ſua & ambulare, & ſedere poſſe, & hunc potius, quam alium motum inducere. Quare hoc quidem certum, & evidens eſt; & ſenſu hoc plane intimo ſuademur. Illud vero æque certum, nullam illius motionis corporeæ cauſam, & principium inveniri, ſi animum agentem, & alentem corpus excipias. Neque enim motio illa corporea a Deo efficitur, neque ab aliis motionibus corporeis proficiſcitur. Nam, poſitis ipſis externis objectis, ipſiſque propterea motionibus corporeis, non idem effectus eſt, & motus contrarii generari poſſunt. Siquidem animus libertate guadet, quæ tota in eo ſita eſt, quemadmodum poſtea demonſtrabitur, ut poſitis omnibus rebus, quæ ad operationem neceſſariæ ſunt, poſſit aliquem motum inducere, vel omittere, atque adeo ſæpe numero contrarium ponere: ex quo nihil certius, aut evidentius efficitur, quam motum illum motionibus corporeis oppoſitum, & contrarium ab ipſis tamquam veris cauſis efficientibus oriri nullo modo potuiſſe. Non enim fieri poteſt, ut cauſæ effectus ſibi repugnantes inducant. Ergo præter has motiones aliquid exiſtat, oportet, a quo effectus ille, totaque motio generetur. Quid autem hoc, ſi animos vera efficacitate deſtituas? Quam ſi tollas, omne principium ſublatum erit, plurimæque in corpore motiones habebuntur, ſine ullo prorſus principio, & quin ab aliqua cauſa peragantur: quo certe nihil magis abſurdum eſt, & rationis inimicum. Quæ cum ita ſint, duas res me prorſus confeciſſe puto; quarum una eſt, animos noſtros vim, & efficacitatem in ſe obtinere ad movenda corpora, plurimaſque motiones corporeas non ab alio, quam ab ipſis neceſſario oriri; altera motiones corporeas, & animorum diverſi fore generis, nec ab illis motus animi, tamquam totidem veris cauſis

 efficien-

efficientibus proficiſci potuiſſe: quibus tamen efficitur, ut objecta maxime corporea extra ſphæram efficacitatis poſita intra ipſam adducantur, depictis nempe, & efformatis imaginibus, in quibus dumtaxat objecta externa cognoſcuntur.

62. Ex quibus duabus rebus tota ratio conſurgit nexus & harmoniæ, quam inter ſpiritus, & corporis operationes reperimus: quod quidem commercium mutuum corporis, & animi dici conſuevit. Nam ſi quis a me requirat, quæ ſit ratio ſufficiens, ex qua, poſita motione corporea, motio item animi conſequatur; huic protinus reſpondebo, quia motiones corporeæ ejus generis ſint, ut ſi nullum illæ quidem in animo motum gignent, vere tamen efficiunt imagines corporeas objectorum, quibus ea animo ſiſtunt, & viciniora redduntur, atque intra ipſorum ſphæram adducuntur: ex quo viſſio, perceptio, & motio animi oritur, quæ numquam in eo, minime poſita motione corporea, obtineri potuiſſet. Quare id ſæpius dicendum, & inculcandum eſt, ne alterum pro altero uſurpetur, motiones nempe corporeas nihil prorſus in animo efficere, nec vim ipſius, & poteſtatem augere; efficiunt tamen veras objectorum imagines, quibus ipſa objecta ad animum apropinquant, eaque non niſi in ipſis imaginibus attinguntur ab animo, percipiuntur, & omnino videntur.

63. At multo ſecus ſe res habet in animo, qui eſt vera, & efficiens cauſa plurimarum motionum, quas in corporibus experimur. Quid igitur mirum, quod ex motionibus animi motiones corporeas deducamus, quæ niſi ab animo fierent, a nullo alio principio, & cauſa fierent, niſi ad Deum potentiſſimum confugiamus. Sed quamquam hæc omnia certa, & minime dubia meo quidem judicio ſint, arduum tamen, atque explicatu difficile eſſe dicimus, quo pacto motus corporeus ab Spiritibus efficiatur. Neque enim major in Homine, quam in Deo difficultas eſt, a quo certiſſime omnis materiæ vis, & motus tamquam prima origine ducitur; quin potius, ſi aliquid audendum eſt, facilius id intelligitur in Homine, cujus Spiritus arctiſſime cum corpore jungitur, & copulatur, quam in Deo ab omni prorſus materia ſecreto; quem tamen certiſſime ſcimus omnia creaſſe,

& mo-

& moviſſe, ab eoque omnem rerum motum, & materiæ vim, ortum, & principium duxiſſe.

64. At illud enimvero neceſſe non eſt, ut corpus vere ab anima moveatur, ut cognita, & perſpecta ipſi ſit ſingularis, & miranda ſane tum nervorum, tum muſculorum, & partium omnium ſtructura, & diſpoſitio; quarum ope motiones fiunt. Quis enim hoc ſcivit umquam, & ne intellexit quidem fortaſſe? Quare inſipienter ageret, qui alterum ex altero concludendum putaret. Plura quippe nos ipſi facimus, quin rationem totam, qua facimus, ſcire profecto teneamur. Ita nos motum horologiis communicamus, hujuſque rei certam, & evidentem cognitionem habemus, quin propterea cognitus, & perſpectus nobis eſſe debeat tum rotarum inter ſe nexus, tum apta partium diſpoſitio; ex qua totus motus peragitur. Quamobrem nihil magis fallax, aut debilius eſt, quam argumentum ex difficultate explicandi hunc motum petitum. Neque enim plane intelligimus, quo pacto Deus O. M. corpus moveat, ipſique vim, & efficaciam communicet: quamquam certum, & minime dubium ſit, motum, & vim a Deo corporibus impertiri. Quocumque autem pacto, & ratione motum corporibus tribuat, ipſum profecto propria vi, & virtute tribuit, nec quem habet in ſe motum transfundit, ſed motum ex ſe ipſo efficit, generat, & inducit; id quod profecto in Deo non minus, quam in Spiritibus omnibus tenendum eſt, quorum eſſentia, & natura in *vi ſeſe movendi*, & virtute conſiſtit.

65. Illud fortaſſe non æque difficile explicatu eſt, quo pacto nimirum cerebri motiones ignoret animus, cum tamen ab his pervellatur quodammodo, & quaſi ad agendum excitetur, ipſiſque plane imago, & objecti repræſentatio corporea peragatur. Neque vero hujuſmodi imago, qua poſita objecta externa animo præſentia fiunt, eaque ab animo attinguntur, & percipiuntur, efformari poteſt ſine aliquo cerebri motu, & partium mutatione. Qui igitur fieri poteſt, ut animus unum motum, non autem alterum percipiat; præſertim cum uterque motus æque ſiſtat animo, atque intra ipſius ſphæram collocetur.

 66. Sed

66. Sed hoc rurſus argumentum duas res includit, quæ non invicem nexæ, & jugatæ ſunt, & altera ſine altera demonſtrari poteſt. Nihilominus aliqua ratio reddi poteſt, cur animus, etſi utrumque motum percipiat, non æque tamen percipiat, nec utriuſque eamdem ſenſibilem notionem obtineat. Quam rem in hunc modum explicat Ivaneſieſius. „ In quavis ſentione, inquit, motionem cerebri mens percipit a motione externi ſenſorii propagatam. Qua motione veluti nuntio, & ſigno quodam illius rei, quæ in „ ſenſorio impreſſionem fecerat, & motum excitarat, ad „ rem ipſam cenvertitur. At cum ſenſus corporei eo fine ab auctore Naturæ Deo nobis conceſſi ſint, ut „ per eos quaſi totidem feneſtras, nuntios, & interpretes „ res externas, quantum ad uſum, & inſtitutum vitæ opus „ eſt, intelligeremus, nec ob brevitatem mentis noſtræ ad „ res iſtas quantum ad vitæ rationem ſatis eſt, adverteremus, ſi illarum impreſſionum, quas illæ dependenter a „ Senſoriis externis in cerebro excitant, attentione, & „ conſideratione occuparemur; idcirco ſapientiſſime proviſum „ eſt, ut neque impreſſiones illas clare, & diſtincte, prout „ in nobis geruntur, perſpiceremus, neque in ipſas conſiderationem figeremus. Sed quamprimum motiones percipimus, ad objecta, e quibus oriuntur, animum convertimus, eoque ne conſideramus quidem hujuſmodi impulſiones tamquam veras cerebri noſtri affectiones, ſed veluti totidem qualitates objectorum ſenſibilium per ſenſus „ exhibitas, nobiſque ſignificatas, adeo ut ipſarum perceptionem cum horum objectorum perceptione confundamus, neque tam illas, quam hæc objecta immediate nobis percipere videamur. Atque hinc fit, ut neque conſcii nobis ſimus, illas nos perceptiones percipere, neque „ ſciamus, quo pacto, quave cerebri parte peragantur. “ Totum autem hoc in plurimis animi noſtri cognitionibus evenire certiſſime tenendum eſt. Mens enim, ſi duarum rerum cognitionem habeat, quarum altera præ altera admodum tenuis, exigua, & obſcura ſit, & penitus quaſi evaneſcat, certe non duas res diſtinguit, & ſeparat, quamquam duas res illas quoquomodo percipiat, & ſentiat; id quod in

his

his potiſſimum experimur, qui alta quadam, & profunda cogitatione defixi ſunt. Simili fere modo fit, ut quamvis animus noſter quoquo modo percipiat, quo pacto motiones illæ internæ peragantur, & cerebri affectiones omnes; illarum tamen conſcius ſibi eſſe non poſſit, ſcilicet quia illa perceptio, ſi objecti perceptione comparetur, obſcura admodum, & veluti minima habeatur, & plane inutilis propterea ad illarum motionum diſtributionem, & diſtinctionem definiendam.

CAPUT IV.

De intellectu, voluntate, & memoria; deque idearum noſtrarum origine, & natura; tum de ideis innatis, non autem impreſſis, deque vi deducendi, reflectendi, & abſtrahendi.

67. Cum animus noſter natura ſua ſpiritus ſit, & vi interna, & propria moveatur; atque idcirco velle, & amare poſſit, & præterita tenere, & recordari, præſentia inſpicere, & prævidere futura, tribus his animi noſtri affectionibus totidem facultates, ſive potentiæ non re, ſed mente tantum, & cogitatione noſtra diverſæ neceſſario reſpondent: quarum altera mens, ſive intellectus dicitur, altera voluntas, tertia denique memoria. Per mentem igitur, ſive intellectum, qui quaſi cæterarum fundamentum, & origo eſt, illa animi facultas, & vis intelligitur, qua res quaſvis clare, & diſtincte percipimus, & tamquam præſentes intuemur. Nec vero quidpiam aut velle, aut fugere, aut recordari, aut providere poſſumus, quod non ex rei cognitione clariſſima, quaſi quadam inductione proficiſcatur. Quocirca primum agendum eſt de harum perceptionum origine, & natura.

67. Ergo idea, & perceptio cogitatione quidem inter ſe differunt, revera nexæ, & copulatæ ſunt, nec duæ res, ſed duo nomina plane ſynonyma. Tunc enim idea in mente exiſtere dicitur, cum ipſius ope res veluti præſens menti ſiſtit, exhibetur, percipitur. Secus enim doceant, velim, qui contra ſentiunt, quodnam utriuſque rei intereſſe poſſit diſcrimen. Similitudo namque tota, quam idea cum re il-

Digitized by Google

la continet, quæ menti objicitur, ſolum ab intelligendi vi, & facultate, & motu animæ petenda eſt; vi cujus mens ex lege corporis, animique comercii rerum externarum pulſiones, & imagines percipit, ipſiſque objecta cognoſcit. Quare Antonii Genuenſis ſententiam rejicimus, qui idcirco ideas, & perceptiones diſtinguit, quia ſecus animus noſter eas efformaret, quaſi vero demonſtratum fuerit, animum noſtrum nulla vi, & efficacitate pollere, nec aliquam actionem exercere poſſe. At ne de nomine umquam, quantum fieri poteſt, diſputetur, explicandum eſt, quid potiſſimum per ideam intelligamus. Nam ſi ideam nihil aliud ſe velimus, niſi motionem, ſenſum, & imaginem quamdam, qua objecta corporea intra animorum ſphæram collocantur; tunc certe idea a perceptione, & animi repræſentatione, & motu diſtinguitur; quarum illa non ab animo fit, ſed a motionibus corporeis, ſine quibus propterea, ut optime Antonius Genuenſis ea neutiquam haberetur.

69. Rurſus idea animi, quæ non efficiatur motione corporea, a perceptione etiam diſtingui poteſt. Eſt enim idea motio quædam, & repræſentatio animi, motionibus corporeis, & imaginibus accurate reſpondens. Perceptio autem latius patet. Plura namque percipimus, planeque intelligimus, quæ ab illis imaginibus nullo modo pendent. Similitudines namque, & diſſimilitudines objectorum, apta, & diſtributa partium diſpoſitio, omneſque, quas ex ipſis nectimus, & colligimus veritates, per motionem corpoream neutiquam obtinentur, quas tamen videt animus, planeque intelligit, nec per aliud, quam per cogitationem intelligit. Nihilominus aliud pro alio uſurpari poteſt, cum idea, & perceptio in hac hypotheſi ex ſola vi, & efficacitate animi repetantur. Sed jam in idearum ſimplicium, quæ ſunt veluti totidem ſimplices objectorum formæ, & imagines, naturam, & proprietates inquiramus.

70. Et Democritus quidem, quem ſequutus Epicurus fuit, ideas eſſe judicavit idola quædam, ſive ſimulacra a rebus abraſa, & ſejuncta, & undique effluentia, quorum incurſione, & propagatione ad animæ uſque ſedem, illas non ſolum

Jam videamus, ſed etiam cogitemus. Quod quidem quam ineptum, & a veritate alienum ſit, perſpiciunt, & vindent omnes. Atque hoc quidem etiamſi de illis ideis ſolum loquamur, quæ motionibus dumtaxat corporeis tamquam cauſis efficientibus fiunt, ſuntque veræ rerum corporearum imagines. Quare audiatur Cicero lib. p. de natura Deorum cap. 36. " Quid minus probari poteſt, quam omnes in me
„ videre immagines Homeri, Archilochi, Romuli, Numæ,
„ Pythagoræ, Platonis, nec ea forma, qua illi fuerunt?
„ Quomodo ergo illi, & quorum immagines? Quid quod ea-
„ rum rerum, quæ numquam omnino fuerunt, aut eſſe
„ poterunt, ut Scylle, & Chimeræ? Quid quod ſimul, ac
„ libitum mihi, præſto eſt immago? Quid quod etiam ad
„ dormientem veniunt invocatæ? Tota res Vellei nuga-
„ toria eſt. Vos autem non modo oculis imagines, ſed etiam
„ animis inculcatis: tanta eſt impunitas gariendi." Et vero quicumque modus, & ratio ſit, qua objecta externa animis exhibeantur, certiſſimum illud eſt, minimeque dubium, quin ſimplices animi ideæ ex motione illa corporea oriri nullo modo poſſint, ſed ex vi dumtaxat, & motu ipſius proficiſcantur. Illud vero æque certum fortaſſe, imagines objectorum corporeorum ſolum fieri præſentes animo per motiones rerum corporeas. Neque enim neceſſe eſt, ut corpus motum communicet, ſuique imaginem efficiat, inſculpatque tamquam in cera quadam, ut aliquid ſui amittat, atque ex eo detrahatur: id quod in illis corporibus videmus, quarum partium cohæſio, & conjunctio non ita firma eſt, ut facile permutetur, aliamque formam induat, corporis imaginem referentem, ipſique plane ſimillimam.

71. Altera autem opinio Carteſianorum eſt, qui cum omnem idearum efficientiam ab animis abſtulerint, externarum pulſionum, & motionum occaſione a Deo animis noſtris inſeri ideas, & quaſi inſculpi crediderunt. Quam leviſſimam opinionem, cum de animi, corporiſque comercio ageremus, penitus rejecimus, eamque Carreſium nullo alio innixum forſitan fundamento protuliſſe, & probaviſſe credimus, ne a Peripateticis confiteri cogeretur, aliquid revera ineſſe animis ab ipſorum natura diverſum, quod accidens, aut qualitatem quamdam redoleret.

72. Quæſtio igitur ea tantum eſſe poteſt, dentur ne ideæ innatæ, quæ non impreſſæ a Deo ſint, ſed quæ vi dumtaxat, & efficacitate animi generentur, nulla motione corporea antecedente, vel conſequente, vel clarius an animus noſter percipere quidpiam poſſit ſine aliqua motione corporea, ſeu quod idem eſt, an aliquod objectum animo ſiſtat, & præſens fiat, nulla antecedente, aut conſequente motione corporea. Hæc autem quæſtio, cum ampliſſima videatur, tum plurimum in ipſa ſæpe, quod Philoſophum dedecet, de mero nomine diſputatum fuit. Etenim ſi per ideas innatas id intelligamus, quod quævis in mente exiſtat perceptio, quæ non effecta, nec generata a mente ſit, ſed in animis noſtris a Deo ſine nobis efficiatur, ut prorſus impreſſa, & quaſi inſculpta ſit; is ſolum ideas innatas probabit, qui Carteſium ſequutus, totam ab animo efficacitatem, & vim effectricem ſubſtulerit. Quod ſi per ideas innatas hoc ſolum intelligatur, quod certe intelligi debet, ſcilicet an vis animis noſtris quædam inſit, & virtus ad veritates aliquas agnoſcendas nulla ſenſuum ope, nullaque motione corporea antecedente, vel conſequente, ii ſolum, opinor, negabunt, has ideas, & perceptiones exiſtere, qui veram phyſicam, & neceſſariam actionem corporis in animum admittunt. Quapropter hæc tota quæſtio non multum ab illa differt, qua actio corporis in animum phyſica, vel admittitur, vel omnino rejicitur. Etenim ſi animus nihil ſane percipiat, niſi prius corpus in ipſum egerit, virtutem communicarit, ac propterea perceptiones omnes per motum organorum quoquomodo generentur; evidens eſt, & nulli obnoxium dubitationi, nullam omnino adeſſe poſſe perceptionem, quæ non pulſione quadam, ſive motione rerum externarum excitaretur. Sin animus aptitudinem, & efficacitatem quamdam habeat, ut ex ſe ipſe moveri queat, nulla propterea cauſa antecedente, aut conſequente motione; quid eſt, cur ideas innatas rejiciamus, quæ non actioni rerum corporearum, ſed vi dumtaxat, & efficacitati animi debeantur?

73. Quapropter primo dicimus, nullam rerum corporearum ideam innatam obtineri poſſe. Ex his enim, quæ di-

xi-

ximus, nihil certius, aut magis exploratum eſt, quam objecta omnia corporea extra ſphæram animorum ſita eſſe, nec fieri poſſe præſentia ſine motionibus quibuſdam corporeis, quas motio animi neceſſario conſequatur.

74. Quod ſi objectum ejuſmodi fuerit, ut illud per motionem corpoream neutiquam exhibeatur, cujuſmodi ſunt nonnulla objecta abſtracta, remotaque a ſenſibus, quid tandem erit, cur ideas innatas denegemus? Quare hæc ſecunda noſtra propoſitio ſit, ideas innatas exiſtere poſſe, vel quod idem eſt, aliquod objectum non corporeum intra ſphæram animorum collocari poſſe, nulla antecedente, vel conſequente motione, ipſiſque animis ſiſtere, & præſens fieri, quin imaginibus quibuſdam corporeis inſculptum ſit, aut ex aliis perceptionibus deducatur. Quod quidem ex eo primum probatur, quod in nobis metipſis experiamur motiones quaſdam communes, inclinationes, & propenſiones, quæ in omnibus omnino hominibus reperiuntur, ut ſunt honoris, felicitatis ideæ, ſtudia item quædam tuendæ vitæ, & principia omnia rectitudinis, honeſti, atque inhoneſti; quæ omnia nullo deinceps ſtudio, labore, & induſtria, nec rerum corporearum imaginibus adipiſcimur. His adde, quod hujuſmodi appetitiones ſine motione quadam, & cognitione honoris, honeſti, & inhoneſti obtineri non poſſint; cur non ergo ſimiles ideæ innatæ, atque inſculptæ, & quaſi effectæ ſine nobis jure dici, & haberi debent? Siquidem illæ quidem in nobis excitarentur, etiamſi bonum, aut malum, quod objicitur menti, per ſenſuum organa minime proponeretur. Atque hinc illa vis oritur, qua, propoſita alicujus objecti bonitate, in illud ferimur, & continuo, & vehementer rapimur; quod quidem numquam accideret, niſi prius illectus bonitatis repræſentatione animus eam ardentiſſime, & avidiſſime concupierit. Neque vero Makus audiendus eſt, qui etſi hujuſmodi appetitiones, & propenſiones, quas in animis experimur, inſitas quidem, & innatas eſſe fateatur; id tamen totum fieri vult, quia malo propoſito ad ipſum declinandum facillime animus compellatur. Atqui hoc totum eſt id quod quærimus, num ſcilicet bonitatis cognitio, & appetitio ex ſola vi, & efficacitate animi oriatur; vel ſaltem

oriri

oriri queat; eoque cum ipſius natura arctiſſime devincta; & copulata ſit, an ſolummodo propoſita objectorum corporeorum bonitate hujuſmodi appetitiones in animis, & propenſiones enaſcantur.

75. Quare quæſtio huc tota redit, an animus quidpiam poſſit percipere, vel an aliquod objectum ipſi menti ſiſtere, quin idem excitetur motione corporea, eademque de objecti præſentia admoneatur. Si enim animus quidpiam percipiat, & intelligat, quod motionis corporeæ capax non ſit, nec propterea per ipſam exhibendum, cur bonum, & malum attingere nullo modo poterit, illudque amare, & velle, & prorſus repudiare, quin quævis in corpore motio antecedat, aut conſequatur, aut eadem excitetur, & inflametur? Sic enim alterum cum altero nexum, & jugatum eſt, ut equidem aut utrumque dandum, & concedendum, aut utrumque denegandum exiſtimem. Etenim ſi animus ea vi polleat, & efficacitate donetur, ut nonnulla ſaltem percipiat, quæ in rerum corporearum effigie minime continentur, cur non illa objecta poterit percipere, quæ in ſenſus cadere nullo modo poſſunt, neque per motiones corporeas intra ſphæram animorum contineri, quæque vi ſua fingeret, & quorum imaginem efformaret? Neque enim major virtus in altero, quam in altero requiritur, & neceſſaria eſt. In utraque ſiquidem hypotheſi aliquid perciperet animus, quod motionis corporeæ effectus non eſſet, nec ea uteretur tamquam inſtrumento quodam in efformandis objectorum formis, & figuris. Ideo namque dicimus, motiones corporeas, ſi minus veras cauſas efficientes, medium tamen inſtrumentum, & conditionem eſſe, ſine qua neutiquam haberetur motio animi, tum quia illis quodammodo pervellitur animus, aut ſaltem excitatur, & de objecti præſentia admonetur, tum quia nihil videatur, aut percipiatur, quod minime in imagine corporea inſculptum ſit; tum denique quia ſolum mediis motionibus organorum objecta ſiſtunt animo, ipſique fiunt præſentia. Atqui nihil horum in objectis illis, quæ motionis corporeæ capacia nullo modo ſunt, quæque nullam cum ipſa rationem, & proportionem habent. Quod enim ſenſibus contrectari non poſſumus,

mus, nec corporeum eſt, hoc certe per imaginem corpoream neutiquam exhibetur.

76. Nihilominus res corporeæ non minus, quam incorporeæ menti ſiſtunt, nec motione corporea præſentes fiunt, nec in ipſa motione, & corporea effigie videntur, ſed ſola vi, & efficacitate animi percipiuntur. Quod quidem tam certum eſt, quam certum ſit, animos noſtros pollere vi, & efficacitate maxima ad motum generandum, & producendum, nec egere motione quadam corporea, qua neceſſario excitentur. Ex quo palam, & perſpicuum eſt, appetitiones illas, quas in nobis experimur, vere innatas dici, & haberi oportere, tum quia nihil obſtet, aut prohibeat, quominus ab animo ſine ulla motione corporea generentur; tum quia animus ex ſe moveri poſſit, nullo impellente; tum quia plurima videat, & percipiat, quæ per imaginem corpoream neutiquam exhibentur.

77. Hoc autem, quod ex ſola vi, & animi efficacitate deduximus, multo quidem illuſtrius efficitur ex animi deductionibus, illiſque perceptionibus, quibus ſimilitudines, & diſſimilitudines objectorum pervidentur. Neque enim pulſione, aut motione corporea in rebus deducendis excitatur, aut juvatur animus, multoque minus quidpiam percipit, quod motionis corporeæ effectus ſit, aut quod in effigie corporea contineatur; ſecus enim omnes æque deducerent, cum æque omnes objectum videant. Itaque neceſſe eſt, ut quod objectum deductione cognoſcitur, ab illo ſane diverſum ſit, quod menti per motionem corpoream objicitur, & verum eſſet, etiamſi motio omnis corporea falſa, & erroris plena penitus haberetur. Ergo ſi ſemel concedatur, ut quod objectum per deductionem attingitur, motionem corpoream nullimode conſequatur, nec eadem utatur animus in nectendis, & deducendis rebus; quid tandem erit, cur ideas innatas denegemus, quæ nihil aliud ſunt, niſi motiones, & imagines objectorum, quæ menti neceſſario ſiſtunt, nec ſtudio, & labore comparantur, & ſine ulla motione corporea præſentes fiunt; potiſſimum cum hujuſmodi ideæ veluti totidem faciles, & neceſſariæ conſequutiones haberi debeant ex ſola animi vi, & ratione perfecte,

Digitized by Google

ſectæ, & arctiſſime cum eadem devinctæ, & copulatæ: Quare ego non video, cur animus poſſit res deducere ex rei corporeæ perceptione, & alicujus objecti ſibi imaginem efformare, quod minime in imagine corporea inſculpatur, nec de ipſius præſentia excitetur, aut moneatur per illam repræſentationem corpoream, totumque idcirco fingat, & efformet vi propria; nec eadem vi ſibi poſſit fingere aliud objectum, quod cum ipſa mente nexum, & copulatum ſit, atque ex ea quodammodo oriatur, & conſequatur neceſſario.

78. Neque vero mens ſe ipſam inſpicere, & contemplari poteſt, quin plurima ipſi objecta repræſententur, quæ rationem ad ipſam, & neceſſariam relationem dicunt: cujus generis ſunt veritates fere omnes principiorum Metaphyſicorum, ideæ boni, & mali, honoris, & honeſti, quæ cum ratione ipſa nexæ, & quodammodo jugatæ ſunt, atque ab ipſa neceſſario fluunt, deſcenduntque; quas propterea animus neceſſario ſibi fingeret, etiamſi nulla motio corporea antecederet, aut ſequeretur, neque ullam ſibi objecti corporei effigiem, & imaginem efformaret.

79. Quapropter, niſi animos noſtros vi, & efficacitate ſe movendi privemus, omniaque corpuſculorum incurſionibus, & motibus fieri cum Epicureis judicemus, vel cum Lockio nulla objecta animum vi propria, & ingenita ſibi efficacitate percipere poſſe fateamur, ſimpliceſque rerum perceptiones nihil aliud eſſe velimus, niſi rerum corporeas imagines, & effigies; mihi quidem certum, & evidens eſt, ideas innatas, & quodammodo inſitas dari poſſe, quas nulla motio corporea antecedat, nulla conſequatur, eaſque fingat & informet animus illa, quam habet, vi ſe movendi, & efficacitate, quin motione corporea excitetur, nec juvetur, nec eadem de objectorum præſentia quodammodo admoneatur. Itaque nihil mirum eſt, quod omnes Recentiores Philoſophi, quorum valde incertum eſt de animorum natura judicium, omnes ad unum Peripateticos imitati, quos diris cæteroquin omnibus devoverunt, ideas innatas, atque inſitas rejecerint, animumque tamquam tabulam quamdam raſam, & inutilem traduxerint, nihilque prorſus ipſum percipere & intelligere voluerunt, quod motionis corporeæ veluti ef-

fe-

ſectus non eſſet, a quibus propterea vim, & poteſtatem ſe movendi quoquomodo mutuaret.

80. Nihilominus ne inviti quidem fatemur, illas ideas, quas animis inſitas, atque innatas eſſe diximus, eaſque ex animi vi, & efficacitate fluentes, & cum eo arctiſſime devinctas, & copulatas; ex aliis etiam ideis animum deducere potuiſſe, atque adeo fortaſſe deduxiſſe: quæ quia rerum corporearum ideæ, & perceptiones erant, non niſi per motionem corpoream, & antecedentem obtineri potuerunt. Nam quid prohibet, quod ex repræſentatione corporea palatii, vel ædifici cujuſdam animus deducat, totum ſingulis partibus majus eſſe oportere? Idem dicito, de plurimis aliis notionibus, quæ inſitæ etiam, & innatæ dici poſſunt; quas tamen ex rerum corporearum imaginibus animus juſta, nec fallaci conſequutione deduceret. Itaque ut exemplo utar totum eſt majus ſua parte non minus idea innata, quam deducta eſſe poteſt. Et illud præterea addere minime dubitamus, animum fortaſſe prius rerum corporearum ideas ſibi fingere potuiſſe, quam ſe ipſum inſpexerit, & intellexerit, omnemque explicuerit, cujus eſt capax, percipiendi vim. Siquidem facilius a rebus corporeis ad inſenſibilia progredimur, & vividiorem earum, & clariorem notionem nobis efformamus.

81. Verumtamen id non evincit, animum in ideis efformandis ſic progredi debuiſſe, nec quod ex notionibus, ut ita dicam, corporeis deduxit, ex vi, & efficacitate ſua, nullaque antecedente, vel conſequente motione corporea obtineri minime potuiſſe. Quare, ſi preſſe, & ſtricte loqui velimus, hic non inquiritur exiſtant nec ne ideæ innatæ, atque inſitæ. Illud quæritur, an poſſint exiſtere, an omnes animi deductiones ex rerum corporearum perceptionibus neceſſario pendeant, an animus quidpiam ingenita ſibi vi, & efficacitate cognoſcere poſſit, quin illud in imagine corporea contempletur, & nullo impellente moveatur, nec juvetur propterea, nec excitetur motione corporea ad aliquod ſibi objectum efformandum; quod quidem hi ſolum inficiari poſſunt, qui animum omni vi ſeſe movendi deſtitutum volunt, primaſque rerum formas, & perceptiones ab imagi-

ab imaginibus rerum corporearum vix differre volunt, nullumque propterea motum ab animo generari potuiſſe, cujus tota ratio ſufficiens a motionibus corporeis minime peteretur.

82. Hoc autem totum, quod ſua veluti ſponte ex natura animi, & efficacitate conſequitur, multo quidem illuſtrius fiet, ſi nihil præterea obſtet, & impediat, quominus aliquod objectum ſiſtat menti, quin quadam motione corporea ad ipſam deferatur. Et primum quidem argumentum ex eo petitur, quod non omnes ideæ innatæ, & inſitæ dici poſſint. Ergo inſitæ aliæ, & innatæ, & veluti peregrinæ aliæ, & adventitiæ dicendæ forent. Unde ergo illæ? Si enim a Deo, cur aut hæ cum illis ingeneratæ, aut illæ cum his ſenſim, ut uſus poſtulat, ab eodem Deo impreſſæ? Neque enim major virtus in Deo requiritur, ut has potius, quam illas generet, & informet. Sin autem hæ a ſenſu, & conjectura, cur non itidem & illæ, quas & innatas, & inſitas volumus? Cur adventitiæ continuo concipiantur, quamprimum preſentes adſunt; innnatæ vero non item? Cum tamen utraque ſit ſingularium rerum effigies, & quaſi quoddam corporeum ſimulacrum. Hec Makus. Quod argumentum, ſi quem ferit, Carteſium certe ferit, præterea neminem. Neque enim nos ideas innatas, & inſitas eſſe dicimus, aut illas, quæ ex motionibus corporeis gignerentur, aut illas, quæ deducerentur ex ipſis ſtudio, labore, & meditatione plurima; ſed illas dumtaxat, quas animus ſibi effingere, & efformare poſſet nulla motione corporea antecedente, aut conſequente; idque totum faciliime nullo ſtudio, labore, aut induſtria, eaſque animus ex ſola ipſius vi, & efficacitate deduceret.

83. Ut enim primæ rerum corporearum perceptiones nullo ſtudio, & labore comparantur, & omnes æque vident, & percipiunt, quia imprimuntur, ut ita dicam, & inſculpuntur in animo motionibus, & corporeis imaginibus, ipſarumque veluti quædam neceſſaria conſectaria ſunt, & ab illis omnino differunt, quas conjectura quadam, ſtudio, & reflexione deducimus; ſic illæ ideæ innatæ, & inſculptæ dici debent, quia ſola vi animi, & efficacitate formarentur,

tur, & ab illis diverſæ forent, quæ ſolum propoſitis imaginibus corporeis obtinentur, & ab illis, quæ veluti totidem difficiles, & ſinuoſæ deductiones idearum ſunt; eoque ex vi ſola animi, atque ex ſola ipſius natura facillime ſequerentur, eaſque omnes æque ſibi acquirerent, & æque omnes ſentirent, & æque intelligerent, vel quia animis inſculptæ, & ingeneratæ ſunt illæ quidem, vel quia ex ipſa ratione evidentiſſime, & facillime, & prorſus neceſſaria conſecutione deducerentur.

84. Quapropter falſum omnino in argumento conſtituitur, cum inter ideam innatam, & non effectam ab animo nullum ponitur diſcrimen, præſertim cum non adverſus Cartheſianos ſolum res agatur. Siquidem Philoſophi illi, qui opinionem Carteſii rejiciunt, & a Metaphyſica prorſus expugnandam volunt, illi, inquam, ipſi Philoſophi ideas innatas, & quaſi inſitas probant, recipiuntque, quia ſint hæ ideæ, aut ſaltem eſſe poſſint, quæ nec ex ſenſu corporeo, nec phantaſiæ vi, nec animi contentione, nec conjectura quadam generentur, ſed quia ex vi neceſſario, & animi efficacitate, & virtute prorſus informentur.

85. At inſtat Lokius, quem plures Metaphiſici ſequuntur: rerum inquit ideas, quæ ſenſibus objiciuntur, claras plerumque, & perſpicuas habemus; contra vero ſuboſcuras admodum illas, quæ ſenſibus non objiciuntur. Deinde quo ſæpius, plurieſve ſenſus adhibemus, eo majorem acquirimus idearum copiam. Itaque qui ſenſu aliquo deſtituti in hanc lucem veniunt, rerum affectiones iiſdem reſpondentes nulla arte cognoſcere poſſunt. Ita fruſtra canas ſurdo fabulam. Præterea ſenſuum ope novas quotidie notiones adipiſcimur, quas numquam ſine iſto præſidio nacti fuiſſemus. Denique intelligi vix poſſet, cur ſenſibus naturæ auctor corpus humanum inſtruxerit, ſi ii nimirum ad conſequendas rerum ideas nihil prorſus conferrent.

86. Hæc quidem, & ſimilia, quæ afferri poſſunt argumenta, leviſſima, inaniſſima, & fere Philoſopho indigna cenſenda ſunt. Nec vero quidpiam aliud evincunt, niſi nos multa mediis organis, quaſi quibusdam inſtrumentis percipere, id quod nec nos, nec ſanus nemo negabit umquam.

Illud

Illud præterea addimus, quod prima propoſitione conſtituimus, objecta corporea ſolum ſenſibus, & motionibus corporeis animo ſiſtere, & ab eodem in imaginibus corporeis contemplari poſſe. Verum hoc quidem neutiquam evincit, quod penitus demonſtrandum erat, nullas ſcilicet in animo noſtro exiſtere potuiſſe perceptiones, quæ nec ope ſenſuum, nec motione quadam corporea antecedente efformarentur, nec ſtudio præterea, labore, & induſtria, & longa meditatione acquirerentur. Quæ ſi exiſtant, aut ſaltem poſſint exiſtere, impreſſæ certe, & ingenitæ dicendæ erunt, non quia vi animi effectæ, & efformatæ non fuerint, ſed quia neceſſario efformarentur, etiamſi nullus motus corporeus præceſſiſſet, cui aut veluti cauſæ effectrici, aut inſtrumento, aut occaſioni perceptiones illæ tribuendæ videantur.

87. Deinde, ſi quidpiam hæc argumenta valerent, hoc certe valerent, perceptiones nimirum noſtras, vel motuum corporeorum veluti totidem effecta eſſe, & haberi penitus oportere, vel animos noſtros, id quod maxime Lockio placuit, per ipſas motiones, & imagines corporeas prorſus percipere. Itaque mirum nemini videri debet, quod tamen nimis durum Mako videtur, quod Antonius Genuenſis, his propoſitis argumentis deduxerit evidenter, animos noſtros corporeos, & concretos eſſe. Si enim perceptiones animi motionis corporeæ effectus ſint, aut per eas animus vere attingat, & percipiat objecta; num ſimplices illæ quidem, nec compoſitæ erunt, num a materia different? Num ſpiritus ſimplex, nec concretus erit, qui res per compoſitionem quamdam, & motum corporeum percipit, qui motum recipit ab alio generatum, & qui non ex ſe agit, ſed ab alio prorſus movetur? Neque enim animus quidpiam cognoſcit, quin ea cognitione afficiatur quodammodo, & pervellatur, & motum, & impreſſionem ſentiat, & quin omnis motio animo inſit, ipſique prorſus inhæreat. Quid ni concretus, & corporeus, qui totam in ſe recipit, & continet imaginem corpoream, & partium concretionem? Quid ni figuratus, qui figuras diverſas induit, & materiæ modificationes?

88. Quapropter, ſi certum, & evidens ſit animos noſtros vi ſeſe movendi gaudere, idque percipere poſſe, quod mo-

tio-

tionis corporeæ capax non eſt, & vi reflectendi pollere, pluresque ideas ratione, & conjectura deducere, quæ ex organorum impulſionibus, & corporeis imaginibus nullo pendeant; dubitare profecto non poſſumus, quin animus nulla adhuc præexiſtente motione corporea, alias, atque alias ideas ſibi acquirere, & comparare queat: quas idcirco innatas, atque inſitas eſſe dicimus, quia ſint veluti primæ rerum formæ, quæ cum ipsa animi vi, & efficacitate conjunctæ, & copulatæ ſunt, nec ex aliis perceptionibus neceſſario efformentur, nec ſtudio, labore, & longo uſu, & meditatione plurima comparentur.

89. Verum hæc quidem hactenus de perceptionum origine. Modo de viribus deducendi, abſtrahendi, & reflectendi agendum erit, quas hactenus ſuppoſuimus. Et primo quidem de vi deducendi. Eſt autem hujuſmodi vis facultas quædam animi, qua aliud ex alio nectit, atque ex una idea in aliam tranſit, novumque quaſi objectum ex ſe fingit, ſibique repræſentat, quod ab illo ſane diverſum eſt, quod erat primæ notionis objectum. Quidquid autem hæc facultas ſit; ea certe non ab alio petenda eſt, niſi ab illa vi, & efficacitate animi, ob quam ſe ſe movere poteſt, nullo movente, & infinitas propemodum ſibi rerum imagines efformare. Ex quo evidenter arguitur, animum res omnes æque percipere, hoc eſt per motionem propriam, & ob ſui actionem percipere, ſeque propria virtute, nullo agente, & impellente moveri. Quare errat, & quidem, opinor, vehementer Lockius, nec ſatis conſtanter loquitur, qui dum animis vim deducendi, hoc eſt novas ideas producendi, novaque objecta cognoſcendi conceſſerit, quæ nullimode in effigie, & imagine corporea continerentur; ab ipſis ſuſtulerit percipiendi vim, cognoſcendi nempe motione propria illa objecta, quæ ad animum ſolum motione corporea deſferuntur, quæque in ipſa quodammodo continentur.

90. Itaque nullas primas rerum formas, atque imagines probavit, niſi eas quæ ex motionibus corporeis orirentur, omneſque animi perceptiones ſuſtulit. Quod ſi verum fuerit, quo pacto intelligendi vis, atque aliud ex alio nectendi poterit demonſtrari? Nam ſi animus vi propria non poſſit ea attin-

gere, & videre objecta, quæ in ſenſus cadunt, & motionibus corporeis tamquam idolis quibuſdam, & imaginibus inſculpuntur; qua ratione intelligi poterit, ut, quæ in ſenſus minime cadunt, percipiat, ideas alias ex aliis nectat, quin motionibus corporeis tamquam ſtimulis quibuſdam excitetur, & ad ſe movendum quodammodo compellatur? Major quippe virtus ſine dubio in altero, quam in altero neceſſaria eſt. Quod ſi quod facilius eſt denegetur, num quod majorem difficultatem involvit, plane concedendum erit? Quid? Ex eo, quod animus aliqua ex ſe percipiat, nec motione corporea intelligat, & percipiat, nonne juſta, nec fallaci conſecutione concluditur, & res omnes ipſum æque videre, & æque per motionem, & actionem propriam intelligere? Neque enim ex eo, quod tota percipiendi vis explicari poſſit quoquomodo mechanice, mechanice fieri, nec per veram motionem animi fieri credendum eſt. Quam enim multa ſunt, quæ mechanice quidem, & per motum corporeum obtineri poſſunt, quæ tamen non hoc modo, & ratione fiunt? Ita Deus, & Spiritus, atque adeo noſter animus motum poſſunt impertiri corporibus, qui motus etiam aliorum corporum incurſionibus obtineri potuiſſet. Ex quo ſi quiſpiam argueret, ipſam fuiſſe cauſam, quæ motum illum induxit, ipſamque cauſarum agendi rationem, a quibus idem, vel ſimilis motus oriretur; nonne in errorem rueret voluntarium? Huc accedit, quod maximum inter animi motiones, & repræſentationes, & motiones corporeas inſit diſcrimen, quemadmodum ſupra clariſſime demonſtravimus, quarum aliæ temporis momento, ſine aliqua mora aliæ fieri, & obtineri non poſſunt. Quapropter tota deducendi vis ex vi percipiendi neceſſario oritur: nec alia ſine alia obtinetur: quamquam majorem vim in altero, quam in altero poſtulemus. Ad percipiendum quippe animus motionibus corporeis excitatur, non tamen per ipſas motiones intelligit; ſola autem vi, & efficacitate res alias ex aliis nectit, & deducit. Itaque etſi omnes æque videant, & percipiant objecta, ſi ipſa machinæ perfectione conſtent; non tamen omnes æque deducunt, quia ad id nullis motionibus corporeis, & imaginibus excitamur, nec

Digitized by Google

quod attingitur objectum motionis corporeæ capax eſt, aut imagine corporea continetur. Quapropter totum, quantum eſt objectum, ſibi animus fingit ingenita ſibi vi, & efficacitate, mentique ſola animi motione ſiſtit, quin motionibus corporeis, ſed ſola animi intenſione, & vi ad illum motum generandum impellatur.

91. Huic non diſſimilis eſt vis reflectendi, quæ deductionem auget, & ad ipſam neceſſaria eſt. Hæc autem ſimiliter vis ex ipſa animi efficacitate, & vi ſeſe movendi originem ducit. Quod enim ex ſe moveri poteſt, id quidem & motum etiam generat, & augere, & in hanc potius, quam in alteram partem poteſt dirigere, & diverſos etiam motus inſpicere, & contemplari. Et vero cum objectum maxime compoſitum, & concretum expendendum ſumimus, ita nos aciem mentis in omnes ejus partes intendimus, ut ſingulas attentione noſtra luſtremus, invicem comparemus, & alias ab aliis dividamus. Quod cum facimus, animum in illud objectum reflectere dicimur. Hoc quidem exemplis non eget. Reflexione autem fit, ut diſtinctiores rerum cognitiones adipiſcamur. Cum enim in rem quamdam reflectimus, in alias, atque alias ipſius objecti partes ſeorſim acceptas animum convertimus, attentionemque defigimus, & clarius, & diſtinctius partes ſingulas cognoſcimus, notionemque multo vividiorem, & clariorem conſequimur: quod quidem etiam in rebus corporeis ſimiliter facimus. Nam ſi objectum corporeum ſit, & viſioni propoſitum, eidem oculum directe obvertimus. Quo fit, ut cum res oculo objectæ, quemadmodum experientia compertum eſt, eidem magis directe obvertuntur, tum viſio perfectior evadat; tum vero obvertuntur directe, cum lucis radii ab objectis repercuſſi ſitu fere perpendiculari ſubeunt in pupillam, id quod non niſi in exigua parte objecti obtinet, quemadmodum in Phyſica demonſtravimus.

92. Sequitur vis abſtrahendi, quæ ex ipſis principiis oritur, & ab animi ſola intenſione petenda eſt. Cum enim in aliquam rem ſingularem mentem defigimus, & ab aliis ſecernimus, & ſeparamus, tum rem abſtrahere, & ab aliis quaſi dividere dicimur. Ita cum oculis in lunam converſis globoſam

Digitized by Google

illius formam contemplamur, mentemque deinceps a ſitu; magnitudine, ſplendore, maculis abducimus, ad illam quidem attendimus, ab his autem abſtrahimus; id quod in Logica fuſius explicatum fuit.

CAPUT V.

De Hominis libertate, deque ipſius libertatis origine, & impedimentis.

93. SI Homo nulla libertate guaderet, & irreſiſtibili quodam fato ageretur, vix ſane quidpiam eſſet, quo ipſum a brutis animantibus ſecerneremus. Nullum itaque in univerſa Metaphyſica argumentum eſt, quod Hominem magis interſit, & quod majori cura, & diligentia tractari debeat, quam quod animorum libertatem evincit, demonſtratque: quam ſi tollas, nihil erit pium, aut ſanctum, nihil juſtum, aut injuſtum, honeſtum, aut turpe, & omne vinculum, & ſocietatem abrumpes. Itaque & libertas non ſolum, ſed omnis libertatis fons, & origo invictiſſime demonſtranda erit, quam ſi ignoraverimus, vix certi erimus de animorum noſtrorum natura, deque mirabilium operationum principio, quæ aliis certe cauſis tribui potuiſſent; potiſſimum cum ipſarum aliquam ſimilitudinem videamus in aliis rebus, quæ tamen illo plane principio deſtituuntur, vel illud nulla ſaltem firma, & fixa ratione demonſtratur.

94. Quicumque ergo ſe inſpexerit, totumque perluſtrarit, is facile ſentiet, ſe quidpiam velle, & amare, & odiſſe, & aſpernari poſſe. Hæc autem apetitio, qua in objectum ferimur, voluntas dicitur, ſicut non voluntas averſio, qua ab ipſo objecto declinare volumus. Hoc autem fieri nullo modo poteſt, niſi totum objectum prius menti propoſitum, & objectum fuerit: ex quo palam eſt, voluntatem mentem, & rationem ſequi; cui ſi tanta vis ineſſet, ut poſitis quibuſvis imaginibus, & repræſentationibus objectorum, nullimode flecteretur, ſeque nullo movente, & impellente ad repudiandum, vel amplectendum objectum determinaretur, ea certe in agendo libera diceretur.

Digitized by Google

95. Eſt enim libertas poteſtas quædam, & virtus animi, ſive voluntas ſeſe inflectendi ex ſe, & nullo impellente, in unam rem potius, quam in aliam, & id amplectendi, quod bonum, id vero fugiendi, quod malum videatur. Quare voluntas rerum omnium ideis pleniſſime inſtructa quaſi regina, & domina actionum noſtrarum in animo ſedet; cujus imperio omnia fiunt & moderantur. Neque enim aliqua vi externa vel ad proſequendum bonum, vel ad malum vitandum, & fugiendnm impellitur, & ſola boni, & mali repræſentatione flectitur, nec viribus quibuſcumque externis cogi poteſt. Nihilominus eam cogi, & impelli dicimus, cum ſuppliciorum immanitate ad falſam criminis confeſſionem adigitur, non quia revera cogatur (poteſt enim ſemper reſiſtere, & ſuum imperium retinere), ſed quia confeſſionem mens tamquam fugiendis tormentis idoneam, & opportunam inſtar boni cujuſdam apprehendit, & propterea vult

96. Ex quibus palam eſt, animum noſtrum, ſi is liber omnino ſit, nullaque neceſſitate cogatur, ſeipſum determinare ad aſpernandum, vel diligendum objectum, hancque pulcherrimam, & nobiliſſimam facultatem ex ipſa ipſius propenſione, & vi ſeſe movendi proficiſci; cujus propterea actiones quamquam revera contingentes habeantur, ſpontaneæ tamen, & liberæ omnino ſunt, & ex facultate animi ad ſe movendum non minus, quam ad motum augendum, vel generandum, & ad ſe in unam rem potius, quam in alteram inclinandum, ortum ducunt. Multiplex autem eſt libertatis genus; & alia quidem dicitur *libertas a coactione*, cum omnis nimirum abeſt ab agente coactio. Sic ille ad ambulandum liber a coactione dicitur, qui nullis vinculis conſtrictus ſit, nulliſque laqueis irretitus; qui vero conſtrictus, is certe liber a coactione non erit, quamquam vinculis diſſolutus ambulare poſſit. Hoc quidem certum eſt.

97. Alterum libertatis genus dicitur a neceſſitate, tum ſcilicet, cum omnis abeſt neceſſitas, vi cujus quiſpiam ad aliquid eligendum, vel faciendum determinatur. Tertium denique libertatis genus eſt *contradictionis*, & *contrarietatis*, quod tum obtinetur, cum poſitis omnibus, quæ ad

 agen-

agendum neceſſaria ſunt, poni, & omitti poteſt actio, & res plane contrarias, & oppoſitas invicem voluntas eligere. Contradictionis autem libertas aderit, ſi poni, vel omitti poſſit actio, quamquam contraria, & plane ipſi oppoſita actio effici nullo modo queat. Ad libertatem igitur cum mens, & ratio, tum & rei perceptio, & intelligentia neceſſaria eſt. Neque vero objecta velle, aut repudiare poſſumus, niſi ea mentibus noſtris fuerint propoſita. Ita nec quidpiam amatur, nec odio habetur quidpiam, quod penitus fuerit ignoratum.

98. Quæ cum ita ſint, compertum, & ſane perſpicuum eſt, eos omnes libertatem deſtruere, qui neceſſitatem quamdam in voluntate adſtruunt ad proſequendum, vel non proſequendum objectum; quamquam fateor, id quidem a diverſis diverſimode admodum fieri. Palam ſiquidem alii, per cuniculos id faciunt alii, qui eo fortaſſe perículoſiòres ſunt, quo minus periculoſi videntur: quibus conſtitutis, ſit propoſitio prima.

99. Animus libertate gaudet. Hæc propoſitio fide certa eſt. Neque enim minus ea ſacris ſcripturis, quam certa, & divina traditione, Conciliorum omnium, & Patrum teſtimonio clariſſime, & luculentiſſime comprobatur. At neque minus ea certa ratione cenſenda eſt, & adverſus Philoſophos ex ipſa ratione petitis, & mutuatis principiis invincibiliter, & ineluctabiliter demonſtratur. Nam quod vim ex ſe movendi habet, nullo movente, & impellente, quod poteſt motum augere, & motus etiam contrarios inducere, atque adeo generatos elidere, huic certe facultas quædam inſit neceſſe eſt ſe inclinandi, & prout libuerit inflectendi, quin quacumque motione compellatur. Neque vero compellitur quidpiam motione quadam, quod poteſt motionem contrariam opponere, majoremque efficere, totamque propterea corpoream motionem retundere, atque adeo prorſus elidere. Ex quo palam, & perſpicuum eſt, vel animis libertatem concedendam eſſe, vel vim, & virtutem omnino denegandam; qua ex ſe, nullo compellente, moveantur, & aſpernentur objectum, vel illud velint, & ament.

100. Illud præterea ex ipſa vi ſeſe movendi neceſſario conſequitur, ſuas quiſque ideas, & perceptiones majores,

&

& intenſiores efficere poſſe, eoque boni, vel mali præſentationem in infinitum augere, aliaſque ipſis oppoſitas, & contradicentes inducere. Atque hoc quidem totum, quod ex principio evidenter conſequitur, conſcientia etiam noſtra ſentimus, atque intimo ſenſu ſuademur.

101. Quapropter ſive animus noſter, ſolum poſitis quibuſvis objecti perceptionibus, illud pro ſuo arbitrio, & poteſtate amplecti, & repudiare queat, ſive ſolum propoſita majori bonitate hoc queat, quemadmodum cenſuit Leibnitius; liber ſine dubio exiſtimandus erit; cum major, vel minor bonitas objecti ex ſolius voluntatis imperio pendeat, quæ & aſſenſum retinere, & majorem reflexionem imperare poteſt, majoremque propterea objecti bonitatem efficere: quamquam, ut vere dicam, quod ſentio, non equidem ſatis intelligam, cur animus, cui vis ſeſe movendi conceditur, & intelligendi id, quod a nullo proponitur, nec depicta quadam imagine continetur, nec tamen ex ſe moveri queat, nec motum producere, quo amet, vel aſpernetur objectum, æquali ipſius bonitate propoſita. Neque vero major in altero, quam in altero virtus, & efficacia neceſſaria eſt, nec ſatis video, quo pacto, ſi alterum concedatur, alterum denegetur.

102. Nam ſi animus objecti bonitatem auget, id quidem fit motu animi, & majori in ipſum objectum intenſione, & reflexione; quæ tota intenſio non ab objecto, ſed ab animo eſt, ab eoque ſolum ducenda. Ergo ſi animum tanta vi pollere velimus, ut motum ex ſe gignat, qui ab objecto nullo pendeat, nec ex eo originem ducat; cur alterum motum, quo amet, vel aſpernetur objectum, gignere nullo poterit, quamquam nulla majori objecti bonitate flectatur? Quod enim diſcrimen inter utrumque inveniri poterit, aut quæ ratio ſufficiens, quæ alterum, non autem alterum ſuadeat, & dum vim ſeſe movendi animo tribuimus, nullo movente, aut impellente, ipſam de animo detrahamus, niſi is deinceps, majori bonitate propoſita, ad operandum quodammodo compellatur. Neque enim intelligo, cur ratio ſufficiens ad unum motum producendum, non autem ad alterum requiratur, aut quæ ſit ratio ſufficiens in voluntate

quæro ad majorem reflexionem imperandam quam certe niſi per motum, & ſui actionem imperare non poteſt; eaque ſine dubio nulla erit, ſi non ex vi, & pondere voluntatis repetatur.

103. Quapropter mihi certum eſt, totam rationem, & principium ad operandun ſufficiens non ex majori bonitate objecti, ſed ex ſola vi, & efficacitate, & pondere voluntatis proficiſci: non quia id humanam libertatem eriperet; æque enim Homo libere in hypotheſi Leibnitiana foret; ſed quia hoc totum ipſius vim, & efficacitatem deprimeret, & imminueret; nec ſatis conſtanter loqueremur, dum animum volumus ſumma efficacitate præditum ad motum, & ab alio quodammodo ad ipſum motum producendum compelli. Nihilominus ne invitus quidem concedo, Hominem plerumque ad agendum inflecti ob majorem propoſitam objecti bonitatem, idque perpetuo, & conſtanter in his rebus potiſſimum experimur, quæ & ipſum maxime interſunt, & quas vel maxime concupiſcit, earumque ardenti quodam deſiderio inflamatur. At in his rebus, in quibus certe vel nullam, vel æqualem conſtanter bonitatem deprehendimus; tota profecto, ſi quæ eſt ratio ad agendum ſufficiens, imperium, & pondus voluntatis eſt, ſeu animi virtus, qua ſola hic motus potius, quam alius producitur. Ex quo vel maxime libertas demonſtratur, quæ in eo ſita eſt, ut qui ſequitur motus, & omnis voluntatis inclinatio, & averſio ex nullo alio pendeat, quam ex imperio & robore ipſius voluntatis.

104. Et vero nullum ab experimentis petitum luculentius argumentum eſt, quam quod ex pondere, & efficacitate voluntatis deſumitur. Senſu quippe intimo ſuadeor, nec de eo dubitare poſſum, me, cum ecce librum hunc parva vi premo, poſſe vi majori premere, atque adeo etiam, quanta poſſum, maxima. Atque hoc quidem totum fit, ipſis omnino cauſis permanentibus, nec aucta motione corporea, ipſiſque animi perceptionibus perſiſtentibus. Ipſo namque tempore, quo actio omittitur, eadem poni ſine dubio potuiſſet. Ex quo hæc duo quam evidentiſſime conſequuntur; quorum alterum pleniſſimam arbitrii libertatem evincit; alterum & illud etiam evincit, quod nos ad electionem, determinatio-

nem

nem alicujus rei non ab alio quodammodo, ſed a nobis metipſis, & a ſolo voluntatis imperio compellamur. Nam ſi, poſitis ipſis motionibus, & cauſis externis, ipſiſque in animo perceptionibus, res ipſa non minus obtineri, quam non obtineri poſſit: certe omnis motio, electio, & determinatio animi a ſola voluntate erit, quæ a ſe, non autem ab alio, atque ex ſe ſolum ad agendum adigitur. Quamobrem, & vocem conſcientiæ ſuæ prius repudiet, neceſſe eſt, qui Hominem libertate deſtitutum vellit. Nec vero quidpiam aliud per libertatem intelligimus, niſi vim tantam, quæ poſſit omnes motus retundere contrarios voluntati ſuæ, ſeque pro libito, & poteſtate inflectere, & alterum potius, quam alterum eligere. Illud vero æque certum fortaſſe, motionem omnem, & determinationem animi, in propoſito ſaltem exemplo, ex ſolo voluntatis imperio, non autem ex majori propoſita objectorum bonitate proficiſci. Ipſa quippe objectorum perfectio eſt, nec major utilitas, aut bonitas deprehendi poteſt in eo, quod parva, vel maxima vi digitis librum premam, nec tamen neceſſario ſuſpenditur motus, nec qui ſequitur motus, ipſis perceptionibus perſiſtentibus, excludit alium: quin potius, ſenſu intimo ſuadente, clare, & diſtincte video, me non minus illum omittere, quam prorſus inducere, & majorem etiam efficere potuiſſe. Ex quo palam, & perſpicuum eſt, non ſolum Hominem liberum eſſe, ſeque pro libito inflectere in hanc potius, quam in alteram partem; verum etiam totam rationem, & principium ad agendum in Hominis vi, & efficacitate quærendum eſſe, & in ſolo voluntatis imperio collocandum. Quapropter hæc duo certa ſunt, & æque utrumque ſenſu intimo ſuademur.

105. Huc accedit, quod cauſæ neceſſariæ ſemper totis viribus agant: lapides enim totis viribus decidunt: elateres totis viribus obſtacula repellunt: ignis, aqua, cæteræque cauſæ neceſſariæ omnes, quantam vim habent, in alia corpora transfundunt, ſibique debitam, & reſpondentem actionem exercent. Solus vero animus eſt, qui rebus omnibus perſiſtentibus, & majori vi, & minori agat, & diverſas actiones exerat, & diverſos motus inducat, ſeque ab

omni

Digitized by Google

omni motu prorſus abſtineat; idque libere, & nullo cogente, neque rerum conſtitutione mutata. Unus ſiquidem Homo eſt, qui vi ſeſe movendi gaudeat: ex qua ſolum reperi poteſt, immo & debet, cur poſitis ipſis viribus, non ipſe tamen effectus conſequatur.

106. Quæ cum ita clara, & illuſtria ſint, nihil profecto mirum eſt, quod ingenita ſit, & cunctis Hominibus inſita de libertate cognitio, quam omnes gentes, & Populi habuerunt. Quippe res ejuſmodi erat, ut ex ipſa excellenti natura animi, & intimo Conſcientiæ teſtimonio quam evidentiſſime ſequeretur. His adde, quod, Libertate ſublata, omne honeſti, atque inhoneſti diſcrimen tollitur, & omnis legum, virtutum, & vitæ ratio omnis convellitur. Fruſtra ſiquidem adhiberentur laudes, minæ, præmia, & inique ſine dubio omnia ſuplicia conſtituta fuiſſent. Cur enim caſtigandus eſt lapis, qui Hominem occiderit? Quapropter libertatem tam aperte univerſa Natura loquitur, ut rerum omnium ignarus, & ſuimet oblitus eſſe videatur, qui non dicam Hominis libertatem negaverit, ſed ne in dubium quidem eam revocari poſſe exiſtimarit.

107. Hactenus libertatem demonſtravimus, & principia certa, minimeque dubia aperuimus, ex quibus ea infallibiter, & ineluctabiliter ducenda eſt. Nunc vero de his rebus differendum, quæ maxime libertati officiunt, eamque ſine dubio tollunt, & evertunt. Sunt enim plures, qui etſi libertatem Hominis probent, recipiantque, eamque magno doctrinæ apparatu conentur evincere; aliquod tamen conſtituunt, quod cum ipſa libertate pugnet, nec utrumque æque conſiſtat. Itaque dicimus, id omne libertatem eripere, quod cum nexum, & jugatum ſit cum actionibus creaturæ, tum nec vitari, nec comparari ab ipſis poſſit; idque præſertim ſi hoc totum ad actionem requiratur, virtutemqne ad agendum neceſſariam conſtituat. Quamobrem tum Thomaſianorum de phyſica prædeterminatione, tum illud, quod Auguſtinianum dicunt, de duplici delectatione ſyſtema rejicio; tum quia libertatem evertant, & cum ipſa pugnent, omnemque animorum vim tollant, vel imminuant, eorumque naturam evertant, tum maxime quia hujuſmodi ſyſtemata,

mata, ne poſito quidem *decreto divino*, *& ancedenti*, *& abſoluto*, *& efficaci*. *& cum conſenſu creaturæ copulato*, *nec a Scientia media directo*, *& inevitabili propterea viribus creaturæ*, aliqua ea ratione, aut neceſſitate conſequantur, quemadmodnm in apendice poſtea evidentiſſime, niſi turpiter erro, conficiemus. In præſentia autem id ſolum demonſtrandum, duo illa ſyſtemata cum libertate pugnare. Ex quo illud ſequetur, vel decretum divinum vitari quoquo modo poſſe viribus creaturæ, nec ipſarum propterea antecedere actiones, nec cum ipſis metaphyſice conjunctum, & copulatum eſſe; vel fallacem, & erroris plenam conſecutionem, quam ex decreto inevitabili, & efficaci, & abſoluto horum ſyſtematum vindices, & Aſertores deduxerunt.

108. Et vero id eſſe liberum dicimus, quod unum præ alio eligere poteſt; idque arbitrio, & voluntate, & nulla neceſſitate conſtrictum. Qui autem phyſice prædeterminatus ſit, id profecto non poteſt; neque enim ab ipſius arbitrio phyſica prædeterminatio pendet, ſine qua tamen effectus neutiquam obtinetur. Quomodo ergo liber? Sic neque lapis liber eſt; idque ſane nulla alia ratione, niſi quia determinatio ad motum non ab ipſo, ſed ab alio oritur. Atque hoc totum ſimiliter eveniret, quamquam voluntas, & ſpontanea agendi ratio lapidi tribueretur. Itaque hoc argumentum ſic robuſtum, & evidens meo judicio eſt, ut nullus umquam ſolutionem dederit, & nemo dabit umquam, quia evidentiſſimam demonſtrationis vim, & robur habet. Quis enim dixit umquam, hominem manicis, & compedibus omnino conſtrictum liberum prorſus ad ambulandum eſſe?

109. Nihilominus reſpondere ſolent Thomaſiani, hominem phyſice prædeterminatum non poſſe non eligere rem, ſi phyſica prædeterminatio adſit, ſeu in *ſenſu compoſito*, ut dicunt, phyſicæ prædeterminationis; poſſe tamen in ſenſu diviſo, hoc eſt, cum phyſica prædeterminatio abeſt. Quæ reſponſio ne hilum quidem frangit argumentum. Nam, poſita prædeterminatione, homo revera, & neceſſario rem efficit, nec efficere deinceps poteſt, ut prædeterminatio illa aut abſit, aut adſit: Neque enim ea ex ſua libertate,

&

& arbitrio pendet. Ut enim qui ferris aſtrictus eſt ſine dubio liber ad ambulandum non eſt, quamquam vinculis ſolutus ambulare queat; idque ea ſolum de cauſa, quia ab ipſis ſe expedire nullo modo queat; ita ſimiliter, qui phiſice prædeterminatus eſt, quia nec ſibi phyſicam prædeterminationem acquirere, nec deinceps eam evitare poteſt, ut Thomaſiani ipſi fatentur, ad rem eligendam liber non erit. Neque enim aliquod inter utrumque diſcrimen adeſt, cum Homo in utraque hypotheſi in ſenſu diviſo rem efficere poſſit, in ſenſu autem compoſito nullo modo poſſit, & æque in utraque hypotheſi ſenſus diviſus pendet, aut non pendet ex Hominis arbitrio, & poteſtate.

110. His adde quod cauſæ ea ſola ratione neceſſariæ dicantur, & vero ſint, non quia res diverſas producere nullo modo queant, ſed quia diſpoſitio ultima ad operationem, & motum non ab ipſis, ſed ab alio pendeat: quamquam operatio illa, ſive motus ex qualitatibus cauſarum proficiſcatur. Quocirca vel libertatem hominum negemus, neceſſe eſt, vel id omne, quod cum effectu nexum, & copulatum eſt, ſi nec acquiri deinceps, nec evitari ab humana libertate poſſit, cum ipſa libertate pugnare dicendum eſt. Quod quidem tam certum videtur, ut Cicero acerrimus libertatis vindex illarum rerum ſcientiam Deo denegaverit, quæ ex hominum arbitrio, & voluntate penderent, ne ipſis quoquomodo eriperet libertatem. Putabat enim, Dei præſcientiam non ſolum cum rerum effectione junctam, & copulatam eſſe, ſed inevitabilem eam deinceps fore ab hominis poteſtate. Impie! Qui ut liberum hominem faceret, Deum rerum ignarum, & inſipientem, & hominibus quam ſimillimum conſtituit. Illud tamen certum eſt, id quemlibet neceſſario judicaturum, qui Dei præſcientiam, & cum rei effectione conjunctam, nec inſuper quoquomodo evitabilem ab humana libertate conſtitueret; namque id, quod cum rei effectione junctum, & nexum eſt, nec ex arbitrio, & voluntate quoquomodo pendet, nec acquiri deinceps, nec prorſus evitari poteſt; id certiſſime libertatem evertit, & funditus tollit. Quocirca quamvis præſcientia Dei cum rei effectione neceſſario conjuncta ſit,

ac

ac propterea actio infallibiliter eventura; ea tamen ejuſmodi eſſe debet, ut vel nullimode nexa cum determinato auxilio ſit, vel ea quoquomodo pendeat a rebus ipſis, non quia ab iiſdem efficiatur, ipſarumque effectus ſit; ſed quia veluti totidem termini ipſæ res habeantur, ſine quibus præſcientia Dei haberi non poteſt. Cumque res illæ ex libero hominis arbitrio pendeant, & effici non minus, quam non effici queant, eaſque ſequatur præſcientia divina; cur ea vitari non poterit pro pleniſſima hominis libertate?

111. Ex quo perſpicitur, totam hominis libertatem, & Dei præſcientiam optime inter ſe cohærere, & invicem conciliari poſſe. Quo autem pacto id fiat, a Thoelogis potius, quam a Philoſophis petendum eſt. Nihilominus hoc totum in apendice, prout inſtituti noſtri ratio patitur, explicabimus. Interea certiſſime tenendum eſt, id quod ex principiis noſtris certiſſimis, & minime dubiis neceſſario deſcendit; ſcilicet quidquid junctum, & copulatum eſt cum effectione rei, & inevitabile præterea ſit, id quidem penitus deſtruere hominis libertatem.

112. Hæc autem ipſa argumenta contra ſyſtema duplicis delectationis faciunt, quod Auguſtinianum dicunt. Ponitur namque in eo, hominem neceſſario peccaturum, ſi major delectatio terrena fuerit, ſi vero gratia major, aut delectatio celeſtis nullo modo peccaturum. Hoc autem totum ſyſtema vix a Leibnitiano differret, nec illud rejiciendum exiſtimarem tamquam libertatis inimicum, ſi, quemadmodum Leibnitius poſuit, major, vel minor delectatio, ex Hominis arbitrio, & voluntate penderet, eaque majori reflexione, meditatione, & intenſione augeri poſſet, vel remitti voluntatis imperio. Neque enim in hoc ſyſtemate delectatio divina neceſſario cum actione conjungitur; in quo ſane a Thomaſiano plurimum differt; poteſt enim conjungi cum ea & ab eadem disjungi, omniſque idcirco efficacia gratiæ ex eo pendeat, quod, illa poſita cupiditate terreſtri minore, conferatur. Quare ego non video, cur Homo, etſi divinam gratiam, quæ in nobis, ut ita dicam, ſine nobis efficitur, & a Deo infunditur, & operetur, intendere, aut remittere nullo modo queat, terrenam ſaltem cupiditatem augere, vel remiſſiorem efficere nullimode queat: quod ſolum ſi po-

neretur, jam ſalva, & integra omnis humana libertas conſiſteret. Quidquid enim terrena delectatio, & cupiditas ſit, aut ex quocumque principio ducatur, ea certe nonniſi ex affectionibus, & motibus animi petenda erit; qui ſi iners non ſit, nec motibus corporeis debilitetur, aut obruatur, & poſſit ex ſe moveri, & motus etiam contrarios producere: quid tandem erit, ex quo negemus, cupiditatem, & delectationem terrenam reflexione, & conſideratione, & motus contrarios inducendo augeri, & debilitari non poſſe? Quamobrem priuſquam hoc ſyſtema probetur, illud ſine dubio monſtrandum puto, omnem animorum vim, & virtutem fractam, & peſſundatam fuiſſe, extinctamque poſt peccatum arbitrii libertatem, & cæco quodam impetu Homines ferri, & tamquam totidem animantia cupiditatibus agi, ipſorumque naturam everſam, atque in aliam plane diverſam commutatam fuiſſe. Quod ſi animi vis, poſt peccatum quidem imminuta fuerit, non tamen extincta, ſi ipſius adhuc natura perſeveret, & poſſit ex ſe, & nullo cogente, moveri, & contrarios etiam motus inducere; quid minus probari poterit, quam hominem omni vi, & efficacitate privare, & brutis animantibus quam ſimillimum cæco quodam impetu, & cupiditatibus corporeis hac, illac neceſſario circumſerri, niſi illæ quidem intenſiori divinæ gratiæ vi vincantur, & ſuperentur? Quod quidem ſi ponatur, & quoquo modo probetur, jam de tota libertate Hominis actum, & conclamatum erit. Quare mirum non eſt, quod Lutherus, Calvinus, Janſenius, & ante ipſos Prædeſtinatiani, quos nonulli tamquam hujus ſyſtematis authores traducunt, ultro fateantur, hominem nullo modo liberum eſſe, ſed ad agendum ſolum aut divina gratia, aut terrenis cupiditatibus prorſus impelli, ipſumque inſtar hypomochlii cujuſdam eſſe, quod ſolum ponderum inæqualitate flectatur. Ut enim, inquiunt, duo pondera æqualia in vecte in æquilibrio conſiſtunt, & ſi inæqualia, motus in illam partem neceſſario ſequitur, verſus quam majus pondus conſtitutum eſt; ſic volunras hominis, quæ media quaſi eſt inter delectationem cœleſtem, & terrenam, in eam partem inclinari debet, ubi major delectatio, ſive ea terrena, ſive cœleſtis fuerit,

113. Nihilominus hoc ipſum ſyſtema tenent ex Catholicis plures, qui Auguſtini ſectatores dici, & audiri volunt: quamquam impias ex hoc ſyſtemate orituras conſecutiones, & ab Eccleſia in Luthero, Calvino, & Janſenio confixas nullo modo probent, recipiantque. Et quidem Laurentius Bertius celebris in Italia Theologus, quem potiſſimum Auguſtiniani ſequuntur, aperte fatetur, hominem majori cupiditate illectum neceſſario peccaturum; poſſe tamen non peccare, quia adhuc de rei honeſtate, & non honeſtate judicare poteſt. Atqui quis eſt, qui non videat, graviſſimum Theologum in re etiam graviſſima nugare voluiſſe, turpiſſimamque de nomine quæſtionem inſtituiſſe?

114. Neque vero hanc libertatem Calvinus, Lutherus, Janſenius, nec Philoſophus ſanus negavit umquam; neque enim, opinor, homines ita concitatos ira, & cupiditatibus, aliiſque perturbationibus inflammatos eſſe credidere, ut de honeſtate, vel inhoneſtate actionum hunamanarum minime potuerint judicare. Et quidem Calvinus lib. de libero arbitrio candide, & ingenue fatetur, ſe per libertatem nihil aliud intelligere, nec vero velle, niſi poteſtatem quamdam voluntatis ad agendum, vel non agendum prorſus indifferentem. Quod ſi alio ſenſu libertas hominis uſurpetur, ſe non recuſaturum, hominem liberum profiteri. Atque hoc quidem ſenſu ab omnibus tum Philoſophis, tum Theologis de humana libertate diſputatum fuit, & ab Eccleſia tota ſic hominem eſſe liberum contra Lutherum, & Calvinum, & Janſenium, quantum ego conjicio, definitum fuit.

115. Quare quæſtio tota huc redit, atque in hoc tota verſatur; voluntas ne hominis, poſitis omnibus, quæ ad agendum neceſſariæ ſunt, poſſit vere, & efficienter pro arbitrio, & voluntate eligere unum præ altero, aut repudiare. Atque hoc, ut ego quidem exiſtimo, Eccleſiæ univerſæ judicium eſt, Patrum, & Conciliorum teſtimoniis clariſſimis confirmatum.

116. Quapropter ſi homo, quamvis de honeſtate, & inhoneſtate actionum humanarum liberum judicium ferre poſſit; velle tamen, & nolle pro arbitrio, & poteſtate non poſſit & cupiditatibus neceſſario trahatur, quas nulla vi, & mo-

tus contrarios producendo frænare, & cohibere valeat, nec eos intendendo motum augere, certe nullo modo liber dicendus, & credendus erit. Ut enim qui vinculis conſtrictus eſt, nullimode liber ad ambulandum dicitur; atque hoc quidem etiamſi id utile, vel inutile, bonum, aut malum exiſtimet; ita mens quamquam de honeſtate, & inhoneſtate actionum judicium ferre queat, libera certe nullo modo habebitur, ſi pro majori, vel minori delectatione moveri debeat, nec vis præterea ipſi ſuppeditet, qua delectatio, ſaltem terrena, aut major, aut minor efficiatur. Nam cum in hominis libertatem inquiritur, id certe inquiritur, an voluntas poſitis omnibus, quæ ad agendum neceſſaria ſunt, velle, & nolle quidpiam, & pro arbitrio alterum præ altero poſſit eligere. Quod ſi nequeat, ne libera quidem cenſenda erit; neque enim de viribus mentis, ſed de viribus voluntatis quæſtio tota inſtituitur, & de ipſis dumtaxat diſputatur.

117. Quæ cum ita ſint, nihil jam reliquum eſt, niſi, quæ ab inimicis libertatis proferuntur, argumenta diluamus. Et primo quidem, inquiunt, hominis libertas evinci, & monſtrari nullimode poteſt ex intimo conſcientiæ teſtimonio, vi cujus nos liberos eſſe ſentimus. Nam conſcientiæ teſtimonium ſæpe fallax eſt, & ſæpius nos in errorem inducit. Fieri namque poteſt, ut quæ neceſſario agimus, libere nos agere videamur. Deinde plures ſunt, qui intimo conſcientiæ teſtimonio conſtare putant, membra noſtri corporis ab anima efficienter cieri, & prorſus moveri, eamque deinceps per totum corpus fuſſam, & diſtributam eſſe: quæ cum nihilominus incerta, & ſubobſcura admodum ſint, nonne fallax, & errori obnoxium illud argumentum erit, quod ex intimo conſcientiæ ſenſu deſumitur?

118. Atqui nihil obnoxium eſſe errori poteſt, quemadmodum alibi demonſtravimus, quod ita ſe habere, ex intimo conſcientiæ ſenſu ſuademur. Plura autem ſunt, quæ hoc conſcientiæ ſenſu conſtare videntur, quæ tamen minime conſtant, & errori obnoxia ſunt, & aliquando a veritate aliena; cujus generis res illas eſſe dicimus, quæ ad totum argumentum evincendum adductæ ſunt. Etſi enim ex inti-

intimo conſcientiæ ſenſu perſpicuum, & evidens ſit, voluntatis motibus certas in noſtris membris, & organis motiones excitari, motuſque externos viciſſim in animum ipſum quoquomodo redundare; nexum vero, qui inter animi affectionem, & motiones illas corporeas intercedit, quis umquam percepit, ac evidenter quidem monſtravit? Muta hic omnis experientia eſt, & omnia ſilent experimenta, ſuoſque errores eis affigunt, qui his, vel ſimilibus opinionibus verſantur. At multo ſecus ſe res habet in hominis libertate. Cum enim ad dexteram progredior, non minus certus ſum, me greſſum verſus dexteram concedere, quam certus ſim, me poſſe ad levam deflectere, & declinare. Quod quidem in ipſa natura ſitum eſt, comprehenditurque ſuis cujuſque ſenſibus, ut qui contradicere velit, amens ſit, & nullo modo audiendus videatur. Libertatem enim tam aperte loquitur conſcientia, ut qui fidem ei detraheret, demonſtrationes ipſas geometricas, cunctaque axiomata funditus tolleret, & everteret.

119. Nec magis proficiunt, cum nos plura libere velle poſſe judicare contendunt, etiamſi neceſſario velimus, & motionibus quibuſdam, & cauſis externis ad agendum compellamur. Rem autem ita ſe habere, ita demonſtrant. Etenim ſi acui magneticæ conferretur cogitatio, & deſiderium ſeſe inclinandi juxta directionem meridiani, nonne eadem exiſtimaret, ſe determinatione propria, & libera illum motum efficere, & verſus meridianum inclinari? Ex quo ſane conſequitur, nos ſimiliter libere omnino agere judicaturos, quamquam extrinſecus prorſus impelleremur. Verum hoc quidem totum ineptum eſt, & obſervationi adverſatur. Itaque utrumque negamus. Quemadmodum enim homo præceps e feneſtra actus evidentiſſime ſentit, ſe non eſſe amplius liberum ad deſcenſum, idque quamquam cauſam gravitatis ignoret; ita acus illa ſentiret, ſe vi aliena cieri; idque tum maxime, cum motum priori contrarium efficere conaretur. Huc accedit, quod nos tam ante, quam poſt actionem, atque adeo ipſa perſeverante actione, intelligamus, & plane cognoſcamus, eamdem actionem ſine ulla determinatione, quæ extra nos ſit, non minus poni, quam omit-

 ti

ti potuiſſe; quo ſane ſenſu certiſſime deſtitueremur, ſi neceſſitate quadam ageremur.

120. Tandem illud argumentum debilitare contendunt, quo nos etiam uſi ſumus ad evincendam Hominis libertatem. Neque enim ex eo, ſi fides ipſis adhibenda eſt, libertas Hominis comprobatur, quod nos totis viribus non agamus. Belluæ namque non ſemper totis viribus agunt, quin idcirco libertate gaudeant. Quod argumentum robuſtiſſimum aliquibus Philoſophis videri ſolet: nec mirum propterea, quod neſcio, quam beſtiis libertatem conceſſerint; at quæ ex ea hypotheſi oriuntur, corollaria vel ignorant, vel ſane ignorare ſe ſimulant. Neque enim fieri poteſt, ut belluæ quadam libertate gaudeant, quin ipſarum anima & ſpiritus, & immortalis ſit, & vi ſeſe movendi polleat, & mereri item, & demereri queat, & gaudere in æternum, & puniri ſimiliter in æternum poſſit; quæ omnia abſurda ſunt, & Philoſopho prorſus indigna.

121. Quocirca dicimus, bruta animantia, non ſecus ac lapides, & omnes alias cauſas neceſſarias ſemper, & conſtanter totis viribus agere. Quod quidem non ita intelligi volo, ut bruta ſemper eadem vi urgeantur, ipſosque motus efficiant. Poſſunt enim & vi majori, & minore propelli; verum hoc quidem non vi propria, non electione, non voluntate faciunt, ſed ab ideis, & motionibus corporeis in phantaſia excitatis acta, & impulſa: quæ cum intenſiores, & remiſſiores eſſe poſſint, idcirco fit, ut majorem, vel minorem vim exerceant, ac propterea bruta vi & majori, & minori pro arbitrio, & voluntate intima quoquomodo moveri videantur.

122. Nec vero fieri aliqua ratione poteſt, ut ipſo perſeverante in phantaſia motu, ipſaque perceptione corporea, bruta parte virium ſolum agant, nec motum deinceps, aut perceptionem augere, & majorem poſſunt efficere. Contra autem accidit in homine, qui vel ipſis exiſtentibus perceptionibus, ipſoque motu generato, pro arbitrio, & libertate ſua in alteram potius partem, quam in alteram propendit, quemadmodum intimo conſcientiæ teſtimonio edocemur; vel ipſas perceptiones majores efficit, eaſque uſque in infi-

Digitized by Google

infinitum augere poteſt. Quare cum dicimus, Hominem non totis viribus agere, id intelligimus, ut totum hoc faciat vi, & electione propria, & ſolo pondere voluntatis.

123. Similiter numquam brutis animantibus, ſi quod res eſt, loquamur, minæ, & præmia adhibentur, quia libertate omni deſtituuntur. Nec vero quiſpiam mortalium tam amens inventus fuit, qui hoc umquam decreverit, aut inſtituerit. Nihilominus bruta animantia jure puniri poſſunt, atque adeo ſæpe numero puniuntur; ſed ita, ut non quemadmodum homo, ob actionem præteritam, & patratam, ſed ob futuram dumtaxat actionem. Verberum quippe ideis in eorum phantaſia impreſſis, & quodammodo inſculptis efficitur, ut, eadem recurrente actione, inſtaurentur, & reproducantur illæ quidem, quibus a ſimilibus motibus deterrentur.

124. Illud vero argumentum, quod ex indifferentia animi, atque adeo ex ipſius libertate deſumitur, vix refellendum, & ineptiſſimum eſt. Neque enim animus ita indifferens in rerum electione eſt, ut ab alio, quemadmodum res omnes inertes ſunt, compelli, & ad agendum determinari debeat. Ipſe enim in ſe vim, & virtutem habet ad motum producendum, ipſeque ſibi omnem indifferentiam tollit, nec alio indiget, quo adigatur ad motum. Atque hoc quidem ex ipſa ipſius natura oritur mirum in modum efficaci, & idonea ad ſe, prout libuerit, inflectendum. Sic Deus, quamquam natura ſua pleniſſime indifferens habeatur, nec ulla neceſſitate conſtrictus, nihilominus liberrimus eſt, nec extrinſecus, aut intrinſecus ulla neceſſitate, & coactione compellitur, ſed totum motus principium in ipſo eſt, & quæcumque voluit, fecit; idque liberrime, & ſuæ ſolius voluntatis pondere, & imperio. Contra vero corpora omnia, quæ inertia ſunt, & ad motum indifferentia. Neque enim ex ſe movendi vim, & efficacitatem habent, nec ullo modo propterea moventur, ſibique adimunt indifferentiam, niſi a cauſis externis quibuſdam impellantur, totumque idcirco motus principium ab alio pendet, & mutuatur.

125. Poſtremum denique argumentum contra Hominis libertatem ex ratione ipſa petitum a principio rationis ſuf-

ficientis ducitur, quod quidem ſi, quemadmodum a Leibnitio intelligatur, ne hilum quidem officit libertati, ut ſupra monſtratum fuit. Nihilominus quoquo modo vis animi ex eo deprimetur, qui arbitrio, & voluntate ſe moveri non poſſet, ſed quodammodo majoribus momentis actus, & impulſus. Atque hoc quidem unum fortaſſe argumentum eſt, non ab authoritate petitum, ex quo evinci quoquo modo poteſt, phyſicam prædeterminationem Thomaſianorum, aut ſyſtema duplicis delectationis non eripere Homini libertatem. Atque utinam vellem, ut horum ſyſtematum vindices cum Leibnitio ſentirent, a quo tamen aperte diſſentiunt, & maximum inter ipſorum hypotheſes diſcrimen adeſt. Et ſi enim omnes in eo conſentiant, quod in ſenſu compoſito majoris delectationis cœleſtis, ut Auguſtiniani volunt, aut gratiæ ab intrinſeco efficacis, ut placet Thomaſianis, aut inæqualitatis rationum, ut dicunt Leibnitiani, Homo aſſentiri teneatur; in eo tamen differunt, quod major, vel minor bonitatis repræſentatio, & omnis ratio ſufficiens, & ad agendum prorſus neceſſaria ex imperio voluntatis pendeat in hypotheſi leibnitiana; a Deo ſolum oriatur in hypotheſi Thomaſiana, aut Auguſtiniana, qui aut dat gratiam ab intrinſeco efficacem, vel inefficacem nullis meritis, aut operibus Creaturæ reſpondentem, aut majorem, ut Auguſtiniani volunt, cupiditatibus, aut minorem prout ipſi libitum fuerit, & ex ſolo ipſius voluntatis pondere, & imperio. Ex quo palam eſt, omnem neceſſitatem in hypotheſi Leibnitiana conſequentem eſſe, quam Homo propterea facit; reliquis autem hypotheſibus prorſus antecedentem, & rem inducentem, vel quia quod gratia ſit efficax, aut ineficax, vel quia quod his conditionibus conferatur quibus efficax futura ſit, a Deo ſolum petendum eſt, nec gratia præterea, nec cupiditas augeri, vel imminui valet voluntatis imperio.

126. Nihilominus a Klarchio Leibnitius accuſatus fuit, quaſi Hominis libertatem ſubſtuliſſet; quid vero ſenſiſſet de his, qui Hominem, poſita gratia ab intrinſeco efficaci, aut majori delectatione cœleſti, non ſolum neceſſario conſenſurum volunt, verum etiam ita conſenſurum, ut diſſen-

tire

tire nequeat, nec ab una in aliam hypotheſim tranſilire, nec hanc potius gratiam, quam aliam ſibi acquirere, & obtinere, aut ſaltem concupiſcentiam terrenam augere, vel debilitare queat. Itaque voluntatis vis, & poteſtas, veluti quoddam hypomochlium eſt, quod ponderum ſola inæqualitate flectitur, nec ut hujus ſint generis, aut alterius, nec ipſorum ponderum magnitudo ab ipſa eſt. Quare mihi certum eſt, illud dumtaxat eſſe liberum, quod nulla neceſſitate adigitur, quod ab una hypotheſi tranſire poteſt in aliam, & ſenſum diviſum efficere. Ut enim qui vinculis conſtrictus eſt; is certe liber ad ambulandum non eſt, quamquam in ſenſu diviſo vinculorum, hoc eſt, ſi ab alio a vinculis expediatur, libere deambulare poſſet; idque nulla alia de cauſa, quia ſe a vinculis liberare nullo modo poteſt, & ab uno in alium ſtatum tranſilire; ita qui vel gratia ab intrinſeco efficaci, aut majori delectatione cœleſti ad aſſentiendum adigitur, non utique liber exiſtimandus erit; quia aliam gratiam, aut minorem delectationem, ſive cœleſtem, ſive terrenam arbitrio, & ſuæ voluntatis imperio obtinere non poteſt. Ergo omnis neceſſitas ab alio, non autem a voluntate erit, quam ſine dubio antecedit, minime vero ipſam conſequitur, tollitque propterea veram arbitrii libertatem.

127. Mitto infinita propemodum SS. Litterarum, & PP. teſtimonia, quibus hæc duo ſyſtemata quodammodo comprobantur, & quibus, ut ego quidem exiſtimo, effectum fuit, ne a Theologis rejicerentur. Sed ut ego vere dicam, quod ſentio, ſi quid illa teſtimonia probant; hoc certe probant, voluntatem divinam antecedere omnes actiones Creaturæ, eamque abſolutam, & efficacem eſſe, nec vitabilem præterea viribus Creaturæ. Ex quo antecedente, quemadmodum nullo modo arguitur, Deum vim inferre Creaturis, nec ipſarum libertatem evertere, ita nec arguendum exiſtimo, ſic eas divina gratia ad aſſentiendum compelli, ut ne ipſi quidem reſiſtere poſſint, nec ſub eadem gratia diſſentire. Quapropter etſi in hac hypotheſi conſenſus, & actio creaturæ præfinita a Deo neceſſaria ſit, ſecus enim irita foret efficax divina voluntas, vitari adhuc ea

 pote-

poterit creaturæ viribus ſub quocumque definito auxilio, nec erit propterea neceſſaria: quo ſolum poſito, Creatura libera erit, & ſub quocumque definito auxilio, & quibuſvis delectationibus acta ad agendum, vel non agendum prorſus indifferens; totumque propterea corruet argumentum pro duplici ſyſtemate a divinis præordinationibus, & præfinitionibus, vel maxime petitum, quemadmodum in apendice demonſtrabimus. " Poſitis itaque omnibus conditionibus ad agendum neceſſariis, aſſentire, vel diſſentire, inflectere ſe, & determinari in unam potius, quam in alteram partem, & alterum præ altero eligere, ad ſolam vim animi, & pondus voluntatis pertinet. " Idem de divina præſcientia dicendum, quæ nihil officit libertati, vel quia ea viribus Creaturæ vitari poſſit, vel quia mediis illis, & diſpoſitionibus, quibus divinæ præſcientiæ terminus obtinetur, nullimode copulatur.

CAPUT VI.

De vi ſentiendi, & imaginandi Animi.

128. POſtquam de facultatibus illis animi diſſeruimus, quæ ſpirituales ſunt, quæque animorum noſtrorum quaſi divinitatem arguunt; ad illas facultates explicandas mentem, animumque convertimus, quarum operationes, quia brutis animantibus communes ſunt, perque motum corporeum explicari poſſunt, nullo modo evincunt animorum noſtrorum excellentiam. Differentia namque temporis, quo motiones animi, & rerum corporearum imagines fierent, ita inſenſibilis eſt, ut nullis obſervationibus diſcerni queat, illamque ſolum ex viribus animi, & materiæ juſta, nec fallaci conſecutione deduximus. Quapropter etſi Homo omnimode concretus foret, nec niſi viribus materiæ actus, & impulſus moveretur; his omnibus nihilominus inſtructus facultatibus haberetur: quamquam omnino confitendum eſt, ut qui motus in machina ſequeretur, non ita perfectus evaderet, quam qui nunc eſt; quippe qui ex duobus principiis oriri poteſt; ex rerum nimirum externarum impulſionibus,

nibus, & ex motionibus animi. Et quoniam de natura motionum animi, deque ipſarum principio ſatis ſuperque diſputatum fuit, nunc de illis ſolummodo facultatibus agendum erit, quæ ex ſe corporeæ ſunt, nec niſi machinæ diſpoſitione perficiuntur; ex quibus tamen plurimi motus repetendi ſunt, quos in corporibus experimur.

129. Prima itaque harum facultatum eſt vis ſentiendi. Tunc enim quidpiam nos ſentire dicimur, cum res extra nos poſitas, tamquam præſentes intuëmur: quæ omnes rerum repræſentationes, prout in ſenſu ſunt, corporeæ illæ quidem habentur, & rerum corporearum figura, & vera imago nec niſi motionibus corporeis efficiendæ. Itaque a motionibus animi, id quod ſæpius diximus, ſecernendæ ſunt illæ quidem, quæ & principio non ſolum, ſed & tempore, & ratione ipſa, qua fiunt, ab illis differunt, quemadmodum ſupra declaravimus, quas propterea eos ſolum illas confundere, & permiſcere invicem poſſe puto, qui vel animos corporeos eſſe volunt, & omni vi, & efficacitate deſtitutos, vel qui cum Lockio putant, eos mediis quibuſdam motionibus corporeis pervelli, & affici, atque adeo vere per ipſas ſentire, & percipere, omnemque aliam ſentiendi, aut percipiendi rationem ſupervacaneam eſſe; præterea neminem. In quo cum non ſatis conſtanter loquuti fuerint, ne quid acerbius dicam, tum in graviores, nec plane ſuperandas dificultates inciderunt. Multo namque difficilius explicatu eſt, quo pacto ſpiritus ſimplex, & penetrabilis materiæ viribus agitetur, & pervellatur, per ipſaſque motiones, & modificationes ſentiat, quam per vim propriam ſentiat, & per motionem ab ipſo effectam objecta corporea attingat, & cognoſcat: quæ tamen non niſi rerum corporearum imaginibus ad animum deferuntur, ipſique fiunt præſentia; præſertim cum ex aliis animi operationibus probe ſciamus, ipſum natura ſua efficacem eſſe, motumque ex ſe generare, atquè adeo plura objecta per propriam motionem attingere; eaque & intueri, & ſibi præſentia efficere, quæ nullis motionibus, & corporeis imaginibus inſculpta continentur.

130. Nihilominus confitendum eſt, ex ſolis ſimplicibus perceptionibus, id quod ſæpius diximus, quibus objecta

corporea pervidentur, monſtrari nullo modo poſſe, eas a motionibus, & imaginibus illis corporeis diverſas eſſe, quibus ipſa objecta corporea animis ſiſtunt, ſeque exhibent conſpicienda. Siquidem ambæ & ipſum objectum referunt, cui accurate reſpondent, & ipſos motus in machina, ipſas inclinationes, & propenſiones inducerent, ſi nihil præterea obſtiterit, nec illa deinceps temporis differentia, ex qua ſolum repeti poteſt tum actionum, tum principiorum diſcrimen, quantum ex obſervationibus, & experimentis conſtat, ex natura illarum motionum petitis, umquam deprehendi, aut demonſtrari potuiſſet.

131. Quapropter ſic in Hominis facultates, ut ita dicam, corporeas, quibus tota ipſius machina pervellitur, & afficitur, inquirendum eſt, ut ſemper meminerimus illius vis, quæ poſſit ipſas facultates ex motu externorum objectorum, & corporis conſtitutione, & modificatione oriundas augere, & perfectiores efficere.

132. Hiſce ita conſtitutis, jam ſenſuum organa, quibus & omnis vis ſentiendi perficitur, & rerum corporearum ſpecies, & imagines animis exhibentur, illæ corporis noſtri partes ſunt, quarum motionibus ex ſola ipſarum diſpoſitione, & ſtructura oriundis intelligitur, cur has res potius, quam alias, cur hoc potius, quam alio modo percipiamus.

133. Partes itaque, quæ organorum pulſionibus neceſſariæ ſunt, illæ dicuntur, in quibus nervi ex cerebro promanantes terminantur, quæ ita rite diſpoſitæ, & conformatæ ſint, oportet, ut quoties a rebus externis pervellantur, tota profecto, ſi quæ eſt, commotio per nervos ad cerebrum uſque deferatur. Certum namque ex omnibus anatomicis obſervationibus, & exploratum habemus, ex cerebro ad ſingulas fere corporis partes nervos quoſdam, ſeu tubulos tenuiſſimos, fibris inter ſe intextis, poſitos ſeſe diffundere, quibus rei extra nos poſitæ imago repræſentatur: quibus quoquomodo affectus animus eodem fere temporis momento ideam rei afficientis, ſive moventis informat. Ut enim in oculo, ſtatim ac objectum externum adhibetur, viſio efformatur, ſic, poſita motione illa corporea, qua objectum animo exhibetur, & præſens fit, ipſius ab ipſo animo percepti, onec ab alio effecta producitur. 134.

134. Quinque autem horum ſenſuum quaſi totidem animorum feneſtræ in corpore noſtro deprehenduntur, oculus ſcilicet, auris, naris, lingua cum papillis ſuis, & tactus fibrillis nerveis toto corpore æquabiliter fuſis. Ex quibus totidem oriuntur ſenſionum, ſive motionum genera, viſus ſcilicet, auditus, olfactus, guſtus, & tactus. Eſt autem viſus perceptio quædam corporum, quæ efficitur convenientibus mutationibus in oculo factis: quæ definitio ad alios quoque ſenſus, paucis mutatis verbis, transfertur.

135. Omnis ergo mutationum, & ſenſionum varietas cum a diverſitate corporum ſenſuum organa impellentium, & ferientium, tum a diverſa diſpoſitione ipſorum, & ſtructura oritur. Quod utrumque certum, & exploratum experientia eſt. Etenim ſi eumdem prorſus oculum diverſi lucis radii diverſis pulſionibus feriant, diverſum coloris ſenſum excitant, & efficiunt. Simili modo idem lucis radius non ipſas motiones, ipſoſque ſenſus efficit in tactu, & auribus propter earum partium viſibilem diſpoſitionem diverſam.

136. Ex his ergo facile quiſque intelligit, in quavis ſenſione tria minimum in homine eſſe oportere, externum ſcilicet corpus, quod organa impellat, & agitationem deinde, & commotionem quamdam ex illa impulſione oriundam, qua fit, & efformatur imago corporea objecti, eaque ipſum ſiſtit animo, & in Homine deinde actionem ipſius animi, qua has motiones corporeas perſentiſcit. Imago itaque corporea, ſi vehementior, & vividior fuerit, debiliorem in eodem ſenſu excitatam motionem imminuit, atque adeo prorſus extinguit: id quod experimentis quotidianis edocemur. Etenim ſi obtutum oculorum in cadentes nives defixum in corpora deinde obſcuriora defigamus, ea vix cernimus, fragorque tubarum, & ſonus vehemens hominum voces abſorbet, eaſque exaudire non ſinit.

137. Similiter ſi ejuſdem generis ſenſus vehementiores in nobis concitamus, priorum perceptionum conſcientiam, & intenſionem depellimus; qui ſenſus minime in noſtra poteſtate ſunt. Cum enim radii ſolis recta in oculum ſubeunt, & retinam commoveant, certe in noſtra poteſtate non eſt,

vi-

videre, aut non videre propoſita objecta, id quod etiam in aliis ſenſibus experimur; quare ſimplices rerum corporearum perceptiones ne liberæ quidem nobis ſunt; itaque etiam poſito alio principio mirum in modum efficaci, & ad motum inducendum idoneo. Cum igitur dicimus, has, & ſimiles ſenſiones ex noſtra pendere voluntate, & arbitrio, id ſolum volumus, poſſe nos ſenſionem vehementiorem efficere, ac rerum externarum in organa efficacitatem, & motum impedire.

138. Sed ne illud quidem in noſtra poteſtate eſt, ut ſenſio ſcilicet, & imago objecti hujus potius generis ſit, quam alterius. Neque enim effici poteſt, ut ab oculis ſonus, odor ab auribus percipiatur, & ut ſano palato acetum vini generoſi inſtar arrideat, nec inconditus fragor argutum, & numeroſum concentum referat. Ex quo efficitur, motionibus organi ſenſus naturam, & genus, & virtutem, atque efficaciam totam reſpondere, ipſarumque ope explicari poſſe, atque adeo prorſus oportere. Hæc autem organa per nerveolos quoſdam ad cerebrum uſque propagantur, ut innumeris experimentis compertum eſt; motiones vero, ſive ſenſiones, ſi in organis tantum conſiſtant, *ſpecies impreſſæ* audiunt; ſi vero ad cerebrum deferantur, *ideæ ſed materiales*, nominantur & ſunt veluti rerum corporearum imagines.

139. Altera Hominis facultas eſt imaginandi vis, qua res eas, quas nos aliquando ſenſu percepimus, tamquam præſentes contemplamur. Vis igitur hæc, ſive potentia mentis *facultas imaginandi* dicitur, quæ in Homine duplicis eſt generis, eaque ex diverſis principiis oritur. Cum enim Homo principio mirum efficaci conſtet; nihil mirum eſt, quod animum in unam potius, quam alteram motionem intendat, eamque inſtauret, & quaſi de novo percipiat. Quare animus vi imaginandi pollet; quæ tota vis, tum in animi vi, & efficacitate, tum in conſervatione ſive motus, ſive diſpoſitionis, & aptitudinis cujuſdam ſita eſſe debet, quæ rerum perceptionibus, & imaginibus comparatur. Sed quamvis Homo hoc principio careret; nihilque ſane perciperet, nec niſi motionibus corporeis ageretur, quibus omnes ipſius operationes, & motus accuratiſſime reſponderent,

rent, eaſque inſtaurare vi propria, & reproducere nullo modo poſſet; nihilominus, id quod ſedulo inculcandum, & plane perpendendum eſt, haberet imaginandi vim, quam propterea in Hominibus, & brutis animantibus communem experimur, illo certiſſime principio deſtitutis. Hæc itaque potentia, ſive vis imaginandi, prout mere ea corporea eſt, & ab animo plane diverſa, numquam obtinebitur ſine quadam machinæ mutatione, quæcumque tandem cauſa fuerit; vi cujus fiat, ut hæc imago potius, ſive idea, quam alia reproducatur, & inſtauretur, quæque penitus abraſa, & obliterata videbatur.

140. Ergo aliqua in corpore mutatio, & quidam motus neceſſarius erit, ex quo tamquam vera cauſa efficienti, & principio fiat, ut prius habitæ motiones denuo excitentur, & inſtaurentur; ipſe autem reproductus motus, & inſtaurata imago *imaginatio*, & phantaſia, res autem imaginatione refiƈta, & veluti denuo creata, & expreſſa phantaſma nuncupatur. Ex quo intelligitur, nihil Hominem imaginatione refingere, cujus prius perceptionem, ſive notionem non habuerit, ſive ea notio mediis quaſi organis, vel ſine ipſorum adminiculo, quaſi quodam inſtrumento comparata fuerit; quæ omnia ex ſe perſpicua, & clara ſunt. Quæ cum ita ſint, hæc deducito corollaria.

141. *Coroll.* 1. Quando clarius, aut crebrius, aut recentius denique rem quampiam accepimus, tanto facilius rem ipſam abſentem mente adumbramus. Ipſa namque loquitur experientia, nos nullo negotio rem quamlibet nobis repræſentare, ſi eam minutim, ſi clare, ſi ſæpe, ſi diu, ſi nuper admodum contemplati ſuetimus. Quod ſi pirum ſæpe dumtaxat, idque multum ante tempus deguſtaveris, magnam in renovando ſapore difficultatem ſenties. Quapropter eo vividior, & fortior imaginandi vis erit, ſi cætera omnia paria reddantur, quo magis ſenſus externi a ſuis motionibus, & officiis conquieſcant. Ita fit, ut in ſomno multo vivaciores imagines confingantur. Atque hanc quidem ob cauſam, ſi quid cogitatione paulo accuratius, & diligentius diſcutiendum eſt, tenebras, & ſolitudinem conſeƈtamur. Cur autem ex innumeris ſenſionibus rerum jam per-

perceptarum aliæ præ aliis redeant in animum, ac veluti redintegrentur, cauſa quædam, & ratio ſufficiens eſſe debet. Namque experimur, notione altera recurrente, alias plerumque conſectari, quæ vel ſimilitudine quadam inter ſe conveniunt, vel quæ eodem tempore animo obverſatæ fuerint. Ratio itaque tota ſufficiens vel in idearum ſimilitudine, vel in ipſarum conjunctione ſita ſit, oportet. Ex quibus duabus rebus veluti totidem fontibus omnis idearum conſociatio, & conjunctio promanat, ut, altera recurrente, cæteræ quoque excitentur.

142. Hæc autem ordinata idearum recurſio lex imaginationis merito dicitur, juxta quam & hominum, & brutorum imaginationes communiter peraguntur: quamquam id perfectius in homine, quam in belluis perficiatur, ex duplici, quo conſtat principio. Et de hominibus quidem vix dubitare poſſumus, qui idcirco ſigna quædam, nodum puta, in veſtibus adhibere ſolent, ut eorum quaſi admonitione imaginatio excitetur. Sed neque in beſtiis id licet dubitare. Namque ideo canis fuſte oſtentata fugit, quia ipſius aſpectu inflictorum verberum ideæ recurrunt.

143. *Corollar.* 2. Sæpe in noſtra poteſtate non eſſe, has imaginationes efformare; poſſe tamen nos motiones illas impedire, ex quibus imaginationes enaſcuntur. Et quoniam imaginatio ex prævia quadam plerumque notione pendet, qua excitata, alia eidem ſimilis excitari oportet, cum denique imaginandi facultas rerum formas, & quaſi effigies refingit, & denuo inſtaurat, cum aliqua adeſt idea, cui cæteræ conſociatæ ſint. Hæc autem idea, quæ phantaſma veluti eſt, & cæterarum principium, & origo, non imaginatione, ſed vel motione quadam, vel impreſſione cujuſdam ideæ efficitur, quæ in cerebro, ſi corporea ſit, aut in animo, ſi prorſus ſpiritualis habeatur, infixa fuit, & quoquomodo permanſit.

144. Cum itaque harum rerum ſenſiones, cum ipſarum cognitione redeunt, vel ſaltem certa lege, & ordine redeunt, tum quidem nos evigilare dicimur. Quod ſi motiones hujuſmodi, & rerum imagines nec claræ, nec vividæ ſint, eorumque, quæ intra nos geruntur, conſcientia deſtituamur,

mur,

Digitized by Google

mur; multoque magis ſi nulla certa lege, & ordine recurrant, tum vero dormimus. Sapienter igitur Tullius lib. 9. de Finibus cap. 10. " Somnus aufert ſenſus, actionemque „ tollit omnem; at cum non raro res abſentes, quas vigi- „ lantes ſenſibus accepimus, iterum in ſomno ſentire vi- „ deamur, tum quidem ſomniare dicimur; imagines enim „ illas rerum, quæ ſine ſenſuum ope, in nobis oriuntur, „ ſomnia appellamus. "

145. Somnium itaque omne a motione aliqua, & ſenſu proficiſci neceſſario debet. Verumtamen admodum difficile eſt, motionem illam, quæ ſomniandi occaſio, ſive cauſa fuit, a phantaſmatis diſtinguere, & vero internoſcere; eſt enim ea admodum imbicilla: ſecus enim non ſomnio, ſed vigiliæ dediſſet initium. Interdum tamen fit, ut ſomno explicati, & excuſſi ipſius recordemur. Quod ſi intra ſomnium nova quævis motio ita animum affecerit, ut ab illa phantaſmatum, ſive rerum imaginum ſerie, quæ ſomnium efficiunt, parum, vel non multum declinet; ea actone accedente fit, ut imaginandi vis continuo ideas cum illa motione nexas, & conſociatas refingat. Atque hinc nova oritur phantaſmatum, ſive idolorum ſeries, quæ quia cum altera copulatur, novam veluti rerum ſeriem ex duabus efformat, quod ſomnium vocatur compoſitum.

146. Ex quibus jam intelligitur, cur res, quæ longiſſime abſunt, a ſomniantibus tamquam præſentes videantur. Motiones enim illæ, a quibus ſomniandi initium ducitur, admodum ſunt imbeccilles, nec a ſpeciebus phantaſticis facile internoſcuntur, quibus objecta ad animum deferuntur, & efformatur imago corporea. Quo fit, ut res omnes in ſomno tamquam præſentes videamus. Etenim cum phantaſia res omnes menti exhibeat, ac ſi revera præſentes forent; illud omnino conſequitur totum ſomnii, vigiliæque diſcrimen ex intenſione ſolummodo motus in organis corporeis repetendum eſſe, quo objectorum imagines vel depinguntur, vel inſtaurantur; qui ſe hujuſmodi fuerit, ut nullam ſenſibilem rationem ad phantaſiam, ſive imaginationem, habeat: certe res omnes pro præſentibus habebuntur, quia ſenſificæ motiones ejuſdem generis ſunt, & prorſus æquales,

les, id quod in ſomnio evenire debet, quia vix illarum meminiſſe poſſumus. Sin motiones ſenſificæ ſenſibilem, & datam rationem ad phantaſmata habuerint, quibus objecta menti præſentia fiunt, atque ita intenſiores, aut remiſſiores, ut earum animus meminerit, omnemque differentiam agnoſcat, vel ſaltem non ipſam inducat in cerebro commotionem, tum res præſentes ab aliis diſtinguimus. Ex quo palam, & perſpicuum eſt, ſomnii, & vigiliæ diſcrimen ex ſenſifica ſolum motione repetendum eſſe, ex qua objectorom imagines inſtaurantur; id quod non minus in belluis, quam in Hominibus experimur.

147. Atque hinc tota ratio fluit, cur amentes, & furioſi Homines res illas, quæ nullibi ſunt, aut quæ longiſſime abſunt, tamquam præſentes intueantur. Motiones namque ſenſificæ tantam in eorum cerebro acquirunt velocitatem, claritudinem, & intenſionem, quantam corporum præſentium actiones, & motiones inducunt. Quo fit, ut res omnes tamquam præſentes habeantur, cum ſenſificarum motionum omne diſcrimen auferatur; quæmadmodum in ſomnio, & furioſis, & amentibus Hominibus videre eſt. Quod ſi phantaſmatum claritas, & concitatus ille motus, qui in phantaſia oritur, rerum præſentium actione, paulatim decreſcat, eorum memoria ſubito evaneſcit, ut ſomnio ſomnus profundiſſimus plerumque ſuccedat. Quo cum excitamur, ſenſiones iterum claræ renaſcuntur, quibus proinde phantaſmata debilitantur, & diſtinguere propterea, & ſeparare alia ab aliis poſſumus, & de eorum intenſione, & claritudine judicare, nec res idcirco abſentes ut præſentes intuemur.

148. At cum rei idea antea quoquomodo perceptæ renaſcitur, illico oritur idea materialis, quæ in cerebro impreſſa fuit, eſtque veluti veſtigium quoddam perceptionis illius, quæ ab animo prius efformata, in aliqua mentis parte fuerit quoquomodo impreſſa. Similiter ſi motione quadam idea materialis inſtauretur; illico in animo redintegratur cognitio ideæ illi materiali reſpondens. Ex qno intelligimus, multo quidem perfectiorem imaginandi vim in Homine, quam in brutis animantibus inveniri: in quibus omne imaginandi principium ex mutatione quadam machi-

næ

næ ſolummodo ducitur. Verumtamen utraque vis ſic copulata eſt, & altera ſic ab altera pendens, ut ex ſola imaginandi vi ſecerni invicem, & internoſci non poſſint. Quare neceſſe eſt, ut motiones corporeæ, & imagines objectorum in aliqua cerebri parte imprimantur, & quodammodo conſerventur, ut denuo inſtaurari, & redintegrari queant. Quo autem pacto ſe res habeat, videbimus poſtea. Interea certum eſt omnium Medicorum teſtimonio, imaginandi vim cerebri morbo potiſſimum hebetari. Ex quo deducimus, non ſolum motiones corporeas inſtaurari nullo modo poſſe, ſi partium diſpoſitio, & cerebri mobilitas impediatur, aut difficilior fiat, eoque tolli, & debilitari corpoream imaginandi vim; ſed illam etiam, quam in animis concipimus imaginandi vim. Deficiente namque motione, & imagine corporea, omnis notio ab animo abeſt, & idea.

149. Huc accedit, quod cerebro tamquam inſtrumento quodam utatur animus in ſuis actionibus obeundis, aut ſaltem ſenſibilibus efficiendis. Itaque nihil mirum, quod ipſius imaginandi vis debilitetur, & obruatur quodammodo cerebri morbo, nec poſſit in eo motionem, & imaginem prius habitam reproducere.

150. Ex quibus omnibus conſequitur primo, cuivis phantaſmati, ſive rei imaginatione refictæ ſuam in cerebro ideam materialem, ſeu corpoream objecti imaginem reſpondere, illi plane ſimilem, quæ cum prævia ſenſione, & motione ſenſifica conjungebatur.

151. Secundo: vim imaginandi eodem modo hebetari, aut penitus deſtrui, & extingui, quo ipſa vis ſentiendi, quod potiſſimum in ſenibus experitur.

152. Tertio: ex diverſis hujus ideæ materialis affectionibus phantaſmatum item varietates oriri. Namque illarum diverſa velocitas diverſam in his efficit claritudinem: quæ ſi tanta foret, quanta objectis præſentibus, ac ſenſuum organa impellentibus eſſe ſolet, imaginationes ipſas a ſenſionibus ſecernere nullo modo poſſemus.

153. Quarto: quanto ſæpius idea quævis materialis excitatur, tanto major in cerebro naſcitur ad eam excitantandam facilitas. Cum enim hæ ideæ ſint cerebri quæ-

dam

dam motiones, ipſarumque conſtans, & verus effectus, quo ſæpius renoventur, eo facilius ipſæ motiones efficientur. Amplіſſima ſiquidem inductione conſtat, naturam corporis noſtri ita affectam, & conſtitutam eſſe, ut, ſæpius iteratis ejuſdem generis motibus, promptitudo quædam, ſive alacritas, & facilitas his deinceps inſtaurandis contrahatur, & habitus deinde in corpore generetur.

153. Difficultas igitur eſſe poteſt, an ideæ materiales præteritis jam noſtris ſenſionibus, vel imaginationibus reſpondentes ſint revera in cerebro, perſiſtantque veluti totidem pictæ imagines, & quaſi rerum formæ, an poteſtate ſolum? Multi quidem cerebrum tamquam idearum receptaculum, & promptuarium quoddam ſibi confingunt, in quo rerum omnium perceptarum imagines continentur. At ſumma, nec plane ſuperanda difficultas in explicando eſt, quo pacto tot, tantæque rerum formæ in tam exigua corporis portione includantur.

154. Sed neque in animo quidem idearum præteritarum quædam quaſi impreſſa, & notata veſtigia ſupereſſe credendum eſt, in quibus facilitas, & habitus ille mentis ſitus ſit. " Quid igitur, inquit, Cicero, utrum capacitatem ali-
„ quam in animo probamus eſſe, quod tamquam in aliquod
„ vas, ea, quæ meminimus, infundantur? Abſurdum id qui-
„ dem. Qui enim fundus, aut quæ talis animi figura intel-
„ ligi poteſt, aut quæ tanta capacitas? An imprimi quaſi
„ ceram animum putamus, & memoriam eſſe ſignaturam
„ rerum in mente veſtigium? Quæ poſſunt verborum, quæ
„ rerum ipſarum eſſe veſtigia? "

155. Hæc quidem fateor explicatu difficilia eſſe. At neque illud difficultate caret, quo pacto facilitas quædam ad præteritas ideas revocandas comparetur, ſi nihil omnino remaneat neque in animo, neque in cerebro. Nihilominus, ſi preſſe loqui velimus, nullam impreſſionem, aut veſtigium, aut in mente, aut in cerebro dicimus remanere, nullumque præteritarum idearum veſtigium. Ergo omnis facilitas, quam in nobis ad præteritas ideas revocandas experimur, ſita eſſe debet, vel in quadam cerebri mutatione, vel diverſa ipſius configuratione, ad motum paratiori,

id

Digitized by Google

id quod certe non evincit, quoddam perceptionum noſtrarum veſtigium ſupereſſe, eaſque in cerebro quoquomodo delitEſcere.

156. Ut enim membrorum noſtrorum facilitas, & promptitudo quædam ad motum comparatur, quin idcirco motionum præteritarum veſtigium, aut forma quævis ſuperſit; ita facilitas, habitus, & conſuetudo tam in cerebro, quam in animo generari poteſt, quin ipſæ perceptiones aut in animo, aut in cerebro deſigantur. Ejuſmodi namque perceptiones, ſive corporeæ, ſive ſpirituales fuerint, per ſeſe omnino nequeunt conſervari; langueſcunt enim, imminuta ipſarum velocitate; atque adeo continua quaſi reparatione egent, ut conſerventur; qua propterea ceſſante, interire, & extingui debent.

CAPUT VII.

De Memoria, oblivione, & reminiſcentia.

157. EX his omnibus, quæ hactenus diſſeruimus, intelligere facile quiſque poteſt, ineſſe menti facultatem quamdam ad ideas, quas aliquando concepimus, inſtaurandas, eamque in Homine, quam in brutis animantibus multo quidem perfectiorem eſſe. Illud præterea experientia compertum eſt, nos recognoſcere poſſe, ipſas omnino ideas jam habuiſſe; quæ animi facultas, quamquam imaginandi vi affinis, ipſique ſimillima ſit; tamen aliquod videtur intercedere diſcrimen. Neque enim modo præteritas ideas revocamus, quod vi imaginandi facimus, ſed illud præterea recognoſcimus, jam antea ideas illas percepiſſe. Uſu enim perſæpe venit, ut alterius ſine altero recordemur. Nam ſæpe imaginandi vis ſuſcitat ſententiam aliquam, quam in Terentio legimus, neque recordamur, eam nos in illo Poeta legiſſe. Hæc itaque animi facultas memoria dicitur: quæ, ſi preſſe loqui velimus, ſolius Hominis propria eſt, & vim exigit ad ſe movendum aptam, & idoneam, nec brutis animantibus propterea tribuenda. Per illam enim meminimus, rem ipſam jam percepiſſe, eoque

motionem aliam ab alia diſtinguimus, & ſeparamus, & aliquam rei proprietatem cognoſcimus, quæ neutiquam in imagine corporea continetur. Nihilominus memoriam ſepe confundimus cum imaginandi vi, ſive facultate redintegrandi ideas, quæ corporea eſſe poteſt, & per motum corporeum explicari; nec mirum propterea, quod aliquod in belluis memoriæ veſtigium reperiatur.

158. Sed quamquam hæc certa videantur; tamen confitendum eſt, memoriam ſæpe juvari rerum corporearum imaginibus, & aptiori machinæ diſpoſitione, eamque pendere ex imaginandi vi. Ut enim percipiendi vis, ſic & recordandi major deprehenditur, quo imagines corporeæ, & conſervantur diutius, & ſæpius inſtaurantur; ipſæque eo vividius, & intenſius, & facilius removantur, quo major alacritas, & promptitudo in cerebro ad velocitatem, & motum concipiendum invenitur. Utitur namque animus corpore tamquam inſtrumento quodam in percipiendo non minus, quam recordando corporeis imaginibus. Quo fit, ut, quemadmodum mens, ægrotante corpore, nec ſatis valente, non æque clare, & diſtincte percipiat objecta, ſic eorum ne recordetur quidem. Quare memoria eo major eſt, quo ſæpius, & diſtinctius, & recentius rem percepimus. Ut enim eo facilius ſeriem idearum in memoriam revocamus, quo clarius, & frequentius eas cognoſcimus; ita & facilius ipſarum recordamur. Hæc autem animi vis, ſive naturæ quadam felicitate, ſive adjutrice exercitatione tanta interdum eſt, ut humanam conditionem ſuperare videatur. Themiſtocles quidem, quod eſt apud Tullium, cuidam pollicenti, ſe artem ei memoriæ, quæ tum primum afferebatur, traditurum, reſpondiſſe dicitur: *oblivìſci ſe malle, quam diſcere.* Credo, quod hærerent in animo quæcumque audierat, vel viderat. Tali ingenio præditus etiam Lucullus adjunxerat illam, quam Themiſtocles ſpreverat, diſciplinam. Itaque ut literis conſignamus ea, quæ monumentis mandare volumus; ſic ille res ſculptas habebat in animo. Et ne vetera ſolum commemorem, Franciſcum Suarium tanta memoria fuiſſe a Famiano Strada ſcribitur, ut ex omnibus operibus Divi Auguſtini non ſolum loca omnia, ſed & paginam, & lineam indicare poſſet.

159.

159. Memoria igitur, ut in cerebro eſt, & propterea materialis dicitur, nec a vi imaginandi diverſa, non niſi in facultate quadam ideas materiales revocandi conſiſtit. Ipſa vero prout in mente ſita eſt, in eo potiſſimum ponitur, quod advertamus ad duas idearum ſeries, quarnm alteri nunc præſentes ſumus, non autem alteri, cui alias conſociata fuit illa idea, quam meminimus. Itaque duas idearum ſeries per memoriam inſtauramus, eaſque invicem conferimus, & diſtinguimus, & quidpiam recognoſcimus, quod in imagine corporea neutiquam continetur. Ita cum hominem, quem Romæ vidiſti, nunc in iſta Civitate recognoſcis, non modo nunc eum ſenſu percipis una cum Civitate, aliiſque adjunctis, verum etiam, quia imaginandi vi, & ipſius idea, & Civitatis item Romæ, & aliarum rerum revocatur, certum te illa idearum conjunctio reddit, hominem illum vidiſſe. Quo autem pacto hoc fiat, & an hæc recordandi facultas ſita ſit in eo, quod quædam idearum impreſſa veſtigia inhæreant animo, quorum admonitione præteritarum rerum memoriam replicemus, prorſus incertum eſt. Et michi quidem res tota perobſcura videtur, nec quidquam præter leviſſimas conjecturas afferri poſſe puto; quamquam veroſirectius exiſtimem, id quod ſupra diximus, nullum idearum veſtigium ſupereſſe, ſed animi vim, & potentiam exercitatione promptiorem effici, & paratiorem ad res præteritas iterum inſtaurandas, & recoquendas.

160. At cum ideam illam quidem multum immutatam, multumque diverſam pro eadem habemus, tum quidem memoria labimur, ut ſi in Tullio legeris, Syracuſis Archimedem humatum fuiſſe; recurratque tanti viri idea; at neque Syracuſis, ſed alibi eundem humatum ea repræſentet, memoria quidem laberis. Quod ſi ne perceptionem præteritam refingere ullo modo queas, profecto obliviſceris. Sic ſi ſententiam aliquam, lecto Horatio, revocare in animum nequeas, te oblitum ajo. Igitur oblivio ex debilitate phantaſiæ oritur. Ideo namque ideas in animo revocare non poſſumus, quia ideas conſociatas nec inſtaurare, nec revocare poſſumus, quod vitium imbecillitati phantaſiæ tribuendum eſt. Nam ideo obliviſceris, quia imaginandi vis

non ſatis, quam par eſt, ideas cum ea conſociatas, rerum ſcilicet antecedentium, & conſequentium excitat.

CAPUT VIII.

De Brutorum anima, deque ejus principio, & origine.

161. Altera ex difficillimis quæſtionibus illa eſt, quæ de anima Brutorum pertractat; in qua falſa veris ita permixta, atque confuſa ſunt, ut quid verum, probandumque ſit, quid contra falſum, & rejiciendum vix aliqua ratione aſſequi poſſe videamur. In tanta igitur rerum obſcuritate, & opinionum copia, & multitudine, ſi quidpiam afferere cupimus, quod veroſimile ſit, nec a veritate prorſus alienum, ad experientiam, quæ eſt rerum omnium naturalium magiſtra, confugiendum eſt, ut certa ab incertis, probabilia ab improbabilibus, falſa a veris prorſus ſecernantur. Ac primum quidem illud tamquam certum exiſtimo, belluas rerum quadam cognitione gaudere. Habent enim & cerebri fabricam, & omnem nervorum, & ſenſuum diſpoſitionem corporis humani conſtitutioni quam ſimillimam. Quæ omnia ad informandas rerum perceptiones apta, & idonea eſſe quis dubitet? Quid ergo impedit, quominus belluis, & brutis animantibus ea attributa communia eſſe dicamus?

162. Illud etiam experientia conſtat, ſi quotidianas ipſarum actiones in animum revocamus, Bruta nempe & ſe a rebus, quæ extra ipſa ſunt, & viciſſim a ſeipſis res omnes, & ab aliis item rebus accurate diſtinguere, & diſcriminare, & quodammodo alterum ab altero ſeparare. Quid? nonne a venatu canis arborem a lepore, Herum a peregrino optime ſecernit? Similiter & utilia, & noxia, & amica, & in feſta cognoſcit. Plura præterea Belluæ internoſcunt & voce, & ſibilo, & odore, ut hominibus ratione utentibus ea in re præſtantiores, & perfectiores eſſe videantur. Illud præterea fateamur, neceſſe eſt, belluas tum facultate imaginandi pollere, tum phantaſia, & memoria. Quare ſapienter Tullius lib. 2. de Natura Deorum. „ Dedit autem eadem

„ dem natura belluis, & ſenſum; & appetitum, ut in al-
„ tero conatum haberent ad naturales paſtus capeſcendos,
„ in altero ſecernerent peſtifera a ſalutaribus. Quin &
„ impreſſa quædam affectionum veſtigia in ipſis deprehen-
„ dimus; perſæpe enim eorum oculi ardent, tremunt ar-
„ tus, pili eriguntur, inſurgunt adverſus eos, a quibus ſe
„ lædi arbitrantur. Sed quid dicam, quantus ipſarum amor
„ in educandis, cuſtodiendiſque filiis, quos procreaverunt
„ uſque dum per ſe ipſi defendere queant? “ Hæc Cicero. Quibus rebus ſic conſtitutis, jam in explicanda Brutorum anima tres potiſſimum ſententiæ numerantur; quarum prima Peripateticorum fuit, qui brutorum animas formas quaſdam ſubſtantiales eſſe cenſuerunt, corporeas illas quidem, ſed a materia prorſus ſecretas, quæ nec crearentur, nec ex nihilo ſui gignerentur, ſed ex materia tamquam ex ſubjecto quodam, quemadmodum cæteræ qualitates accidentales corporis, efformarentur, & in eo deinceps ita reciperentur, ut ſine illo exiſtere nullo modo poſſent, nec quidem divinitus, uti Thomiſtæ voluerunt.

163. Verum hæc quidem opinio vix ab ea differre credenda eſt, quæ Brutorum animas corporeas facit. Nec enim vires formæ ſubſtantialis vires abſolutas materiæ ſuperant, nec aliquod medium inter vires materiæ, & ſpiritus reperitur. Altera vero ſententia illorum eſt, qui brutorum animam ſpiritum quemdam, ſed generis cujuſdam inferioris eſſe volunt: quam ſententiam Marchio Maffeus plurimum in Italia illuſtravit, & maximæ promovit, quamque potiſſimum recentiores Philoſophi tenent: qui nec ſatis mechanici, nec ſatis metaphyſici, meo judicio ſunt, & ſpiritus, & materiæ vires ignorant, & dum nodum ſe diſſolviſſe credunt, in graviores fortaſſe difficultates inciderunt.

164. Poſtrema denique illorum Philoſophorum opinio eſt, qui brutorum animas corporeas eſſe, nec prorſus a materia ſecretas exiſtimant: quam ſententiam inſtauravit in Hiſpania omnium primus Antonius Pereira medicus peritiſſimus in ſua *Margarita Antoniana*, quem poſtea Carteſius in Gallia imitatus fuit, atque ita illuſtravit, ut ab eo tota quæſtio nomen acceperit. Quapropter effectus omnes, & ope-

rationes, quas in belluis, mutiſque animantibus experimur, ex diverſa ſolum organorum diſpoſitione, diverſaque rerum corporearum impreſſione repetendas eſſe cenſuerunt. Hanc autem ſententiam ex veteribus Philoſophis plures tenuerant: quam tamen pene mortuam, & obliteratam Peripateticorum auctoritate (tantum enim auctoritas valuit) plurimum Antonius Pereira, & Carteſius illuſtravere, veteremque ei ſplendorem reſtituere, ut ea communi eruditorum, & Philoſophorum plauſu reciperetur, & probaretur. Sed ea eſt rerum humanarum conditio, ut diu in eodem ſtatu minime perſiſtant, & multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque, quæ nunc ſunt in honore.

165. In tanta igitur opinionum ambiguitate, & copia ad metaphyſica principia primum confugiendum erit; ut brutorum animæ natura, indoles, & efficacia definiatur; tum plane videndum, quid maxime ex omnibus brutorum operationibus conſequatur. Quare totam hanc diſputationem in duas veluti partes diſtribuo, quarum altera ex ſola ratione, altera ex effectis ducitur, & altera ex altera nectitur, & evidentiſſime comprobatur. Neque enim fieri poteſt, ut quod juſta, nec fallaci conſecutione ex mente, & ratione deducimus, id quidem obſervationibus, & effectibus adverſetur

166. Quamobrem dicimus, atque hæc quidem ſit prima noſtra propoſitio, brutorum nimirum animas ſpiritus dici, & haberi nullo modo poſſe: quæ opinio mihi prorſus certa videtur, quæque omnium fere PP. teſtimonio, & validiſſimis, & inviciſſimis argumentis, & momentis metaphyſicis demonſtratur. Quidquid enim ſpiritus eſt, id quidem & vim ex ſe movendi habet, & propria vi, nec aliena cietur, atque ex ſe, & nullo cogente, ad motum producendm impellitur. In eo namque ſpiritus a corpore differt, quemadmodum ſupra monſtratum eſt, quod materia iners ſit, & omni vi ſeſe movendi deſtituta, nec motum inducit, quem ab alio minime mutuarit. Contra autem Spiritus efficacitate pollet maxima, & motum inducit, nec motum dumtaxat ab alio acceptum in alium transfundit, ſed totum ipſe efficit; idque nullo movente, & determinante,

ſed

ſed ſe ipſum ſolum movendo, determinando, & impellendo. Quæ vis ſi brutis animantibus tribueretur; nonne ea mente, & ratione gauderent? Neque enim quidpiam aliud per mentem, & rationem intelligimus, niſi vim tantam animi, qua motus, nullo movente, & impellente, producitur, & productus extinguitur, & major, & minor efficitur arbitrio ſolum, & ipſius animi poteſtate. Et vero quod ex ſe movetur, id certe alio non indiget, ut moveatur, id poteſt percipere, quod nullius motionis corporeæ effectus ſit, idque plane cognoſcere, & intelligere, quod in nulla imagine corporea continetur. Quamobrem mentem, & rationem, & intelligentiam animorum potiſſimum ex deductione colligimus, quia deductione nimirum aliquod objectum attingitur, & ſiſtit menti, quod nullius motionis corporeæ effectus eſt, nec in quadam corporea depictum imagine continetur, ſolaque mentis actione, & motu fit ipſi præſens. Atque utinam vellem, ut quidpiam aliud eſſe dicerent mentem, & rationem, niſi vim tantam animi, qua ſui met actione, & propria vi, ſibique ingenita efficacitate objecta cognoſcat, & plane percipiat, nec per motionem corpoream attingat, nec quoquomodo percipiat. Qua ratione animus omnia objecta cognoſcit, tum ea, quæ deducit ex aliis, quæque in depicta corporea imagine minime continentur, tum ea, quæ ſolum motionibus corporeis ad ipſius ſpæram deferuntur, & fiunt ipſi quoquomodo præſentia ſui actione. Quare, niſi in terminis repugnare velimus, vel vis omnis ad ſe movendum ex ſe, & nullo cogente, aut impellente, brutis animantibus deneganda eſt, & ſpiritus profecto nullo modo erunt, eorumque animæ nihil quidpiam aliud, niſi materiæ vires ex diverſa partium figura, & modificationibus oriundæ, vel mens & ratio, & intelligentia iiſdem concedenda, & omnis propterea ad deducendum poteſtas. Sic enim alterum altero junctum, & copulatum eſt, ut ſi alterum poſueris, alterum neceſſario, & infallibiter conſequetur. Quod ſi hoc; quid ni bruta libertate gauderent? cur mereri, & demereri minime poſſent? Quidquid enim mentem, & rationem habet, & motum ex ſe generat, & intendit, & remittit; idque nullo

movente, & impellente, ſed arbitrio dumtaxat, & poteſtate, quidquid perceptiones ſuas poteſt majores, & majores efficere, eoque & propoſitam objectorum bonitatem pene in infinitum augere, vel minuere, id quidem pleniſſima pollet libertate. Eſt enim libertas poteſtas quædam ad aſpernandum, vel amplectendum objectum, & ad ſedendum vel ambulandum, & ad hunc potius motum, quam alium inducendum; idque totum vi propria, & quin ab alio agente compellatur. Ex quo etiam conficitur evidenter, mereri, & demereri eas poſſe. Qui enim potuit facere mala, & non fecit, qui ſe abſtinuit ab opere perpetrando, cum perpetrare illud potuerit; cur non ſtabilita erint bona illius in Domino, nec ei corona juſtitiæ tribuetur, quæ eſt juſta, & digna meritorum compenſatio? Atqui hæc omnia non minus abſurda, & incredibilia paradoxa ſunt, quam triangulum quatuor conſtare lateribus; eaque mens propterea refugit, nec umquam credere, nec ſibi umquam, etſi maxime cupiat, poterit ſuadere.

167. Nec vero ſi dixerint, belluarum animas ſpiritus quidem eſſe, ſed inferioris cujuſdam generis, & longe ſpiritu Hominis imperfectiores, quidpiam proficient, aut imminuent argumenti vim. Ex eo namque quod Spiritus ſint, & vi ſeſe movendi gaudeant; certe nullo movente, & impellente moveri poterunt; qui motus non aliarum cauſarum viribus, ſed ſola ipſorum poteſtate, & arbitrio perficietur: ex quo mens, & ratio, & libertas promanant, & omnis ad merendum, & demerendum capacitas, quemadmodum evincitur ex argumento. Itaque nihil mirum eſt, quod etſi hominis ſpiritus cæleſtibus ſubſtantiis longe imperfectior ſit, & alterius ordinis, & naturæ, infinitumque deinceps inter Deum, & hominem intercedat diſcrimen; tamen in illis rebus, quæ naturam ſpiritus comitantur, atque ex vi ſeſe movendi fluunt, omnino inter ſe conveniant. Quocirca & Deus, & celeſtes ſubſtantiæ, & homines rationem, libertatem, & mentem habent, totumque principium motus in ipſis continetur, ut ex ſe, nec ab alio neceſſario moveantur. Diſcrimen autem, quod iter ſpiritum, & corpus intercedit, ex diverſitate naturæ

ſolum

ſolum oritur. Et alterum quidem iners eſt, nullamque in ſe efficacitatem ad motum habet; alterum vero non iners, neque natura ſua indifferens ad motum, vel ad quietem, & ex ſe vim effectricem, & ex ſe movendi efficacitatem obtinet.

168. Quapropter ſi bruta ſpiritus ſint, cujuſcumque tandem generis, & ordinis eſſe dicantur, certe naturam Spiritus non amittent, motum ex ſe gignent, nullo movente, & impellente, & quidpiam per propriam motionem, & actionem percipient, quæ a nullo efficiatur, nec effectus corporeæ motionis habeatur. Quod ſi detur, confecta res erit, nec mente, nec ratione, nec perfectiſſima libertate bruta ſpoliari poterunt, cum omnia hæc attributa ex ſola ſpirituum notione infallibiliter conſequantur.

169. Huic autem argumento, quod evidens fortaſſe exiſtimari poſſet, ſi ex principiis dumtaxat metaphyſicis quæſtio tota definienda foret, aliud æque invictum ſuccedit argumentum ex ipſa ſpiritus natura petitum. Quidquid enim ſpiritus eſt, id quidem ſimplex; quod autem tale, id natura ſua immortale eſt, nec interire ulla ratione poteſt. Omne enim, quod ſimplex, & individuum eſt, ſecerni, & ſeparari, & diſtrahi, atque propterea interire non poteſt. Omnis ſiquidem ratio validiſſima, ex qua immortalitas noſtrorum animorum comprobatur, ex eo ſolum petita eſt, quia id omne, quod natura ſua ſimplex, & individuum eſt, ſubire mutationem non poſſit, ac propterea ne interire quidem, quin totum in nihilum abeat, & penitus deſtruatur. Atqui hæc ipſa ratio brutorum immortalitatem evinceret. Neque enim minus ipſorum, quam Hominum animi ſimplices, & individui forent. Ex quo perſpicitur, vel animos noſtros natura ſua interire oportere, vel brutorum animos in æternum ſimiliter duraturos. Quod quidem argumentum ita efficax, & ineluctabile eſt, ut ex adverſariis plures compulerit confiteri, brutorum animas natura ſua immortales eſſe, eaque ſolum de cauſa mortales fieri, quia Deus voluerit illas interire. Quæ reſponſio cum ad arbitrium plane conficta ſit (ſiquidem nullum hujuſmodi voluntatis divinæ aut in Sacris Literis, aut in SS. Patribus veſtigium repe-

reperitur) tum Concilio Lateranenſi quarto evidenter opponitur: in quo vel maxime hortantur Philoſophi, ut hominum mentes, ſive animos præ brutis vi, & natura ſua immortales eſſe demonſtrent; idque totum ratione, quod certe ineptiſſime decretum fuiſſet, niſi alterum præ altero ratione quidem demonſtrari poſſe crediſſet. Illud præterea ridiculum ponere id, quod ſi negavero, nullis neque teſtibus, neque tabulis, redargui poſſim. Quid ſi æquo jure valeam oppoſitum conſtituere? Quid ſi hoc potius, quam illud probetur? Et vero ſi brutorum anima ſpiritus ſit, & vi ſe movendi polleat, aliqua profecto ratio ſufficiens erit, ex qua voluntas Dei de belluarum animis conſervandis arguatur; quæ tamen ratio ſufficiens in materia minime reperitur: quamquam materia non minus, quam belluarum animæ natura ſua imortales evadat ſint, quemadmodum de Hominum ſpiritu demonſtravimus.

170. Ex his ergo duobus argumentis, ex quibus efficitur, ridiculum, & abſurdum eſſe evehere ad dignitatem ſpirituum belluarum animas, idque cujuſcumque tandem generis, & ordinis eſſe dicantur; illud etiam evidenter conſequitur, & corporeas illas quidem, & concretas eſſe, nec a materia, & ipſius modificationibus plane diverſas, omneſque ipſarum motus mechanicos eſſe, & per motum corporeum explicandos. Quod quidem non minus ad Catholicum, quam ad Philoſophum arbitror pertinere. Siquidem tum ex principiis Fidei, tum momentis ex ipſa ratione petitis certi ſumus Hominum animos præ Belluarum animis ſpiritus quidem ſimplices, & immortales eſſe, & vi ſeſe movendi gaudere, hiſque omnibus ornatos proprietatibus, quæ in materiam, cadere nullo modo poſſunt; ex quo evidenter conſequitur totum, ſi quod eſt, in Beſtiis activitatis principium corporeum quidem eſſe, nec materiæ configurationes, & modificationes, aut vires ſuperare. Quidquid enim ſpiritus non eſt, nec vim ex ſe movendi, & poteſtatem habet, id quidem omne iners, & indifferens ad motum, & quietem eſt, & alio indiget, a quo moveatur; id corpus, & materiam dico. Nullum quippe adeſt medium inter corpus, & ſpiritum, vel inter vim ſeſe movendi, & vim non ex ſe, ſed abalio movendi,

quem-

quemadmodum nullum medium concipimus inter ens ratione præditum, & illud, quod ratione deſtitutum eſt. Ergo ſi bruta animantia vi ſeſe movendi careant; certe dum moventur, ab alio movebuntur, & inertia prorſus, & indifferentia ad motum, & quietem erunt. Quid ni ea corporea, & concreta, & prorſus corpus? Itaque nulla ſubſtantia eſt, & ne mente quidem ea concipitur, quæ medium quaſi occupet inter ſpiritum, & materiam. Neque enim modificationes materiæ, a quibus præſertim ipſius vires ducuntur, quidpiam dicunt a materia diverſum, nec quidem creantur, nec per ſe ſubſiſtunt, ſed per motum dumtaxat, & per diverſam partium diſpoſitionem inducuntur. Quis enim ignem, calorem, & reliqua accidentia, quæ per motum, & diverſam partium diſpoſitionem generantur, & fiunt, a materia diverſa eſſe putet? Quod tum ſolum, dum regnum inutilium abſtractionum invaluit, dictum, & creditum fuit ſtultiſſime. Quapropter inter ſpiritum, & materiam nullum medium ne mente quidem, & ratione concipimus; eoque quidquid per ſe ſubſiſtit, nec per motum fit, nec ſola diverſa partium diſpoſitione, & figura generatur, aut ſpiritus, aut corpus erit. Quod ſi quidpiam ſpiritus vim, & naturam non attigerit, & tamen per ſe ſubſiſtat, nec ſola partium mutatione ſubſiſtat, id corpus dico. Ergo ſi belluarum anima, totumque mirabilium operationum principium a ſpiritu differat, nonne ex ſolis diverſis modificationibus materiæ, quæ variari, & perfici fere in infinitum poſſunt, & ex motibus externorum objectorum, illud quidem repetendum erit?

171. Quamobrem altera pars tractanda eſt; idque præſertim monſtrandum, nihil eſſe in belluis, quod ſpiritum redoleat, nihil, quod vires abſolutas materiæ, ipſiuſque impreſſiones ſuperet, nihil, quod motionis corporeæ effectus non ſit, & quod per motum corporeum explicari nequeat. Itaque brutis quidem concedimus tum ſentiendi, & imaginandi vim; tum motus quoſdam ſpontaneos motionibus, & imaginibus corporeis accuratiſſime & neceſſario reſpondentes: quæ tamen vires, etſi vim percipiendi imitari quodammodo videantur, certe nihil aliud ſunt, aut fingi poſſunt niſi

quæ-

quædam modificationes materiæ per motum, & corporum impreſſionem effectæ, eorumque veræ imagines; aptæ tamen, & mirum idoneæ ad ipſos motus inducendos, quos ipſæ animi motiones inducerent. Similes namque ſunt, ipſumque objectum referunt, neque alia re differunt, niſi principio, & ratione, & temporis diverſitate, quo fiunt, quemadmodum ſupra monſtratum eſt; nec mirum propterea, quod ambæ a Lockio permixtæ, & copulatæ, nec interpoſitum fuerit aliquod inter ipſas diſcrimen. Et vero res ejuſmodi erat, ut diſcrimen totum internoſci non poſſet ex ſolis animi, corporiſque motionibus. Quare ſi in Brutis Lockii opinionem teneamus, nec quidpiam bruta niſi res corporeas, & concretas percipiant, eaſque ſolum per motiones, & imagines corporeas percipiant, ſenſuſque omnis belluarum motionis corporeæ effectus ſit; num quidpiam ex hujuſmodi perceptionibus evinci poterit, quod vim materiæ, & poteſtatem ſuperet? Itaque Bruta veræ ſentiunt, & percipiunt objecta corporea; ſed ita ſentiunt, & percipiunt, ut motionibus ſolum corporeis pervellantur, & afficiantur, quemadmodum in Lockii opinione animus: res alias ab aliis diſtingunt, & ſeparant; at per diverſam ſolummodo impreſſionem, ſola motione corporea effectam, & per diverſam objectorum, imaginem: rerum ſingularium cognitionem obtinent; at nullam claram, & diſtinctam ipſarum ideam, & notionem habent: motus quoſdam in ipſis ſpontaneos, & voluntarios, nec eoſdem conſtantes, & invariabiles obſervamus; qui tamen veri effectus ſunt illarum imaginum, quæ in ipſorum phantaſia ſenſuum motionibus excitantur, ipſiſque reſpondent accuratiſſime: quæ omnia ejus generis ſunt, ut vires, & modificationes materiæ non excedant, nec apta partium diſpoſitione, & figura explicari quæant.

172. At bruta mente, & ratione carent, quæ ſola claritudine, & diſtinctione idearum obtinetur, & aliarum ex aliis deductionibus ſolummodo demonſtratur: ideis abſtractis deſtituuntur, quæ & perceptione notarum diſtinctarum, & neceſſitate veritatis metaphyſicæ notæ fiunt, ex quibus dumtaxat rebus, quia motiones corporeæ illæ quidem incapa-

pa-

paces ſunt, nec ipſius effectus dici, & haberi poſſunt, ſpiritus natura, & principium illud ſumme efficax ad producendum ex ſe motum, quem ab alio neutiquam mutuatit, demonſtrari poteſt. Itaque bruta etſi ſonos quoſdam externos ad quaſdam idearum, ſive motionum affectiones conjungere ſoleant, ſermone tamen deſtituuntur, quo profecto uterentur, ſi res illas, quarum nomina proferenda ſunt, re vera diſtinguere, & ſeparare; non autem ſola motionum, & imaginum varietate poſſent; ſi ipſarum rerum ſimilitudines, proprietates; genera pervidèrent, quorum explicatione ſermo totus continetur; idque potiſſimum cum belluarum plurimæ, & organa habeant aptiſſima, inter Hominum deinde colloquia adoleſcant, & continuo verſentur, videantque res ipſas, quarum nomina audiunt frequentiſſime.

173. At multo ſecus ſe res habet in Homine, qui non ſolum ut bruta res ſingulares ſentit, & percipit, & vi imaginandi pollet; verum etiam ex rei ſingolaris perceptione, & ipſius cum aliis rebus nexum, ſimilitudines, & diſſimilitudines percipit, aptam partium diſpoſitionem videt, res alias ex aliis nectit, & deducit, & principia maxime communia, & univerſalia demonſtrat. Quæ omnes operationes, cum motionis corporeæ effectus eſſe minime queant, nec in imagine corporea contineantur, recta, & neceſſaria conſecutione concludimus, Homini quidpiam ineſſe excellens, divinum, & infinitæ virtutis capax; quo & videat id, & per propriam actionem, nec ab alio effectam, & mutuatam videat, quod & a nullo efficitur, & quod modificationibus, & corporeis impreſſionibus exhiberi nequeat, & quod vires abſolutas, omnemque materiæ poteſtatem excedat. Quare Homo non ſolum, ut bruta motionum, & immaginum corporearum diverſis impreſſionibus, diverſaque ipſarum claritudine, & intenſione, diverſoque motu res diſtinguit, & alias ab aliis ſeparat; ſed id totum etiam fit ob ſui actionem, & vim, ut & omnem motionum diverſitatem comprehendat, reſque omnes ipſarum comparatione, & diſſimilitudine ſeperat, & diſtinguat. Quarum operationum aliæ, quia effectus veri ſunt motionis corporeæ, & per motum quidem corporeum explicari poſſunt, Hominibus,

&

& brutis animantibus communes ſunt; quia vero aliæ motus corporei incapaces ſunt, nec imaginibus corporeis continentur Hominem ſolum ſpectant, ipſique ſunt ſolummodo tribuendæ. Itaque diximus, duplicem vim in Homine ſentiendi, & imaginandi diſtinguendam eſſe, quamquam diſcrimen illud, quod inter utramque facultatem intercedit, ex ſolis perceptionibus, id quod ſæpius diximus, demonſtrari nullo modo poteſt. Siquidem diverſitas temporis, id quod ſedulo conſiderandum, & plane perpendendum duco, qua ille actiones, & imagines informantur, ex qua ſolum duci poteſt principiorum diſſimilitudo, omniſque rationis in agendo varietas ex ſola vi percipiendi, & diſcernendi quodammodo objecta neutiquam comprobatur. Itaque ex aliis operationibus concludendum erit, an Homines, & bruta per propriam vim, & actionem ſentiant, & percipiant objecta, an ſolummodo motionibus corporeis, & imaginibus eadem percipiant, & ſentiant; id quod evinci poteſt in Homine; in brutis vero non poteſt.

174. Quapropter etſi bruta animantia veram rerum corporearum obtineant cognitionem, eaſque alias ab aliis diſcriminent, & ſecernant, & vi præterea imaginandi polleant, qua una, vel plures ſimul imagines inſtaurentur, nec omnes eamdem intenſionem poſſideant; atque hujuſmodi deinceps operationibus quidem interni motus, appetitiones, & inclinationes, & ſpontaneæ, & diverſæ voluntates conſequantur; ab Adverſariis profecto evincendum eſt, hoc totum nec per diverſam partium modificationem, diverſamque motionem externorum organorum fieri, nec per motum explicari potuiſſe, eoque temporis momento hæc omnia fieri debuiſſe. Quod ſi evicerint, & demonſtrarint, tum belluarum animos Spiritus intelligentes evincam; tum mente, & ratione uti; tum liberos, & meriti, & demeriti capaces demonſtrabo; tum non ſolum ſimplices, & natura ſua immortales; verum etiam eos ſine fine victuros. Quidquid enim percipit, & cognoſcit, id quod motionis corporeæ effectus non eſt, & ſuperat omnes materiæ vires; quidquid motum ex ſe producit, nullo movente, & motum auget, & diverſos, & contrarios motus inducit, idque totum arbitrio, & poteſtate,

&

& nulla neceſſitate, aut externa cauſa actum, & impulſum; id quidem & intelligit, & mentem, & rationem habet; id liberum, & meriti, & demeriti capax eſt, idque præterea in ævum permanſurum conſtituendum cenſeo. Atque hoc quidem cujuſcumque tandem generis, & ordinis brutorum animæ eſſe dicantur. Siquidem omnia hæc attributa ex vi ſola ſeſe movendi promanant, & ex facultate percipiendi id, quod nullius motionis corporeæ effectus eſt, nec in motione corporea continetur, nec per ipſam motionem, ſed per ſolam animi actionem, & motum percipitur.

175. Nam ſi quæ eſt inter ſpiritus differentia, tota profecto ex eo ſolummodo petenda erit, ut alius alio plures ejuſdem rei ſimilitudines, & relationes, & plures relationum terminos pervideat: quo & majorem acquirat idearum copiam, & acutius videat, & perfectius intelligat, & perfectiorem libertatem aſſequatur; ut qui omnes comprehenderit, & penetrarit, hunc ſpiritum perfectiſſimum, hunc Deum potentiſſimum, & ſapientiſſimum confitebor.

176. Quamobrem mihi quidem certum, & evidens eſt, bruta ſolum per motionem corpoream, & imaginem corpoream objecta percipere; eaque per diverſitatem harum motionum diſcriminare, & ſeparare, ipſaſque denuo motiones inſtaurare, & reproducere poſſe, rerumque quodammodo recordari, nullumque propterea ex hujuſmodi operationibus, quamquam maximum hoc eſt, & unum Adverſariorum fundamentum, ſatis efficax argumentum peti poſſe, ex quo justa conſecutione concludatur, brutorum animas non concretas, & corporeas, ſed ſpiritus certe fore, ipſorumque operationes vires pene infinitas materiæ, & variabiles in infinitum ipſius modificationes excedere, & prorſus ſuperare. Itaque nihil mirum eſt, quod ſimiles, & ſemper fere eædem in unaquaque belluarum ſpecie operationes obſerventur, quod & ipſius fere perfectionis capaces deprehendantur, quod unius ſpeciei operationes vix ab alia proxime ſequenti ſpecie different, ut ſeries non minus in operationibus, quam in machinæ perfectione inſtitui poſſit, ut in illis perfectiores motiones obſervemus, quarum machina

per-

perfectior eſt, magiſque ad Hominis machinæ perfectionem accedit, quemadmodum a d-Buſon oſtenditur. Quod quidem nullo modo accideret, ſi brutorum anima, aut ſpiritus, aut quidpiam huic ſimile, & ſumma efficacitate præditum eſſe diceremus, aut operationes ipſorum ex diverſa partium conſtitutione, & motu organorum nullo modo penderent, neque ab ipſis motus miri illi quidem, & ſingulares orirentur, quos quotidie in belluis experimur. Ita Homo quamvis alius alio vix machinæ conſtitutione differat; at mente, & ratione pene in infinitum differt, ut alius alio & acutius videat, & perfectius cogitet, & fortius deducat, & intelligat, & ſacatior propterea, & prudentior evadat, & alius, non autem alius fere in infinitum perficiatur.

177. Audiamus itaque Tullium hoc totum diſcrimen declarantem, quod inter Hominem, & bruta reperitur. "Homines autem, inquit, etſi aliis multis, tamen hoc a beſtiis plurimum differunt, quod rationem habeant a natura datam, mentemque alacrem, & vigentem, celeremque, multa ſimul cogitantem, &, ut ita dicam, ſagacem, quæ & cauſas rerum, & conſecutiones videat, & ſimilitudines transferat, & disjuncta conjungat, & cum præſentibus futura copulet, omnemque complectatur vitæ conſequentis ſtatum." Tamen ineſſe brutis fatemur veſtigium quoddam, ut ita dicam, rationis. Duas namque, aut plures ſimul, aut quaſi ſimul ſenſiones habere poſſunt; quarum altera redeunte altera ſimiliter redeat; quarum ope fit, & ſatis intelligitur, cur hic motus potius, quam alter ſequatur, & alia ab aliis quoquomodo diſtinguere, & ſecernere videantur. Ex quo tota ratio, quæ in belluis reperitur, petenda eſt.

178. Hactenus perfectiores illas operationes contemplati ſumus, quas in perfectioribus Brutis experimur, & in quibus aliquod mentis, & rationis veſtigium invenitur; nihilque ſane ex ipſis concludendum evicimus, quod mentem, & rationem redoleat, & illam infinitam vim, & efficacitatem ſe movendi, qua ſpiritus dumtaxat a materia ſecernitur, omniſque ipſorum perfectio ducitur, & poteſtas. Quid vero de his brutis ſentiendum erit, in quibus nullum

illa-

illarum operationum veſtigium eſt, quibus propterea animum ſumma ſubornatum efficacitate concedere tam refugit animus, quam plantis, quam arboribus. Nihilominus ab una ſpecie ad alteram progrediendo, aptiſſime efficitur, vel omnes in quavis belluarum ſpecie operationes explicari poſſe mechanice, vel in nulla, cum unius ſpeciei operationes vix ab alia proxime ſequenti differant, quemadmodum a d' Buſon notatum vidimus. Et vero nonnullarum belluarum anima dividi quoquomodo, & diſcerpi poteſt; quod autem dividitur, & diſtrahitur corpus eſt: quid igitur ſupereſt, niſi belluarum animas corporeas, & concretas eſſe dicamus? Si enim unius animantis anima corporea ſit, cur non omnium animæ? Similes enim effectus, & motum quemdam, ut ita dicam ab intrinſeco, in omnibus animantibus experimur. Atqui certum eſt, hujus generis plures brutorum animas inveniri; viperæ enim, ſerpentes, & id genus alia reptilia plura ſi in duas, vel plures partes ſecentur, ambæ non moventur modo, & motus plane contrarios efficiunt, ſed appetitæ etiam, ſenſum quemdam doloris, ſubita contractione, oſtendunt. Hoc autem firmatur, & luculentius oſtenditur ex polyporum obſervationibus, quorum membra disjecta, & prorſus disjuncta vivere conſpicuntur; neque id ſolum, ſed novi deinceps polypi ex ipſis membris generantur. Quod quidem intelligi nulla ratione poteſt, niſi polyporum anima, & principium totum motus ex ipſa partium conſtitutione originem ducat, ab eaque neceſſario oriatur.

179. Nihilominus hæc, & ſimilia minime efficiunt, dicunt Adverſarii, brutorum animas poſſe dividi, & diſtrahi, & quoquomodo ſeparari. Qui enim in reciſis membris ſervatur motus a tenuiſſimo fluido per nervos adhuc commeante, prioreſque incitationes diutiſſime conſervante proficiſcitur. Hæc illi: ex quibus tamen evincitur quam evidentiſſime, motus etiam omnes, qui in his beſtiolis deprehenduntur, ex tenuiſſimis humoribus, & apta organorum diſpoſitione proficiſci poſſe. Si enim cum machina læſa eſt, & invicem partes disjunctæ, nec aptitudo eadem, nec eadem ipſarum partium diſpoſitio perſeverat, ſimiles nihilominus

prioribus motus, & operationes efficiuntur; atque hoc quidem ſine ullo animæ incorporeæ ſubſidio; quanto magis ipſi efficientur motus, cum machina perfecta omnino erit, cum omnes partes aptiſſime diſpoſitæ ſunt, & cohærent invicem, & omnes concurrunt ad illos motus efficiendos, & augendos? Sed ne hæc quidem reſponſio, quamvis debilis, & nullius ponderis eſſe videatur, alterum infringit argumentum, ex polyporum obſervationibus petitum.

180. Itaque ſentiunt multi, polypum non unum, idemque animal eſſe, ſed multiplex, & varium inſtar examinis apum, aut certa ova per totum corpus diſtributa, quæ amputatione avulſa, deinde calore fota, novos gignant polypos. Atqui hæc quam leviſſima, & inania ſunt, quam nulla ratione confiċta? Si enim polypus non animal unum, ſed multiplex, & varium eſt, tot conſtabit animis, quot erunt polypi, atque adeo quot erunt partes minutiſſimæ, in quas diſſolvi, & diſtrahi poteſt. Totum igitur, quod ex his animabus coaleſceret, foret, opinor, quædam anima mirum compoſita, quæ dividi, & ſeparari poſſet: quo igitur pacto ea ſimplex, & ſpiritus, nec prorſus corporea dicenda erit? Accedit eodem, quod altera cognoſceret id, quod altera penitus ignoraret, atque adeo uno eodemque tempore diverſæ appetitiones, & motus, & contrariæ operationes obſervarentur: quibus rebus omnibus nihil poteſt dici magis ridiculum, aut ineptius cogitari, ut ea & Philoſopho non ſolum indigna ſint, ſed ne refellenda quidem eſſe videantur. Quod ſi polypus unum idemque animal ſit, id quod alii bene multi ſentiunt, & tota polyporum diverſitas, & diſſimilitudo ex ovorum multiplicitate oriatur; quo pacto tanta celeritate procreantur? Cur numquam procreantur, niſi partes diſectæ, & disjunctæ ſint? Itaque hæc omnia nugatoria ſunt, & vix credibilia. Mitto infinita alia, quæ adducere poſſem exempla, eaque eruditis relinquo. Hæc enim ſatis idonea ſunt, ut omne efficacitatis principium in belluis excludatur; plura enim perſequi inſtituti noſtri ratio non ſinit.

181. His ergo argumentis, ex quibus brutorum animas concretas illas quidem, & corporeas ſatis evidenter confeciſſe putamus, vix aliquid opponitur, quod animum ancipiti

ti cogitatione diſtrahat, & quod per motum corporeum explicari quoquo modo poſſe minime videamus. Neque enim ex eo, quod animantibus perfectioribus, tum vis ſentiendi, & imaginandi, & diſcernendi quodammodo objecta, tum memoria, & aliquod rationis veſtigium concedendum ſit, idcirco concludendum erit, id totum fieri per principium quoddam internum, & ab omni concretione materiæ ſecretum. Si quid enim noſtræ probationes valent, duplicis generis ejuſmodi facultates ſunt, quarum aliæ corporeæ habentur, nec niſi per motum corporeum explicandæ, aliæ non illæ quidem corporeæ, nec ex motionibus corporeis oriundæ, ſed aliud principium poſtulant mirum efficax, & ab omni materia ſecretum. Nihilominus utriuſque facultatis effecta, id quod perpetuo obſervandum dicimus, ne alterum ex altero temere concludatur, ſic ſimilia, & analoga ſunt, ut ex his ſolum operationibus numquam argui poſſet principiorum diverſitas. Differentia namque temporis, quo operationes fierent, & ex qua ſolum operationum, & principiorum diſcrimen ducitur, ita inſenſibilis eſt, ut nullis ea obſervationibus, aut experimentis deprehendi poſſit. Itaque ad alias operationes confugiendum erit, ex quibus quodammodo conficiatur, aliquem motum in belluis experiri, qui motionis corporeæ effectus neutiquam habeatur, nec per modificationes materiæ ille quidem explicari poſſit.

182. Ad hoc autem evincendum plurima ab Adverſariis congeruntur exempla ex operationibus belluarum petita, quæ vix, aut ne vix quidem explicari poſſunt mechanice. Et primo quidem ſi jacenti cani corpus quoddam oſtendas, quod panis ſimilitudinem referat, ſurget, accedet, naribus explorabit; fraude autem animadverſa, iterum recumbet. Idem forte iterum, & tertio faciet. At non ſe deinceps movebit loco, etiamſi idem ipſi corpus oſtendas. Jam ſi canis non motu quodam ſpontaneo, & prorſus intrinſeco ageretur, unde fieret, ut & ſemel, atque iterum excitaretur ad motum; non autem poſtea? Eædem namque hic cauſæ externæ ſunt, & adjuncta omnia æque ponuntur. Cur non ergo eventus idem? Quid quod ſumma pernicitate actæ

belluæ repente ſiſtunt, ſi vel audierint, vel viderint, vel olfecerint quidpiam? Unde tanta vis extrinſecus oblata, quæ tam violentos impetus ſubito cohibeat, vel alio detorqueat? Cur fere tenui ſæpe ſibilo, aut umbra objecta, a motu prohibeantur? Cur foſſa paulo latior equi currentis velocitatem impedit, non item anguſtior? Hæc & alia id genus plura Adverſarii.

183. Atqui his, vel ſimilibus argumentis quid evinci velint; ego vero non video. Si enim hæc, & alia bene multa, quæ afferri poſſunt, exempla, per motum nequeant exlicari, hoc eſt per diverſum rerum externarum impulſum, aptamque organorum diſpoſitionem, nec per varias, & multiplices rerum corporearum imagines, quæ in eorum phantaſia excitari poſſunt; ineſſe certe brutis intelligendi vim, fateamur neceſſe erit, qua non ſolum res externas, ſed harum item rerum ſimilitudines, relationes, & proprietates percipiant. Quod ſi hoc; ne mente quidem, nec libertate carebunt. Siquidem mens, ratio, & libertas in eo ſitæ ſunt, quod quiſque ſimilitudines, & relationes, quas res invicem habent, agnoſcat, quod proprietates animadvertat, quibus res utiles, delectabiles, noxiæ, & innoxiæ apparere poſſunt, & quod motum ex ſe nullo movente, & impellente producat; idque totum vi propria ſentiat, & ſui actione, & motione percipiat. Atqui hoc abſurdum, & ridiculum eſt, naturæque brutorum ſine dubio repugnans. Neque enim his ſimiles operationes in brutis experimur; neque illud præterea plerique ex adverſariis volunt. Quid igitur ſupereſt, niſi fateamur, effecta omnia, quamvis eximia quidem, & ſingularia ea eſſe dicamus, ex intima ſolum machinæ conſtitutione, & rerum externarum impulſione neceſſario proficiſci? Et ut ad ea tandem, quæ propoſita ſunt, experimenta reſpondeamus; ecquis eſt, qui non videat, aliquid ſemper externum adeſſe, & prorſus ſenſibile, ex quo operationum omnis diverſitas, & varietas arguatur: id quod in exemplo canis vel maxime perſpicimus?

184. Nam primo canis oblata ſpecie panis aſſurgit, quia corpus illud panis veri ideam in cerebro, aut alia corporis parte impreſſam excitat. Deluſus autem, hujus quoque

per

perceptionis idea figitur iterum in cerebro. Quo fit, ut ſi deinceps idem, aut ſimile corpus eidem offeratur, duæ eodem tempore excitentur ideæ; & altera quidem panis veri, altera ficti; quarum illa, quæ major, & vividior fuerit, & clarior neceſſario prævalebit. Simili modo beſtiæ currentes aut repente ſiſtunt, aut de via deflectunt, ſi ſignum quoddam viderint, vel audierint, vel etiam quidpiam olfecerint, totumque propterea ex re externa propoſita, & feriente organa, & machinæ intima ſolummodo conſtitutione repetendum eſt. Belluarum namque machina ita a Deo rite diſpoſita, & perfectiſſime conſtituta fuit, ut ad rerum externarum minimas, ut ita dicam, impreſſiones, & motus, ſumma facilitate motus quidam vehementes reſpondeant, Sic enim nonnullæ corporis noſtri partes, quemadmodum ex obſervationibus anatomicis conſtat, irritabiles ſunt, tantamque vim minima vi actæ acquirunt, ut fidem omnem ſuperare videantur. Quare hujuſmodi motus non minus in perfectiſſimis animalibus, quam in viliſſimis, & imperfectiſſimis obſervare eſt, quibus certe animam incorpoream, & ſpiritualem concedere mens refugit, neque minus repugnans, & adverſum rationi videtur, quam ipſam animam tribuere arboribus, plantis, ceteriſque inanimatis rebus, in quibus etiam certarum operationum mirabilium principium quoddam internum invenitur.

185. Nihilominus confitendum eſt, nobis ſæpe aquam hærere in nonnullis effectibus explicandis, quos in belluis experimur. Quod quidem ex eo vel maxime petendum exiſtimo, quod nobis lateat tota partium conſtitutio, & actio in ipſas externorum objectorum, ex quibus illi effectus ducendi ſunt. Ex quo, ſi quiſpiam argueret, id non effici & machinæ conſtitutione, & motione quadam congruente, ſed ex principio quodam interno, & efficaci, & ad motum inducendum aptiſſimo, non ne in errorem rueret voluntarium? Quam enim multa ſunt, quæ cæteroquin a viribus mechanicis proficiſcuntur, quorum cauſas, & rationem, qua efficiuntur, ignoramus, eaſque nullimode poſſumus demonſtrare? Plenis quippe myſteriis univerſa Natura eſt, quæ perpetuo latebunt, & mentem, & ſagacitatem humanam

 ſupe-

ſuperabunt; eaque is ſolum enodare, & comprehendere poterit, qui vires, & rationes virium cognovit, qui omnia diſpoſuit mira, & ſingulari ratione, & ad finem a ſe præſtitum mirum in modum aptavit.

186. Illud vero prætereundum non eſt, quod aliquorum Philoſophorum animos oppreſſit, & imbecillitatem occupavit, machinas nempe belluarum veluti totidem perfectiſſima horologia fore conſtituenda, ſi illæ quidem interno omni principio carerent, & per motum omnes ipſarum operationes explicari poſſent. In quo ſi nihil aliud velint, quam idem eſſe in omnibus motuum, & mirabilium operationum principium, ſane ne repugnabimus quidem. Verumtamen maximum diſcrimen eſſe dicimus, ut vires aliæ ab aliis pene in infinitum differant. Infinitæ namque vires materiæ ſunt, & variabiles in infinitum ipſius modificationes, mira, & ſtupenda motuum varietas, ex quibus corporum diſſimilitudo, & diverſitas ſpecierum ducitur, quas in Univerſo deprehendimus. Tamen unum, idemque omnium principium eſt, atque in eo plane conſentiunt, ut omnia fiant mechanice, & per motum mechanicum explicentur, nec vires mechanicas ſuperent, aut excedant. Sic etſi omnes ſpiritus in eo conſentiant, ut ex ſe moveri poſſint, & quidpiam ex ſe percipere, quin vi aliena percipiant; infinitum tamen eorum diſcrimen eſt, nec omnes æque vident, ac intelligunt, nec æqua vi omnes ad ſe movendum pollent, nec ipſos poſſunt effectus inducere. Quemadmodum ergo ſpirituum omnis differentia ex eo ſolum ducenda, ut alius alio majorem, & perfectiorem, & intenſiorem vim habeat, ſic omnia univerſi corpora inter ſe ſeparantur, totumque ipſorum diſcrimen ex eo ſolum proficiſcitur, quod non omnia corpora æque apta, & æque conformata ſint, nec vires æquales obtineant, nec ipſos effectus inducant.

187. Quapropter nec plantæ, nec arbores, multoque minus belluæ, etſi omnes in operationum principio conſentiant, veluti totidem perfectiſſima horologia haberi poſſunt, nec prorſus debent, in quibus nullum, ut ita dicam, internum motum, & operationum principium invenimus, nihilque ſane deprehendimus, quod memoriæ, & phantaſiæ

vim

vim habeat, & quod vim ſentiendi, & diſcriminandi quodammodo objecta imitari videatur: quibus præſertim operationibus omnis Belluarum perfectio continetur.

188. Quæ cum ita ſint, jam evidens patet ſolutio ad alia bene multa, quæ proferri poſſunt experimenta, in quibus ſemper aliquid inerit externum, ex quo diverſitas, & multitudo operationum, & motus prorſus ab extrinſeco evincatur. At cum belluarum pleræque operationes & mirabiles ſint, & illuſtres, tum nihil mirabilius apum induſtria, quæ tantam in concinnandis ſuis cellulis adhibent dexteritatem, & induſtriam, ut quintum Euclidis librum totum didiciſſe videantur. Nihilominus imperfectiſſimæ hujus generis belluæ a d'Bufon habentur, nihilque mirum, aut ſingulare in ipſarum operationibus. Ut ut autem hoc ſit, & mira, & ſtupenda apum artefacta prædicentur; tamen ejuſmodi ſunt, ut ſolis rerum ſingularium perceptionibus, & quadam machinæ perfectiſſima conſtitutione peragantur. Hoc quidem ipſum dicito de caſtorum Republica, qui hominum ſocietatem mirabiliter imitantur. Neque enim poſſunt belluæ ideas ſuas meditatione evolvere, diverſas rationes deprehendere, modiis variis conſociare, disjungere, principia generalia deducere, ſyſtemata conſtituere, ratiocinationes contexere, cogitationeſque ſuas fere in immenſum augere. Ex quo ſolum poteſt peti diſcrimen, quod inter ſpiritum, & materiam intercedit.

189. Quocirca nulla in ipſis Dei, juris, honeſti, atque inhoneſti cognitio eſt, quæ longa ſemper, & implicata, & obſcura ratiocinatione comparatur. Quod quidem ex eo vel maxime apparet, & perſpicuum fit, quod nulla ſit apud eas inventio, artes excogitatæ nullæ, inſtituta nulla, & artefacta ſua ſimul ac in lucem editæ ſunt nullo ſtudio, labore, aut induſtria perfectiſſime callent, idque non ætate, non inſtitutione, ac propterea nulla in his rebus varietas, nullumque incrementum reperitur. Si quid ergo vel libere, vel ratione quadam agere videantur, ad id totum determinantur tum rerum externarum impulſione, tum aptitudine quadam, tum majori, vel minori machinæ conſtitutione, & pro majori motionum copia, & multitudine, quas tem-

pore fere eodem habere poſſunt. Ex his omnibus etiam evidenter apparet, quid ſit illud belluarum inſtinctum, ſive operationum omnium principium, cuique ſpeciei proprium, & plane ſingulare, quo fiat, ut ſimiles omnino actiones in unaquaque belluarum ſpecie deprehendantur. Neque enim hoc fieret, niſi res externæ eumdem in omnibus belluis ejuſdem ſpeciei motum generarent: ex quo tamquam cauſa quadam efficiente ipſarum operationes promanant, ab eoque ſine dubio repetendæ ſunt.

190. At homini præterea rationem addidit Deus, quæ tota in vi, & animi efficacitate ſita eſt, quaque non modo res objectas, aut per motum corporeum excitatas ex ſe cognoſcit, verum etiam notiones ipſas clariores, intenſiores, & vividiores efficit, plures ſcilicet ejuſdem objecti proprietates, notas, & ſimilitudines cognoſcendo. Quapropter & conſequentia cernit, & rerum cauſas videt, & ipſarum progreſſiones, & anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines alias aliis comparat, rebus præſentibus adjungit, & adnectit futuras, totumque denique vitæ curſum plane comprehendit: quæ omnia æterna hominum monumenta teſtantur, artes nempe, ſingulares ſcientiarum, & incredibiles progreſſiones, inſtituta, leges, ſocietates: quæ nec ſumma facilitate inventa, ac inſtituta fuere, nec pene una nata cum ipſo homine, ſed induſtria plurima, tempore, diligentia, & labore, & potiſſimum ſummorum hominum contentionibus, & æmulationibus.

191. Sed inſtant, & urgent: nam ſi belluarum anima, cum corporea ſit, tot mirabiles, & ſingulares effectus producere poſſet, certe nullum erit argumentum, quo hominis animum natura ſua ſpiritum, & immortalem eſſe monſtraremus. Abſurdum id quidem, & dici nullo modo poteſt. Etenim ſi quod eſſet argumentum efficax, ex quo hominis animus ſpiritus, immortalis oſtenderetur, id vel maxime petendum foret ex ipſius hominis mirabilibus operationibus, quæ certe inutiles, & inanes prorſus haberentur, nec quidpiam ex ipſis evinci poſſet, ſi brutorum ſimiles operationes non idem ipſum arguerent, & per motum ſolum corporeum explicari poſſent. Si enim Deus Optimus Maxi-

ximus brutorum machinam ita perfectiſſimam conſtituere potuit, ut quibuſdam, & minimis rerum externarum impulſionibus tot tantique motus, tot mirandi ſane, & ſingulares effectus reſponderent; cur machina multo perfectior ab eodem effici non poterit; quæ hominis omnes operationes imitetur? Quod ſi hoc, quod erit tandem argumentum, ex quo animus ſpiritus, & immortalis comprobetur?

192. Hoc autem argumentum nullius fere ponderis, & momenti eſt. Neque enim ex quibuſvis Hominis operationibus ſatis efficax argumentum peti poteſt ad evincendam ipſius naturam, & principium, ex quo ipſe vel maxime a belluis differt. Neque enim ex eo ſolum, quod Homo ſentiat, & quoquomodo ſecernat objecta, & memoriam, & vim imaginandi habeat, intelligens ipſius natura, & illa percipiendi vis demonſtrari poteſt; ſed eo dumtaxat, quod plures res tempore eodem percipiat, quod res alias ex aliis nectat, quod ſimilitudines videat, & rerum maxime abſtractarum, quæ motionibus corporeis exhiberi nullo modo poſſunt, claram, & diſtinctam cognitionem obtineat. Quarum profecto operationum in belluis nullum veſtigium eſt, nihil quod mentem, & rationem, & intelligentiam evincat, nihil denique quod fieri nullo modo poſſit mechanice, nec mechanice explicari quoquomodo poſſit. Quapropter ne divinitus quidem fieri poteſt, quemadmodum alibi demonſtravimus, ut materia cogitet, ut aliquod objectum per ſuimet vim, & actionem percipiat, quæ motionis corporeæ affectus non ſit, nec imagine corporea contineatur. Quæcumque ergo fuerit machinarum perfectio, ejuſmodi eſſe debet, ut vires ea, & modificationes pene infinitas materiæ, nullo modo ſuperet, & per motum, & aptam partium diſpoſitionem fiat, nec ipſius materiæ inertem naturam evertat. Quare etſi hominis machina multo quidem alia perfectior excogitari, & effici ſine dubio a Deo poſſit; infinitum tamen inter utrumque inerit diſcrimen, nec quidpiam in ea poterit inveniri, quod Hominis mentem ſagacem, & plura ſimul videntem, & cogitantem, & providentem, diverſoſque, & contrarios motus, iiſdem rebus omnibus perſiſtentibus, inducentem æmulari videatur.

193.

193. Verum hæc quidem hactenus de belluarum anima. At quæri hic tandem ab Eruditis ſolet; animantia ne omnia ex ovis, aut ſeminibus neceſſario, an ex putri quadam materia generari valeant? De qua re duæ ſunt Philoſophorum ſententiæ; ſed mihi quidem multo veroſimilius, & fere certum videtur, ea omnia ex ſeminibus procreari, in quibus belluarum animæ, quæ ſunt veluti principium illius determinatæ conſtitutionis machinæ, includuntur, & quodammodo continentur. Itaque nihil mirum, quod brutorum animæ corpora diverſa diverſis temporibus informare queant ad ſimilitudinem tranſmigrationis Pythagoreæ. Res tota ampliſſima inductione patet. Belluæ namque non ſolum, ſed plantæ fere omnes, quantum experimentis conſtare potuit, ex ſemine quodam gignuntur; cur igitur non omnes? Quæ enim ratio ſufficiens, ac ne probabilis quidem conjectura proferri poteſt, quæ oppoſitum evincere videatur? Nec vero quidpiam probant illa, quæ frequenter adducuntur exempla. Etſi enim ranæ æſtate, pluvio præſertim tempore, pluant, ſeu ex atmoſphæra decidant, id non impedit, quominus ex ovis, aut ſeminibus procreentur, quæ in atmoſphæra volitantia, & humido, & calore fota explicentur, & motum, & vitam accipiant. Multo autem id facilius concipitur, ſi illa animalcula neutiquam ex atmoſphæra decidant, ſed pulvere conſperſa lateant in ipſa tellure, aut ipſorum ſaltem ſemina hac, & illac diſperſa ſint, quæ, adveniente pluviæ humido, in vivum animal convertantur. Quidquid dixeris, rectum erit. Nec enim certis, & minime dubiis obſervationibus pro comperto habetur, ranas illas ex atmoſphæra decidere, & labi præcipites. Similiter animalcula quædam, vermes præſertim ex ſeminibus ubique fuſis, & ſparſis, non autem ex putri materia generantur. Sunt enim ſemina quaſi rerum principium, quod attrahendo particulas homogeneas, & expellendo etherogeneas hoc, vel illud animal, hanc potius, quam aliam arborem generare dicitur. Verum hæc ad præſentem quæſtionem ſatis.

LIBER

LIBER IV.

PROLEGOMENON

IN THEOLOGIAM.

1. CUm multa ſint, quæ a divina revelatione accepta retulimus; tum nihil, opinor, præclarius, aut utilius fortaſſe, quam quod ita mentem, & rationem humanam firmaverit, & munierit, attentionemque defixerit, eoque direxerit, quo poſſet juſta rerum principia invenire, eaque infallibiliter, & ineluctabiliter demonſtrare. Quare deſinant imperiti Philoſophi, quibus cordi vel maxime eſt Potamonicos Philoſophos imitando, divinam revelationem deprimere, & obſcurare, eamque, ſi poſſent, evertere, mentem Hominis, & rationem extollere, qua certe ſola numquam tot utiles, & neceſſarias veritates aſſequi, nec ea claritudine, & evidentia aſſequi potuiſſemus, quæ prorſus neceſſariæ erat, ad vitæ rationem recte inſtituendam. Patuit id quidem tum in omnibus fere Diſciplinis, quæ ad mores Hominnm informandos inſtitutæ ſunt, tum maxime in Theologia; quæ etſi de rebus evidentibus pertractet, & quæ lumine ſolo rationis infallibiliter conſequuntur, tamen tot, tantiſque tenebris ea obducta fuit, & tot ſuperſtitionum generibus inquinata, ut pudere debeat Philoſophiam inbecillitatis ſuæ. Quid enim minus probari poteſt, quod a Philoſophis dictum, & probatum non fuerit? Quid minus ferendum, quam quod ipſi de Deorum natura ſenſerint, & cogitarint? Siquidem Chaldeis, Heracliticis, Stoicis Deus igneus eſt, & Mundi deinceps anima. Immenſus Pythagoræis, at Mundi præterea anima, omnia alens, & informans, ab eoque animi noſtri excerpti, & prorſus abraſi. Fato quodam irreſiſtibili actus, ut ne poſſit quidem velle, quod vult, pervicaci circumfuſſus materia, & cum ea perpetuo decertans divinis illis quidem, ſi Diis placet, Platoni-

tonicis. Ipſius providentia, aut imbellis, quia fato acta ipſis Stoicis eſt, qui providentiæ vindices videri vel maxime voluerunt, aut ſublunaria non attingens, ut Ariſtoteli, aut nulla, ut Epicureis, aut cum fortuna, & caſu conjuncta, & copulata, ut Politicis, & Populo.

2. Atque hæc illi quidem Philoſophi, qui præ cæteris juſtiores, & ſapientiores habiti ſunt: qui etſi Deos eſſe dixerint, tamen, ut inquit Cicero, tanta ſunt invarietate, ac diſſenſione, ut eorum moleſtum ſit, dinumerare ſententias. Quid vero de illis exiſtimandum erit, qui multitudinem Deorum docuerunt, qui ipſorum ætates, veſtitus, ornatus deſcripſerunt; genera præterea, conjugia, cognationes, crimina, &c., omnia denique traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanæ. Nam & cupidtates eorum videmus, & iracundias, & bella, & vulnera, quemadmodum obſervare licet in Homero, Heſiodo, & reliqua Poetarum natione, quæ omnia non minus dicta, quam credita ſunt ſtultiſſime, Ex quibus tamen illud palam, & perſpicuum eſt, adeo imbeccillem, & infirmam, & cupiditatibus oppreſſam humanæ mentis aciem eſſe, ut niſi ea quodammodo fitmetur, & dirigatur vix, ac ne vix quidem ſua recte ratione uti poſſit. Sapientiſſime itaque a Deo proviſſum fuit, ut ipſe quoquomodo nobis aperiret rationis principia, quibus rite utentes recte de ipſius perfectiſſima, & numeris omnibus abſoluta natura, deque ipſius perfectionibus, & attributis ſentire, & cogitare poſſemus.

3. Quamobrem Theologia, quæ eſt diſciplina, ſive facultas de Dei natura, & divinis attributis pertractans, in duas aptiſſime partes diſtribuitur; quarum altera *naturalis*, altera *revelata* dicitur. Atque hæc quidem quia de divinis attributis, & perfectionibus agat ex ſolis principiis a divina revelatione mutuatis, plurima item demonſtret, quæ mentem, & rationem excedunt, quæque perpetuo latuiſſent, niſi Deus ipſe aperire, & patefacere mortalibus dignatus fuiſſet; illa vero quia de ipſis attributis, & perfectionibus pertractet illa, quæ ſola mentis ratione, & acumine divina tamen revelatione firmatæ, & directæ aſſequi potuerunt. Quare hæ duæ diſciplinæ mira inter ſe con-

ſen-

ſenſione junguntur, & altera altera firmatur, & roboratur. Utraque enim ipſam Naturam, quamquam non ipſis principiis ſpeculatur; nec fieri poteſt, ut invicem opponantur, nec quod ratione conſequimur, divinam revelationem contradicat. Nulla itaque in univerſa Philoſophia pars eſt, hac, de qua agimus, aut pulchrior, aut jucundior, aut quæ Hominem magis interſit, & magis ad rem noſtram pertineat.

4. Quid enim pulchrius, quam Patrem, & Terrarum Opificem contemplari? Quid utilius, quam intelligere nos a Deo ſolum pendere, & ab ipſo originem ducere, & ab eo creari, & conſervari, & perpetuis cumulari beneficiis, ipſiuſque ſola poſſeſione felices, & beatos effici? Quid magis intereſt, quam quod ipſi debeamus cognoſcere, & quem ipſi amorem, ſervitutem, obſequium, & cultum exhibendum; qui nec mancus, nec ſuperſtitioſus ſit, ſed divinæ naturæ, perfectiſſime conſentaneus. Neque enim ſi Deus incomprehenſibilis ſit, eumque invenire difficile, evulgare, impoſſibile, ut Plato dixit, & multo quidem impoſſibile ſit, invenire, quam eloqui, ut S. Gregorio Nazianzeno placuit; idcirco omnes Dei perfectiones, & attributa perpetuo latebunt, nec ea mente aſſequi, nec ratione inveſtigari poterunt. Nam quod Deus exiſtat, rerumque omnium Opifex, & Creator ſit, quod ſapientiſſimus, & ſumme providus habeatur, ratione convincimur. Quo autem pacto hæc omnia attributa Deo inſint, ipſamque naturam Divinam conſtituant; qua ratione videat, & intelligat, & res omnes efficiat, & curet, & provideat; is ſolum aſſequetur, qui perfectam, & adæquatam de Deo notionem habuerit, & Deus ſit. Ergo hæ duæ res diverſæ ſunt, nec altera ex altera concludenda. Neque enim ex eo confeceris, nos omnes proprietates, & vires corporum ignorare, omneſque phyſicas diſciplinas fallaces, & inutiles eſſe, quod perfectam corporum, & virium notionem, eorumque, quæ corporibus inſunt, neutiquam poſſideamus. Quare Deus non ita incomprenſibilis eſt, ut nullam de ipſius divinis attributis claram, & diſtinctam cognitionem, & ſcientiam habeamus. Non ita ineſabilis, ut deeſſe poſſit, quid dicatur; ſed ita

ut

ut numquam ſatis eſſe poſſit, quod dicitur; ut ſolum ipſe ſe comprehendat, & undequaque cognoſcat, & perfectiſſimam ſui ipſius cognitionem obtineat.

4. Jam theologiæ naturalis uſus maximus, & ampliſſimus eſt; quippe quæ & illorum Philoſophorum impietatem profligat, qui cum natura religionem omnem penitus ſuſtulerunt, & ab animis Hominum ſuperſtitionem delet, quæ multorum mentes oppreſſerat, & imbecillitatem occuparat, & principia ſuppeditat tum rite moribus informandis, tum inſtituendis officiis, & revelatæ Theologiæ firmiſſima præbet fundamenta, ut præclare, & graviſſime dixerit Cicero, eam & ad agnitionem animi pulcherrimam eſſe, & ad moderandam religionem neceſſariam.

5. Quid autem, & quale ſit, quod in ea potiſſimum tractari debeat, ſapienter, & graviſſime expoſuit Romanus Philoſophus Seneca in Præfatione ad naturales quæſtiones. „ Equidem, inquit, cum naturæ Conditori gratias ago; tum „ illam non ab hac parte video, quæ publica eſt, ſed in „ ſecretiora ejus intrare condiſco: quæ univerſi natura ſit, „ quis auctor, aut cuſtos, quis ſit Deus, qui totus in ſe „ contineat, an aliquando ad nos reſpiciat; faciat quotidie „ aliquid, an ſemel fecerit; pars mundi, an Mundus? Li„ ceat illi ſemper, hodieque decernere, & ex fatorum le„ ge aliquid derogare; an majeſtatis diminutio ſit, & „ confeſſio erroris mutanda feciſſe..... Niſi ad hæc admit„ terer, non fuiſſet opere prætium naſci; quid enim erat, „ cur in numero viventium poſitum eſſe gauderem? An ut „ cibos, & potiones percolarem, ut hoc corpus fluidum, „ periturumque, niſi ut ſubinde impleatur, farcirem, & vi„ verem ægri miniſter?... Quam utile exiſtimem iſta co„ gnoſcere, & rebus terminos ponere: quantum Deus poſ„ ſit; materiam ipſe ſibi efformet, an data utatur? utrum „ idea materiæ prius ſuperveniat, an materia ideæ? Deus „ quidquid vult efficiat; an in rebus multis illum tractan„ da materia deſtituat, & a magno Artifice prava formen„ tur; non quia ceſſat ars, ſed quia id, in qua exercetur, „ ſæpe inobſequens arti eſt? Hæc inſpicere, hæc diſcere, „ his incumbere: nonne tranſilire eſt mortalitatem ſuam, „ & in meliorem tranſcribi ſortem?

CA-

CAPUT I.

De exiſtentia Dei, & attributis univerſe, deque unitate præſertim, tum de Atheorum Republica.

6. CUm rerum omnium naturas inſpicio, ipſarumque perfectionem, & omne in perfectione diſcrimen animadverto, tum facile ſuadeor, a virium ſola diverſitate omnem rerum perfectionem ducendam eſſe, earumque omnem inter ſe differentiam. Nam quia materia iners ſit, nec vim quamdam habeat, quam ab alio minime mutuarit; diverſi quidem ordinis, & generis ab Spiritu habetur, qui ex ſe moveri poteſt, nec vi aliena cietur; cujus numquam propterea perfectionem attinget, imperfectioris cujuſcumque tandem ordinis, & generis eſſe ponatur, etiamſi ipſius materiæ vires omnipotentiſſima Dei omnipotentia pene in infinitum perficiantur. Sed quamquam Spirituum natura in eo ſita ſit, ut vim propriam, nec alienam habeant, qua ab uno ſtatu in alium tranſilire queant, eoque excellentior, & ſublimior eorum natura ſit, quo major vis, & poteſtas ad mutationes inducendas; certis tamen ea limitibus coercetur, nec niſi diverſos ſtatus rerum inducunt ſpiritus, & ſunt quodammodo inertes, nec tantam vim habent, ut & omnem ſibi, & aliis etiam rebus indifferentiam tollant. Quare omnino neceſſarium eſt, ut quidpiam exiſtat excellens divinum, & ſumma vi, & efficacitate præditum, quod ex ſe non ſolum moveatur, & rebus omnibus motum impertiri poſſit, & ab uno in alium ſtatum transferre; verum etiam, ut omnem in rebus indifferentiam tollat, nec iners aliqua ratione ſit, & omnem indifferentiam excludat, & ne exiſtat quidem prorſus indifferens habeatur. Quidquid autem hoc fuerit, id quidem mirum in modum efficax, id potentiſſimum, id rerum omnium Patrem, & Opificem, id Deum dico. Atque hinc illud evidenter diſcrimen repetendum eſt, quod inter res creatas, & finitas, & Deum O. M. nullis terminis, aut perfectionibus circumſcriptum intercedit. Quidquid enim aliquo modo iners eſt, & ut exiſtat plane indifferens, nec ſibi propterea tollit indiffe-

ren-

ſentiam; id finitum quidem, & certis, & definitis limitibus coercebitur, & ab alio vim omnem mutuabit, & ab alio prorſus exiſtet. Quidquid autem contra iners nullo modo concipitur, nec indifferens in aliquo ſtatu eſt, & omnem in ſe vim, & efficaciam continet; qua & diverſos rerum ſtatus inducit, & omnem ipſarum indifferentiam tollit; id quidem ſpiritus, ſimpliciſſimus, puriſſimus & perfectiſſimus erit, & ab omnì concretione materiæ, & inertia, & indifferentia non ſejunctus modo; ſed etiam Deus potentiſſimus habendus erit, nullis terminis, & limitibus definitus; cujus propterea natura, virtus, & efficacia eſt, omnem exiſtendi rationem in ſe continens, & omnem inertiam, & indifferentiam excludens, & a ſe, & per ſe prorſus exiſtens. Atque hinc intelligitur, quid ſit illud a ſe exiſtere, quod prius non ſatis clara definitione explicabatur. Nam quidquid iners non eſt; certe in eo ipſo, quod iners non ſit, non aliquam indifferentiam dicit, ſeque propria vi, & virtute movetur. Si vero quidpiam in nulla vi iners concipiatur, nec aliquam indifferentiam dicat; id profecto, ne ut exiſtat quidem, indifferens erit, omniſque ipſius natura exiſtentia erit. Atque ita quodammodo ſe ipſe definivit Deus, cum Moyſi ſciſcitanti *quis eſſet*, reſpondit: *ego ſum, qui ſum*; hoc eſt qui iners nullimode ſum, qui nullam indifferentiam contineo, nec ab alio, ſed propria vi exiſto, atque ingenita mihi quidem vi, & efficacitate producor. Ergo cum Dei natura, omniſque exiſtendi ſtatus, & ratio neceſſaria ſit, eaque ab hac rerum omnium univerſitate plane diverſa; tum quidquid eſt, aut eſſe poteſt, ab eo ſolummodo originem, & principium ducit. Nam illud ſine dubio neceſſarium in exiſtendo concipimus, in quo nullam indifferentiam deprehendimus; illudque præterea rerum omnium Effectorem conſiteri compellimur, quod ſumma, & infinita præditum efficacitate concipimus, ad omnes motus poſſibiles inducendos, tollendamque rerum omnium indifferentiam.

7. Atque hinc prima fluit invictiſſima demonſtratio, qua Dei exiſtentia evidentiſſime comprobatur; ut plumbeus in Phyſicis ſit, ac ne cogitet quidem, qui eam in dubium re-

vocari poſſe exiſtimavit. Nam quæcumque ſit vis, quæ entibus creatis concedatur, quamquam excellens, & pene divina ſit illa quidem; tamen ejuſmodi eſt, ut cum indifferentia quadam jungatur, nec omnem idcirco inertiam excludat. Siquidem nihil certius, aut evidentius, quam entia contingentia ſaltem poſſibilia eſſe, eaque exiſtere non minus, quam non exiſtere potuiſſe. Ex quo ſequitur ea inertia, & indifferentia ſaltem ad exiſtendum fuiſſe, eaque non a ſe, ſed ab alio exiſtere debuiſſe. Quidquid enim iners, & indifferens eſt, eo modo, quo iners, & indifferens eſt; id certe alio indiget, a quo omnis, ut ita dicam, ipſius inertia, & indifferentia tollatur. Ergo extiterit ens quoddam neceſſe erit mirum in modum efficax, nec aliqua ratione iners, & omnem a ſe rejiciens indifferentiam, quod & ſemper, & neceſſario extiterit, & omnium rerum inertiam vicerit, indifferentiam ſuſtulerit, atque a non exiſtendo ad exiſtendum compulerit. Quid autem hoc, niſi Deus potentiſſimus, & in exiſtendo neceſſarius? Quo certe nihil aut melius, aut potentius, aut perfectius dicere, & ne excogitare quidem poſſumus.

8. Huic autem invictiſſimæ demonſtrationi, ex principio metaphyſico petitæ, duas alias adjungimus ex Tullio, qui hanc naturalis Theologiæ partem cum ſæpe alibi, tum maxime in lib. de nat. Deorum egregie pertractat. Et primum quidem illud eſt, quod ex omnium ætatum, & populorum opinione conſentiente depromitur: quæ ipſa veritatis vox eſt, ac luculentiſſimum ipſius teſtimonium haberi debet. "
„ Quæ eſt enim, inquit, gens, aut quod genus hominum,
„ quod non habeat ſine doctrina anticipationem quamdam
„ Deorum, non inſtituto aliquo, non more, non lege conſti-
„ tutam, ſed a natura ipſa in animis omnium impreſſam, at-
„ que inſculptam? Nullus namque certe populus eſt, neque
„ tam immanſuetus, neque tam ferus, qui etſi ignoret qua-
„ lem habere Deum deceat, tamen aliquem habendum eſſe
„ non ſciat. Quod niſi a natura ipſa ingenitum haberemus,
„ non tam ſtabilis opinio permaneret, nec confirmaretur
„ diuturnitate temporis, nec una cum ſæculis, ætatibuſque
„ omnibus inveterari potuiſſet. Opinionum enim commen-
„ ta delet dies, naturæ judicia confirmat. Aa 9.

9. Et quidem de veteribus teſtes graviſſimos habemus; Platonem ſcilicet, Ariſtotelem, Ciceronem, Theodorum Siculum, Senecam, Sextum Empiricum, alioſque; quorum eſſet longum cathalogum texere. Id ipſum recentiores teſtantur, qui gentium omnium, Americæ ſcilicet, Indorum, Japonum, Sinarum hiſtoriam literis prodiderunt. Quod deinceps evincunt interni illi aculei, & quaſi titillationes animi, quibus ſcelere obligati perpetuo cruciantur. Quæ cum ita ſint, perſpicitur ſane, non ſolum Deum aliquem exiſtere prorſus oportere, verum etiam ipſius notionem per ſe claram, atque in animis noſtris inſculptam, & ingeneratam eſſe.

10. Nec vero quidpiam obſtat nonnullorum Philoſophorum impietas, qui totam de Diis immortalibus opinionem a ſapientibus hominibus Reipublicæ cauſa confictam eſſe voluerunt; ut quos ratio, & leges inſtitutæ non poſſent, eos ſaltem ad officium Religio perduceret. Neque enim res ex quorumdam furioſorum hominum libidine æſtimandæ ſunt, niſi repugnantia quæque defendere velimus. Nihil enim eſt, tam abſurdum, & ſtultum, quod non ab aliquo Philoſopho dictum videamus. Ut enim corporum, ita & ingeniorum monſtra quædam ſunt a cæterorum communi natura valde admodum diſcrepantia. Quid? ſi illi quidem Philoſophi Deos omnes de medio ſuſtulerint, quos veros nominabant; ſed populi dumtaxat Deos, ſuperſtitiones, infinitamque illam Deorum multitudinem, & copiam irriſerint, ut ſapienter Clemens Alexandrinus teſtatur?

11. Alterum Ciceronis Argumentum ex æquabilitate motus, converſione cæli ſcilicet, & Lunæ, Syderumque omnium diſtinctione, utilitate, pulchritudine, ordine, cum mira varietate conjuncto petitum eſt. Quarum rerum aſpectus ipſe per ſeſe loquitur, ea caſu minime evenire potuiſſe: " Ut ſi quis, inquit, in domum quamdam, aut in „ gymnaſium, aut in forum venerit, cum videat omnium „ rerum rationes, modum, diſciplinas, non poſſe ea ſine „ cauſa fieri judicabit; ſed eſſe aliquem, qui intelligat, qui „ præſit, & cui pareatur; multo magis in tantis motioni„ bus, tantiſque viciſſitudinibus tam multarum rerum, at-

„ que

„ que tantarum ordinibus, in quibus nihil umquam immenſa; & infinita vetuſtas mentita fuit, ſtatuat, neceſſe eſt, „ ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari: cum „ viderit ſydera innumerabilia cælo veluti inhærentia, & „ certis infixa ſedibus cum ejus ipſius motu congruere, errantia alia ſuos quæque tenere curſus, multum inter ſe „ aut altitudine, aut humilitate diſtantia, quorum vagi „ motus rara tamen, & certa ſui curſus ſpatia definiunt.... „ Cum intellexerit, illam ſtabilem ponderum conſentionem, qua inter ſe juncta permanent, & quodam quaſi „ vinculo circumdata colliguntur, id quod facit gravitas, „ quæ per omnem mundum pertinens omnia ad medium „ rapit, convertit extrema. Hæc cum animo, oculiſque „ perluſtrarit, nonne animadvertet, eſſe aliquod Numen „ præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur, vireſque perpetuis conflictionibus attritæ quodammodo inſtaurentur, „ quo omne hoc machinamentum a confuſa rerum omnium „ permixtione vindicetur? Quid, quæſo, omni hoc mundo „ aptius? quid deſcriptius? in quo nulla temeritas, ſed ordo, ſed artis quædam ſimilitudo, ſed ratis omnia curſibus moderata apparent? Quid enim poſterius priori non „ convenit? Quid ſequitur, quod non reſpondeat ſuperiori? „ Quid non ſic aliud ex alio nectitur, ut non, ſi unam literam moveris, labent omnia? Hæc omnis ſtellarum deſcriptio, ac hic tantus Cæli ornatus ex corporibus huc, „ & illuc caſu, & temere incurſantibus potuiſſe effici, ſano „ videri poteſt; quæ non modo, ut fierent, ratione eguerunt, ſed intelligi qualia ſunt ſine ſumma ratione non „ poſſunt. Sed nimirum aſſiduitate oculorum aſſueſcunt „ animi, nec admirantur, nec acquirunt rationes earum „ rerum, quas ſemper vident, perinde quaſi novitas nos „ magis, quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas „ cauſas excitare. “

12. His autem evidentiſſimis argumentationibus nihil debilius, aut ineptius eſt, quam quod ab Atheis opponi ſolet. Neque enim ex eo argumentorum robur infringitur, quod inter entia neceſſaria nullus exiſtat ordo, nulluſque nexus: ex quo propterea alterum ex altero concludatur. Quare ſi-

ve entia contingentia, aut poſſibilia ſint, aut exiſtant; nihil profecto ex eo concludendum erit pro ſupremi Numinis exiſtentia. Hæc quidem Athei. Atqui certa, & evidens cognitio eſt, nihil certe exiſtere potuiſſe, ſi contingens illud præterea, & indifferens prorſus ad exiſtendum concipiamus, quod alio non eguerit, a quo producatur, & a quo omnis tollatur ad exiſtendum indifferentia. Neque enim ex ſe, niſi ipſi hypotheſi repugnetur, ſibi poteſt indifferentiam adimere. Ex quo evidens ille nexus, & ordo neceſſario conſurgit, quem omnia entia contingentia ad ens neceſſarium, ſive illud dicunt, quod cum & per ſe, & a ſe ſubſiſtat, omnemque a ſe indifferentiam excludat, tum potentiſſimum ſit ad vincendam, tollendamque rerum omnium indifferentiam. Quare duplex genus connexionis diſtinguendum eſt; quorum alterum mutuum, & ex utraque parte ſit, alterum non mutuum, & ex altera parte dumtaxat; quorum poſtremum inter exiſtentias entis neceſſarii, & rerum contingentium habetur; quæ certe ſine ente quodam neceſſario umquam exiſtere potuiſſent; quamquam his non egeat Deus ad exiſtendum, & poſſit ſine illis exiſtere. Mutuum autem connexionis genus ſolum inter res neceſſarias, & Deum habetur, qui in exiſtendo neceſſarius eſt. Neque enim Deus ſine rerum poſſibilitate poteſt exiſtere, nec res poſſibiles ſine Dei exiſtenria concipiuntur. Verum hoc quidem inductione dumtaxat. Etenim ſi quidpiam, quod neceſſarium eſt, poſſet aliqua ratione deficere, legitima, nec fallaci conſecutione deduceremus, etiam perire poſſe, nec exiſtere illud, quod tamen in exiſtendo neceſſarium cognoſcimus.

13. Nec majorem vim, aut robur habet alterum argumentum ex ſerie quadam infinita entium petitum, quam eſſe poſſibilem minime inficiamus. Poſita itaque ſerie infinita entium hæ duæ, inquiunt, conſecutiones minime valebunt, & falſæ erunt: quodlibet ens ſeriei habet ante ſe aliud ens: ergo *tota collectio habet ante ſe aliud ens*. Similiter non valebit hæc altera: quodlibet ens ab alio eſt: igitur *& tota collectio ab alio erit:* quæ conſecutio, ſi fallax, & erronea deprehendi poſſit, certe quidem ex enti-

um

um contingentium poſſibilitate entis neceſſarii exiſtentia nullo modo colligitur. Quare dicimus utramque conſecutionem veram eſſe, ſi in antecedente ſolum entia contingentia includantur; quia in hac hypotheſi utrumque antecedens verum eſt; utramque vero falſam conſecutionem fore, ſi omnia includantur entia tam contingentia, quam neceſſaria, quia utrumque falſum antecedens. Ipſi namque repugnatur hypotheſi, ſi in ſerie infinita tam entia contingentia, quam neceſſaria includantur. Neque enim minus dici poteſt, poſita omnium entium poſſibilium ſerie, quod quodlibet ſeriei ens habeat ante ſe aliud ens, quod in primo antecedenti ponitur, quam quod quodlibet ens ſeriei ab alio ſit, quemadmodum in altero antecedenti conſtituitur; ens quippe neceſſarium, quod in ſerie infinita entium continetur, nec ante ſe aliud ens habere poteſt, nec ab alio eſſe. Itaque in hac hypotheſi utraque conſecutio falſa, quia falſum ponitur antecedens, eoque evidenter falſum, quia ipſi hypotheſi repugnatur. Atqui nihil ex eo concluditur, quod hujuſmodi concluſio in hac hypotheſi falſa ſit. Ut enim quidpiam concludi poſſet, ſeries infinita ex ſolis entibus contingentibus efformari debuiſſet; idque præterea monſtrandum, vitioſam, & abſurdam conſecutionem fuiſſe. Quod ſi in hac hypotheſi veriſſima ſit utraque conſecutio, id enim, quod de ſingulis ſeriei terminis vere dicitur, de tota utique ſerie vere affirmari poteſt; quid tandem erit ex quo divini Numinis exiſtentia obſcuretur? Quare nihil hoc argumentandi genere aut debilius, aut putidius eſt; quippe quod innititur ambiguitate entium, ex quibus ſeries infinita efformatur. Ab entibus enim contingentibus, ex quibus ſeries efformari debet, & de quibus dumtaxat in antecedente loquitur, ad omnia entia in conſecutione tranſilitur, eoque latius ea patet, & falſa evidenter eſt. Quod ſi in conſecutione ſola entia contingentia retineantur, vera utique ea erit; cum id totum, quod de ſingulis ſeriei terminis vere dicitur, de tota utique ſerie vere affirmari debeat. Quare tantum abeſt, ut hoc argumento quidpiam evincatur contra divini Numinis exiſtentiam, ut ex eo contra ea quam evidentiſſime demonſtretur.

14. Ex hac ergo infinita vi omnem inertiam, & indifferentiam excludente omnes Dei proprietates, perfectiones & attributa promanant; quorum alia eſſentialia dicuntur, quia Dei naturam abſolvunt, ut ens omnem indifferentiam excludens, omnemque propterea exiſtentiam includens; extraeſſentialia alia, & ſimpliciter attributa, quia ex alio attributo oriuntur; quamquam ea Deo neceſſario congruant, nec ab eo differant, naturamque illam perfectiſſimam conſtituant. Et vero quod ex ſe moveri poteſt, id quidem Spiritus, & ſimplex erit, & ab omni concretione materiæ ſejunctum; ſiquidem hoc attributum cum materia pugnat, quemadmodum ſupra monſtratum eſt. At quod omnem deinceps indifferentiam excludit; eoque, & ſummam, & infinitam efficacitatem dicit, id quidem & ſpirituum omnium vim, & efficacitatem in infinitum ſuperat, & æternum fore, & omnipotens, & immortale natura ſua, nec a quopiam deſtruendum, & immenſumquoque, & omnia pervadens infallibili deductione conſequitur. Itaque Deus eſt, quo nihil melius, aut potentius, aut perfectius dici, excogitarive poteſt, omnium rerum perfectionem complectens, eaſque infinita vi, & poteſtate ſuperans, nec ullis propterea terminis, aut perfectionibus coercetur.

15. Quod ſi verum ſit, ut quidem eſt, nec de eo dubitare poſſumus; illud etiam ex ipſa neceſſitate ad exiſtendum deducimus, Deum unicum, & individuum eſſe oportere, nec plures Deos dari, multoque minus exiſtere potuiſſe. Quod quidem ut illuſtrius fiat, duo ſimul entia neceſſaria exiſtere imaginemur; utrumque certe perfectiſſimum ſine dubio concipiemus, eoque utrumque efficaciſſimum natura ſua, & omnipotens, inque agendo liberrimum Ergo quæ vellent poſſent, & velle repugnantia poſſent. Ex quo palam eſt, vel ea, quæ inter ſe repugnant, effici ſine dubio poſſe, vel alterum non obtinere ea, quæ vellet, vel ad perficiendum quidpiam alterius voluntate compelli, & liberum prorſus in agendo non eſſe. Atqui abſurdum hoc quidem, & maxime abhorrens ab infinita Dei perfectione: igitur ne credendum quidem. Quemadmodum ergo certum, & indubita-

tum

tum eſt, Deum exiſtere; eadem evidentia perſpicuum eſt, duo entia neceſſaria exiſtere nullo modo poſſe, & quidquid Deus ſit, id unicum, id individuum, & ab omni alio ſecretum eſſe oportere.

16. Sed fortaſſe inquies; idem prorſus entia illa neceſſaria vellent. Sit ita ſane; verumtamen libere omnino vellent; igitur & fieri poſſet, ut repugnantia vellent, vel certe alterum ab alterius voluntate omnino penderet, nec liberum prorſus in agendo foret, id quod infinitam Dei perfectionem dedecet. Quemadmodum ergo Atheiſmus, ſic & Polytheiſmus rationi repugnans, & adverſans eſt. Itaque mirum non eſt, quod veteres omnes ſapientes informem illam Deorum multitudinem omnibus ſæculis repudiarint: quamquam Reipublicæ cauſa eam palam retinendam eſſe judicarint.

16. Præclare itaque Balbus apud Ciceronem libr. 2. de natura Deorum. „ Multæ autem, inquit, aliæ naturæ Deo„ rum ex magnis beneficiis eorum non ſine cauſa, & a „ Græciæ ſapientibus, & a majoribus noſtris conſtitutæ, no„ minatæque ſunt; quidquid enim magnam utilitatem generi „ afferret humano, id non ſine divina bonitate homines fie„ ri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat a Deo na„ tum, nomine ipſius Dei nuncupabant, tum autem rem „ ipſam, in qua vis major ineſt aliqua, ſic appellatur, ut „ ea ipſa vis nominetur Deus, ut fides, ut mens .... quam„ quam omnium rerum, quia vis erat tanta, ut ſine Deo re„ gi non poſſet, ipſa res Deorum nomen obtinuit. Suſcepit „ autem vita hominis, conſuetudoque communis, ut be„ neficiis excellentes viros fama, & voluntate tolleret. „ Hinc Hercules, hinc Caſtor, hinc Pollux, hinc Eſculapi„ us, hinc Liber, atque alii item omnes. “ Et poſt pauca multis proſequitur, majorum Deorum origines, Saturni Jovis &c. Ex quibus evidens apparet ſolutio ad omnia, quæ in contrarium afferri poſſunt, argumenta. Multitudo namque Deorum non alia de cauſa ab hominibus credita, & conficta fuit, non quia revera Dii forent Homines illi, quos ad dignitatem Deorum evexerunt, illoſque veros eſſe Deos arbitrarentur, ſed quia eos digna Diis feciſſe putaviſſent,

 non

non diſſimili ſane ratione, qua Propheta de Juſtis loquens eos appellavit Deos, non quia veros Deos eos habuerit, ſed quia opera operibus Dei quam ſimillima patraviſſent.

17. Quid quod qui plures Deos venerabantur; nonne unicum, ſupremum, ac dominum, rerumque omnium effectorem, & moderatorem agnoverunt, quem Homerus, Hæſiodus, Virgilius, cæterique Poetæ omnes Deorum patrem, hominumque regem nuncupabant? Adde, Indos, Afros, Americanos, Sinenſes, qui quamvis alios minores Deos colerent, unum ſupremum tamen, & quaſi Deorum Deum venerabantur. Ex quo intelligitur unius Dei opinionem omnes Hominem anticipatam habuiſſe, atque in animis quidem noſtris inſitam eam, & inſculptam eſſe. Omnes enim natura ipſa praeunte, & quaſi magiſtra huc deducimur, ut in ſummis periculis unum Deum Optimum Maximum invocemus. Quæ cum ita ſint, perſpicuum omnino puto, totius antiquitatis errorem de Deorum natura in ritu potius, quam in ipſa fide poſitum fuiſſe; quamquam non inficior, mirum in modum abuſos fuiſſe homines in hujuſmodi Diis conſtituendis, & impie non minus, quam ſtulte actum. Neque enim omnia, in qnibus effulget, & reſplendet aliqua Dei virtus & perfectio, veneranda, & colenda ſunt, ut optime ab Ecclefia a Chriſto Domino edocta inſtitutum eſt, neque ipſis rebus, quæ nihil aliud ſunt, niſi medii quidam, quibus ad Deum accedimus, atque in ipſius amorem inflamamur, ipſe cultus, & honor ac Deo O. M. tribuendus eſt. Præclare itaque ab Eccleſia proviſum fuit, quæ erſi ad excitandam, augendamque criſtianam pietatem ſanctiſſimos ſolum viros imitandos nobis proponat, qui virtutum omnium exemplar ſe exhibuerunt, veramque imaginem divinarum perfectionum in ſe quodammodo retulerunt, eoſque veneretur, ipſiſque cultum, & honorem tribuat; non idem tamen cultus eſt, nec idem ipſis honor adhibetur, nec qui Deo cultum, & honor debetur, creatis, atque inanimatis rebus tribuitur.

18. Illud præterea animadvertendum eſt diligenter, ex perſonarum diverſitate, ſive rerum, in quibus ipſa natura repe-

Digitized by Google

reperitur, nullo modo Deorum multitudinem, & pluralitatem argui poſſe. Sic Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus tres res ſunt invicem proprietate diverſæ, nec tamen tres Dii dici, & haberi poſſunt. Eadem namque, & individua, & ſimpliciſſima natura tribus illis perſonis comunicatur, cum omnibus proprietatibus, & perfectionibus; nec tamen tres illæ res ſunt unum inter ſe. Quo autem pacto hoc poſſit fieri, credendum potius, captivantes mentes noſtras in obſequium fidei, ut ſapienter quidem Apoſtolus, quam curioſe, & temere inveſtigandum eſt. Ex quo tamen mens erecta fuit, & lumine fidei roborata ſuam ipſius mentem, & rationem perfecit. Neque enim ex eo, quod aliquæ res ſint eædem cum uno tertio, res illas eaſdem inter ſe fore concludendum neceſſario putabis; nec repugnabit, etiamſi quidpiam ejuſmodi exiſtere a divina quadam authoritate credendum proponatur: quamquam ſolo mentis acumine neutiquam demonſtrari poſſit, res illas, quæ cum una tertia conſentiunt, minime eas inter ſe conſentire. Inſipienter itaque illos Philoſophos agere judicamus, quorum noſtra ætas abundat, qui veneranda noſtræ Religionis myſteria temere rejiciunt, quaſi vero oſtenſum ab ipſis fuerit, ea cum ratione pugnare.

19. Ex Dei autem notione, & omnis virtutis principium ducitur, & mutuum inter Homines vinculum, & totius Societatis fundamentum. Itaque omnes quidem Philoſophi, qui de Republica rite inſtituenda ſcripſere, ad unum omnes, ne his quidem exceptis, qui de Deorum Natura, & perfectionibus non recte ſenſerint, vel Deos omnes irriſerint, & Numinis exiſtentiam, & religionem quamdam, & cultum conſtituerunt, ſine quo tota moles ædificii nullo modo conſiſteret. Noſtris autem temporibus, in quibus philoſophandi libertas, & libido fines omnes prætergreſſa eſt, unus Bailius inventus fuit, qui Rempublicam Atheorum optimis legibus inſtitutam, & moribus poſſibilem eſſe judicavit, & vereor, ne quod ille divinando confinxit, exequendum curent ex eodem grege Philoſophi. Atqui ſi Deus non eſt, quæ poteſt eſſe virtus, quæ juſtitia, quod honeſti, & inhoneſti principium, quæ tandem ſocietas optimis

mis moribus, & legibus inſtituta? Neque enim Reſpublica quævis concipitur ſine quadam virtute, & ſine quodam honeſtatis principio. Neque enim Civium mentes invicem conjungi poſſunt ſine quodam interno principio, ſine quo numquam illa ſecuritas aſſequetur, quæ eſt totius ſocietatis finis, & fundamentum: quam ſi tollas, omnem Rempublicam tollas, neceſſe erit. Ita namque natura comparati ſumus, ut rapiamur, & inflamemur utilitate, non autem bonitate rerum; idque ſolum quæramus, & ardentiſſime deſideremus, quod nobis utile, & aptum videatur: quæ prava voluntas, niſi virtutis amore frœnetur, & futurorum ſpe, & timore deterreatur; quibus tandem ea legibus, aut terroribus Hominum coercebitur? tum præſertim cum res fieri poſſit oculte, & ſine ullo Hominum teſtimonio. Quocirca in Bailii Republica Homines lege ſola ferarum vivent, idque juſtum, ſanctum; & honeſtum habebunt, quod fames, quod libido, quod ira, quod vis juſſerit, imperaverit. Quis autem in hac ferarum ſocietate ſe tutum, & beatum arbitretur? Quis eamdem optimam, & optimis moribus, & legibus inſtitutam putet? In qua præterea deerunt exempla proborum, quibus Reſpublicæ creſcunt, & aluntur. Nec vero quiſpiam ſine ſpe quadam mercedis ducitur in rebus illuſtribus, & fortibus peragendis. Quæ autem merces erit, ſi Deus nullus exiſtat? Quod præmium, cum ne Homo quidem certiſſime ſine Deo ſuperſtes eſſe poſſit? Neque vero umquam tot præclariſſimi Viri certiſſimæ ſe morti præcipites commiſiſſent, niſi poſt mortem ſe aliquod præmium habituros credidiſſent. Quod ſi ne tot propoſitis præmiis, & minis, & ne immortalitatis quidem, & virtutis amore illectis Hominibus, vix Rempublicam optimis moribus inſtitutam adipiſcimur; quis erit tam amens, qui, ſi his præſidiis ad mores informandos, & conjungendas Hominum mentes, eaſque dirigendas ad communem felicitatem, tam aptis & neceſſariis deſtitueremur, numeris omnibus abſolutam ſocietatem obtineri poſſe putet? Quare id teneamus, quod omnium Philoſophorum judicio probatum fuit, Religionem, & cultum ſupremi Numinis, & ad agnitionem animi pulcherrimum

rimum eſſe, & admores Hominum informandos aptiſſimum, & ad ipſorum mentes ad communem felicitatem dirigendas prorſus neceſſarium, ſine quo Reſpublica optimis inſtituta legibus, & moribus obtineri non poteſt.

CAPUT II.

De Intellectu, & Voluntate Dei.

20. QUicumque hujus Univerſi conſtitutionem, ordinem, & varietatem aſpexerit, & oculis perluſtrarit, is exiſtimabit profecto effectori Deo præſtantiſſimam ineſſe intelligendi vim, qui ea condiderit, quæ fieri ſine ſumma, & divina ratione non poſſunt. Si enim, inquit, Cicero, cum machinatione moveri aliquid videmus, ut ſpheram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera ſint rationis; quomodo dubitabimus cum impetum cæli cum admirabili celeritate moveri, vertique videamus conſtantiſſime perficientem viciſſitudines anniverſarias cum ſumma ſalute, & conſervatione rerum omnium, quin ea non ſolum ratione fiant; ſed etiam excellenti quadam, & divina ratione fiant? Mens itaque, & Dei perfectiſſima ratio non ſolum ex infinita ipſius perfectione, & neceſſitate naturæ; neque enim quidpiam perfectiſſimum ſine cogitatione, & intelligentia imaginari poſſumus; verum etiam ex admirabilibus, quæ fecit, operibus luculentiſſime comprobatur.

21. Hæc autem ipſa veritas ex illa vi etiam perfectiſſime fluit, qua Deus omne in ſe motus principium continet. Qui enim vim, & virtutem in ſe habet ad ſe movendum maximam; is certe per vim propriam, & actionem non ab alio mutuatam, attingit res, eaſque ſibi reddit præſentes per ipſam vim, nec alio indiget, ut ipſi fiant præſentes. Neque enim mente concipimus, ut Deus res omnes condiderit, & motum impreſſerit, quin ea omnia prius perviderit, ſuaque virtute pervaſerit; idque ſolum propria vi, nec a rebus, quæ nullibi erant, certiſſime mutuata. Itaque Deus intelligentiſſimus eſt, qui nullo eget, ut res attingat, eaſque omnes

omnes unica, & ſola ſui mentis actione ſibi præſentes efformet. Nec vero quidpiam aliud mens, & intelligentia eſt, niſi virtus, & poteſtas quædam ex ſe movendi, & percipiendi quidpiam per actionem propriam, & motum ſibi debitum, qui ab alio minime efficiatur, aut mutuetur.

22. Quamobrem Deus, quem ſine ſumma efficacitate, & vi concipere nullo modo poſſumus, nulla profecto re indiget, a qua moveatur, & ad cognoſcendum excitetur, quave objecta, cujuſcumque tandem generis, & ordinis ſint, ad ſphæram ſuæ efficacitatis deferantur; omniaque per ſe ipſum, & per propriam ſui actionem rimat, & pervadit. Neque vero ſolummodo illarum rerum, quæ ſunt, aut aliquando fuerunt, aut futuræ ſunt aliquando, ſed illarum etiam, quæ eſſe potuerunt, aut futuræ ſunt ſub aliqua conditione clariſſimam, & numeris omnibus abſolutam obtinet cognitionem; idque totum per ſe, & per propriam mentis actionem a nullo alio effectam, aut excitatam videt, unoque deinceps obtutu videt, unaque, & ſimpliciſſima, & individua mentis actione comprehendit. Quæ ſimpliciſſima cogitandi, & intelligendi ratio cum perfectiſſima ſit, & immutabili Dei naturæ admodum conſentanea, nec infinitam deinceps illam Dei virtutem, & poteſtatem excedat, qua omnis ipſius natura abſolvitur, ecquis erit, qui eam Deo minime tribuendam exiſtimet?

23. Itaque mens, & ratio divina abſolutiſſima, & perfectiſſima eſt. Namque id perfectiſſimum dicimus, cui nihil perfectionis accedi poteſt; atque hanc perfectionem ſolius Dei propriam eſſe, ipſique ſolum congruere poſſe, quis dubitet? Quippe qui, nec majorem idearum copiam, nec intenſiorem claritudinis, & diſtinctionis gradum habere, nec majus accipere incrementum poſſit. Nec vero quidpiam omnia in ſe ipſo continente majus, nec diſtinctius, nec, uno obtutu omnia pervidente, & complectente, alterum latius patens, nec perfectiſſimo aliud perfectius fingi, aut excogitari poteſt. Similiter ſapientiſſimus Deus eſt. Etenim quid divina & infinita mente ſapientius, quæ unica, & individua cogitatione clariſſime, diſtinctiſſimeque percipiat res omnes, aptiſſima his conſequendis ſubſidia diſponat, & ſingularium cau-

cauſarum, & ſubſidiorum ordinem, nexum, naturam pleniſſime agnoſcat, quibus omnia inter ſe conſentiunt, & ad communem tendunt felicitatem? Igitur id omne Deo tribuendum erit, quod perfectum eſſe intelligimus; id autem omne, quod imperfectionem quamdam redolet, quamvis minimam, eidem prorſus denegandum. Quapropter Deus non ſentit.

24. Eſt enim ſentire vel quidpiam mediis quibuſdam corporeis motionibus pervelli, & affici, earumque ſolum intenſitate, claritudine, & differentia res objectas cognoſcere, diſtinguere, & diſcriminare, quemadmodum ubi de brutorum ſenſu, & cognitione egimus, vel ſaltem iiſdem motionibus corporeis excitari, & de objectorum præſentia admoneri, ut res extra nos poſitas, quæque ſolum ipſis motionibus, & corporeis imaginibus ad ſphæram animorum deferuntur, per propriam tamen virtutem, & actionem percipiamus: qua ratione Hominem res corporeas ſentire demonſtravimus.

25. Utro autem modo ſe res habeat, nec Spiritus ſimplices, multoque minus Deus ſentire credendus eſt, qui ſpiritus ſimpliciſſimus, & ab omni concretione materiæ ſejunctus eſt, omnia per ſe ipſum rimans, & pervadens; eaque ſibi per propriam vim, & actionem efficit præſentiſſima. Quapropter ineptiſſimam, & rationi adverſantem magni Nevvtoni opinionem rejicimus, qui Mundum hunc corporeum ſenſorium Dei dixit; quaſi vero Deus, quo nihil potentius, aut intelligentius eſt, res omnes mundanas creare, & miris inter ſe modis aptare, & texere potuiſſet, quin prius earum rerum perfectiſſimam obtinuerit cognitionem; aut Dei mens, & cogitatio his ſolummodo finibus, quibus res mundanæ omnes, contineretur, aut ſpiritus poteſtatem excederet illarum rerum cognitio, quæ nullius motionis corporeæ effectus ſint, nec per motum corporeum explicari queant, quæque propterea a ſenſu omni, & motione corporea ſecreta forent. Ex quo etiam, & multo quidem evidentius conſequitur, nec Deum eſſe Mundi animam, id quod Eleatenſibus, Pythagoricis, & Stoicis placuit, multoque minus hunc aſpectabilem terrarum orbem Deum eſſe,

quod

quod ipſi quidem Philoſophi probavere: quos impiiſſimus Spinoza, & Tholandus ſequuti ipſam crambem requoquere minime dubitarunt. Illud vero mirandum ſane, quod plures Sectatores habuerint, in Anglia præſertim, in qua hæc opinio, qua nihil fortaſſe ſtultius, aut dementius eſt, plurimum invaluiſſe dicitur. Quid enim in hoc terrarum Orbe conſpicimus, quod cum illa vi infinita, & ſempiterna comparare poſſit? qui undique concretus, & circumfuſſus inerti materia non ſolum, ut fuerit, indifferens fuit, nec ſempiternus propterea, nec neceſſarius concipitur, quemadmodum alibi demonſtravimus, verum etiam nullam in ſe vim, & virtutem habet, quam ab alio minime mutuarit, omniſque in eo motus principium, & origo ab alio eſt. Neque enim ſi Deus & Terram, & Pontum, & aerem, & Cœlum, & virtutem, & quodcumque videmus, & quocumque movemur, effecerit, ac de nihilo procrearit, & ubique ſit, & omnia alat, & informet, & omnis motus, & virtutis principium ab eo certiſſime repetendum; idcirco invita, & reluctante materia circumfuſſus, & oppreſſus exiſtimandus erit, multoque minus cum iſta inerti materia confundenda ſempiterna Dei virtus, & potentia. Qui enim omnem in materia indifferentiam ſuſtulit, & a nullo eſſe ad exiſtendum tranſtulit, & motum impreſſit, num materia erit? Quis enim umquam effectum cum cauſa confudit? quis alterum pro altero uſurpavit?

36. Et qui motum materiæ tribuit, quo omnem indifferentiam amiſit, nulla certe ſtipatus, & circumfuſſus materia, quæ nullibi certiſſime erat, num eadem egere credendus erit ad ipſam materiam alendam, & informandam, & diverſos in ipſa, prout libuerit, motus inducendos? Itaque nihil hac opinione, aut impius, aut ſtultius, aut dementius fortaſſe, ut vix ea refellenda videatur. Quare nos cætera perſequamur, eaque omnia a Deo O. M. removeamus, quæ vel ipſum dedecent, vel non niſi quamdam finitam perfectionem dicunt. Igitur Deus nec meminit, nec abſtrahit, & ne ratiocinatur quidem. Non primum, quia tum vis imaginandi, tum memoria facultas illa dicitur ad præteritam ideam inſtaurandam, quam mens aliquando concepit;

pit; non autem habet. Atqui Deo omnia præſentiſſima ſunt, eaque ſemper, & invariabiliter intuetur, unaque mentis actione cuncta ſimul comprehendit. Non alterum, quia tunc abſtrahimus, cum alterum ex altero deducimus, & unum ſine altero contemplamur, nec omnia ſimul percipimus, quæ in una, eademque re reperiuntur; quod quidem indignum de Deo judicandum eſt, nec cadere profecto in ipſum poteſt, qui omnium rerum proprietates, attributa, ſimilitudines, & relationes omnes præſentiſſimas habet. Non denique tertium. Nam qui ratiocinatur, alterum ex altero colligit, nec omnia perſpicit, & duarum idearum comparatione cum tertia, ipſarum inter ſe nexum, ſimilitudinem, æqualitatem, & habitudinem demonſtrat. Quod cum fieri nequeat, niſi ſenſim, & quodam temporis progreſſu, evidens eſt, id omne in Deum cadere nullo modo poſſe, & a perfectiſſima illa ſubſtantia prorſus eſſe alienum.

26. Sed quamquam ſenſus, phantaſia, memoria, ceteræque humanæ mentis facultates ſuis limitibus, & finibus circumſcriptæ nullum locum in natura divina habeant; at non idcirco imperfectus Deus dicendus eſt. Ipſas namque & virtute continet, & perfectione ſuperat; quidquid enim nos illis facultatibus perſentimus, id Deus diſtinctiſſima illa, & unica, & æterna, & immutabili cogitatione comprehendit, totamque humanam cognoſcendi vim, & efficaciam nullis terminis, & limitibus definitam complectitur.

27. Ex hac ergo perfectiſſima rerum omnium cognitione, & infinita ſe movendi poteſtate illud etiam evidenter conſequitur, Deum perfectiſſima pollere libera voluntate. Poteſt enim & amare, quæ bona, & honeſta ſunt, & odio habere, quæ nec bona, nec honeſta ſunt. Mundi præterea procreatio nonne luculenter evincit perfectiſſimam Dei, & infinitam voluntatem? Quis enim dubitet, plures mundos poſſibiles eſſe, & exiſtere potuiſſe? Cur autem hic potius, quam alius creatus fuerit, nonne ex arbitratu, & liberrima Dei electione pendere oportuit? Itaque Deus liberrimus eſt in rebus omnibus efficiendis, nec ulla neceſſitate, compellitur, & quidquid voluit, fecit, & quidquid decrevit adimplere potuit. Nam ſi quadam ille quidem neceſſitate

age-

ageretur; ea certe vel ſato cuidam, vel ipſis, quæ gignerentur, rebus tribuenda eſſet. Ex fato autem id proficiſci qui poteſt, cum nihil eo aut potentius, ant antiquius fingi, & imaginari valeat, a quo rerum omnium origo, & principium eſt, omniumque rerum propterea ratio ſufficiens in Dei ſolum virtute, & pleniſſima poteſtate contineatur? Neque vero ulla ante ipſam Dei voluntatem cauſarum ſeries conſtituta fuit, nec conſtitui ulla ratione poteſt, nec id præterea, quod nihil eſt, nec ex ſe virtutem, & efficaciam habet, &, ut ſit, prorſus indifferens, perfectiſſimam Dei voluntatem quaſi invitam compellere, atque adigere ad efficiendum poteſt; multoque minus a rebus ipſis procreandis peti hæc neceſſitas poteſt. Non enim rebus ineſt quædam bonitas infinita, quæ Dei infinitam bonitatem, & perfectionem ad creationem compellat, atque inexpugnabili, neque ſuperanda vi inflectat.

29. Sed nodus hic naſcitur explicatu difficilis, ſcilicet, quo pacto divinæ voluntatis libertas perfectiſſima, & cum ipſius neceſſaria immutabilitate, & cum rerum humanarum libertate conſiſtat. Libertatem autem Dei una cum ipſius immutabilitate optime conciliari poſſe intelligitur, ſi id animadvertamus, Deum Optimum Maximum omnia, quæ fecit, & voluit, ab æterno non ſolum voluiſſe, ſed unica dumtaxat, ſempiterna, & immutabili voluntate decreviſſe, ut nihil deinceps mutare, corrigere, & emendare potuerit, quamquam, ut decernerentur, res in ipſius pleniſſima poteſtate fuerit.

30. Cum enim Deus perfectiſſimam rerum omnium cognitionem obtineat, quæ nec intenſior, nec remiſſior eſſe poteſt, eaque perpetuo, & invariabiliter perſeveret; quid ni unica, & immutabili voluntatis actione, quæ efficere voluit, omnino decernat? Nam, quemadmodum in intelligendo, ſic in decernendo ratio, quæ perfectiſſima ſit, ipſi ſine dubio tribuenda erit. Itaque Deus omnia, quæ eveniunt, aut eventura ſunt unica, ſimplici, & æterna voluntate, ſive decreto conſtituit. Cum autem plura in Deo numeramus decreta, quæ rebus conjuncta ſunt, illud unum, & ſimpliciſſimum decretum pro diverſitate rerum ad quas re-

latio-

ſationem dicit, cogitationibus noſtris diſtrahimus, dividimus, & quaſi multiplicamus. Et vero decreta *poſſitiva* illa dicimus, quibus bonum vult, efficitque Deus per ſeſe; *permiſſiva* vero, quibus mala patitur evenire. Quare omnis evaneſcit difficultas, aptiſſimeque perfectiſſima Dei libertas cum ipſius immutabilitate copulatur.

31. At non æque ſolvitur altera difficultas, a Philoſophis tamen diſolvenda, quæ omnes antiquos Philoſophos fatigavit, eoſque in impias non minus, quam rationi inimicas opiniones diſtraxit. Alii quippe ut Cryſippus Stoicorum facile Princeps, quem mira conſentione Stoici ſecuti fuere, fatum induxerunt, omnemque arbitrii libertatem ſuſtulerunt; alii contra Deum res liberas nullo modo decernere, nec earum rerum præſcientiam habere voluerunt: quod utrumque æque Deum dedecet, & æque utrumque impium, & a ratione abhorrens. Unus itaque Ludovicus Molina celeberrimus Hiſpaniæ Theologus hactenus inventus fuit, qui meo quidem judicio has duas res ad ſpeciem invicem oppoſitas, & repugnantes amico inter ſe fœdere copularit; verutamen *neceſſitatem* quamdam evitabilitatis in decretis divinis arbitrio, & poteſtate Creaturarum induxit; ipſarumque voluntatem, infinitam illam, & ſempiternam Dei voluntatem quoquomodo antecedere judicavit. In quo multorum ſubiit invidiam, nec mirum propterea, quod ſimpliciſſimum ipſius ſyſtema adeo non ubique probatum, & receptum fuerit, quin contra plures obtrectatores offenderit. Verum de hoc quidem poſtea. Interea id teneamus, quod infallibili, & neceſſaria ratione conſequimur, ſcilicet Deum non minus, quam Hominem perfectiſſima pollere libertate, & utramque inter ſe optime cohærere.

CAPUT III.

De bonitate, & beneficentia Dei, tum de ipſius voluntate ſalvandi omnes, & de origine bonorum, & malorum.

32. SI quæ ſunt inviçtiſſima momenta, ut quidem ſunt, quæ infallibiliter evincant, Deum intelligentem, in-

corporeum, naturæ ſuæ neceſſitate exiſtentem, Opificem, & Patrem rerum omnium, quæ in hoc Orbe terrarum conſpiciuntur; eadem profecto clariſſime, evidentiſſimeque demonſtrant, ipſum & æternam, & primam cunctorum cauſam eſſe, in quo propterea rerum exiſtentium, & poſſibilium omnis ratio ſufficiens continetur. Atque hinc evidenti conſecutione deducimus, Deum infinitum eſſe oportere, & prorſus infinite perfectum. Etenim cum poſſibilia omnia numero infinita ſint, & majoris, & majoris in infinitum perfectionis capacia; certe natura illa, quæ omnium in ſe rationem ſufficientem ad exiſtendum, omniumque perfectionem contineat, ea infinita ſit, oportet, & undequaque perfecta. Itaque Deus eſt, id quod omnium ſapientium judicio probatum video, quo nihil melius, aut majus inveniri, & ne cogitatione quidem comprehendi poſſit, *maximus*, *&* *optimus* omnium rerum perfectionem includens, eamque infinita quadam, nec comprehendenda ratione in infinitum ſuperans. Atque hinc Deum ſumme juſtum, & ſanctum, & pium dicimus, & ſumme præterea bonum, & beneficum, qui omnes ſapientiæ, & gratiarum infinitarum theſauros exhauſit, ut Hominibus ſempiternam felicitatem conferret. Quocirca tum Atheiſtarum, tum Deiſtarum impia dogmata rejicimus, tum Epicureorum, & Manicheorum inſulſas argutationes, quas nonnulli Philoſophi, Petrus Bælius præſertim, perabſurda quadam ambitione ab inferis revocare minime dubitarunt. At quid eſt tam impie dictum, aut tam cogitatum ſtulte, quod noſtris temporibus ab aliquo Philoſopho recoctum minime videamus? Atqui ſi Deus ſit id, quod infinitam perfectionem continet, quo nihil melius, aut perfectius dici, excogitarive poſſit; certe non invidus, non malum velle, non iraſci, non male facere, non ſua utique retrahere poterit beneficia, præſertim cum nihil præclarius a Platonicis dictum fuerit, quam quod bonum ſit diffuſſivum; ſummum ſumme, ſi nihil præterea de benefica ipſius natura detrahatur. Atque hoc totum ratione comprehendimus, atque ita convincimur, & ſuademur, ut vel Deum e medio tollere, vel illum ſumme bonum, & beneficum confiteri compellamur.

33. Qua-

33. Quapropter Deus, quantum eſt ex ſe, Hominis felicitatem vult, eamque ardenter cupit, & amat; tum quia omnia bona naturæ Hominis inſita auctori, atque effectori Deo aptiſſime debeantur, tum quia & beatitudinis appetitionem, & declinationem miſeriarum quaſſi in ipſo ingenuerit, contuleritque præterea adjumenta omnia, quæ ad obtinendam, adipiſcendamque felicitatem neceſſaria ſunt. Quid ni ſumme bonus, & ſumme beneficus, qui Hominem non ſolum ad felicitatem inſtituit, diſpoſuit, & direxit, ſed omnia etiam in ſua poteſtate, & arbitrio poſuit, promtuſque, paratuſque eſt, ea omnia ipſi præſidia conferre, ſine quibus felicitas, & æterna beatitudo adipiſci non poteſt? Quocirca Deus malum morale velle nullo modo poteſt. Eſt enim hujuſmodi malum defectio quædam a fine præſtituto. Cum enim legum moralium conſtitutio ad Dei bonitatem pertineat, ſeque ipſum neceſſario amet, velitque deinceps, quantum ex ſe eſt, Hominis felicitatem, & nolle utique neceſſario debet; ut is a fine ſibi præſtituto deflectat, in quo ipſius felicitas, & beatitudo ſita eſt, ſibique comparet æternum miſeriarum pondus.

34. At malum metaphyſicum velle poteſt, quod in res omnes finitas, & creatas cadit; & eſt nihil aliud, niſi defectus quidam a ſumma, & infinita perfectione. Itaque res omnes finitæ metaphyſice malæ ſunt, quia infinita perfectione carent, quas propterea velle Deus poteſt, earumque Author, & principium eſſe, quin malum metaphyſicum, quod ipſas perpetuo comitatur, quidpiam de ipſius beneficentia, & bonitate detrahat. Similiter mala phyſica per ſe vult, quorum eſt *dolor*: quem mirum in modum extollunt bonitatis, & beneficentiæ divinæ hoſtes. Sed inſcite omnia, & non ad rem. Nam duo ſunt dolorum genera: quorum alii a natura ſunt, alii a rationis, & libertatis abuſu; quos ſi invicem conferamus, multo iſti quidem majores, quam illi reperientur, qui propterea ad Deum nullimode referendi ſunt, qui id omnino vetat, & ne efficiantur, majores intentat, & minatur. Quare de his doloribus dumtaxat agendum erit, qui a natura ſunt, quos Deus velle poteſt, & quorum cauſa eſt, nec quia mala efficit, ſed quia bona pro-

fecto ſunt. Nam ſunt ſcelerum, quia peccavimus, juſtiſſime inflictæ penæ; ſunt veluti totidem Parentis amantiſſimi ad monitiones, ne peccemus, & ut animum ab his fluxis, & perituris rebus abducamus, & quæ ſint vera bona quæramus, & diligamus, mentemque, animumque ad ipſum, qui fons omnis bonitatis, & origo eſt, convertamus; ut certum apud omnes ſapientes, & exploratum ſit, ærumnas, labores, & corporis afflictationes potius, quam fortunam, & felicitatem, & omnium bonorum copiam perfectiores, juſtiores, & feliciores Homines reddidiſſe. Huc adde, quod a natura dolores exigui ſane ſint, ſi cum bonis Naturæ comparentur, quorum intenſitate, duratione, numero longe majori non compenſantur modo, ſed immane quantum excedant, ut ſi ex his ſolummodo de Dei beneficentia judicandum eſſet, potius ipſe ſumme bonus, & beneficus, quam invidus haberetur.

35. Sed quamquam Deus nec mala phyſica, quæ a natura minime ſunt, quæque vix ſine peccato, & rationis abuſu perpetrantur, & fiunt, multoque minus malum morale velle aliqua ratione poſſit, permittere ſaltem, quid vetat? Ex quo omnes inſulſæ Manicheorum argutationes infringuntur, & omnis neceſſitas tollitur alterius principii, quod impius Manes, & invidum, & potentiſſimum, & Hominis inimicum, & malorum omnium Authorem peſſimum confinxit potius, quam excogitavit.

36. Etenim ſi mali moralis permiſſio, quod eſt libera transgreſſio legis cum Dei perfectione, & ſanctitate pugnaret; certe vel Hominem minime creaviſſet, vel eum ſane ſua natura, & libertate privare debuiſſet. Utrumque autem æque ſtultum, & impium. Si enim primum; cui ſuam bonitatem impertiret Deus? Cur ipſius omnipotentia coercenda, ut ne poſſit efficere, quod poſſibile prorſus confitemur? Sin alterum, nonne Deus deturpaviſſet perfectiſſimam imaginem, quam formaverat? nonne præcipuum bene agendi, & benemerendi principium ſubſtuliſſet, & ut ſapienter quidem Baſilius rationis expertem naturam creaturæ rationali antetuliſſet? Ergo ſi mali moralis permiſſio nullo

modo

modo pugnet cum infinita Dei ſanctitate, & perfectione; quippe quod ex inordinato libertatis uſu proficiſcatur; quæ tandem cauſa, aut ratio ſufficiens poterit inveniri, quæ prorſus ſuadeat neceſſitatem alterius principii? Neque enim quidpiam aliud requiritur, ut exiſtant mala moralia, quam ne impediantur a Deo, & fieri permittantur; verumtamen ita permituntur, ut ſemper ad fines optimos, & bonitati, & ſapientiæ ſuæ admodum conſentaneos, impervios tamen plerumque humanæ menti, dirigantur. Satius namque, ut præclare Auſtuſtinus, judicavit, de malis bona facere, quam mala nulla eſſe permittere.

37. Neque vero ſi Deus incredibilem humanæ libertatis abuſum previderit, totumque Adæ crimen, ex quo omnia mala in hunc terrarum orbem redundarunt, nihilominus eam nolle debuit, quamquam ipſius abuſum vetuerit. Quare Deus ita vult, ne Homines labaſcant, ex quo omnes argumentationes infringuntur, ut naturam ſuam, ut Hominum naturam decet. Maxime autem Hominem intereſt ſua natura, & libertas, quæ eſt omne bene merendi principium; maxime vero Deum dedeceret, Hominem ſua propria natura, & libertate privare, & quem liberum, & ratione præditum, & ſagacem, & multa providentem creavit, exteriori vi, & mechanica quadam ratione compellere, nec ut liberum prorſus gubernare. Ergo Dei rerum omnium præſaga mens nihil profecto de infinita ejus bonitate, & perfectione detrahit.

38. Quis enim de homine male meritum idcirco arbitretur Deum, qui & eumdem beatum eſſe cupit, eique ad beatitudinem conſequendam adjumenta effuſe ſuppeditet? An prænotio, & preſcientia rerum omnium fraudi ipſi vertenda erit, quia homo collatis ſubſidiis in ſua voluntate poſitis male utatur? Quid quod ſi ex rerum abuſu res æſtimare velimus; quid erit tam Sanctum, tamque numeris omnibus, ut ajunt, abſolutum, quod bonum habeamus, & quod in pravos uſus non ſæpiſſime convertamus? Deus itaque ſumme bonus, & beneficus ſine dubio cenſendus eſt, qui ſubſidia dederit omnia, quibus beatitudinem, & felicitatem aſſequeremur: quamquam ex hominibus plures præ-

 vi-

viderit abuſuros. Ut enim Rex ſapientiſſimus, ac beneficus haberetur, qui ſuos theſauros exhauſerit, ut eos, qui ſub ſua ditione tenentur, redderet feliciſſimos; idque quamvis plures male uſuros eſſe cognoverit, nec felicitatem adipiſcerentur; ſic Deus & bonus, & beneficus credendus eſt, qui theſaurum fere infinitum gratiarum hominibus contulit, quibus, qui bene uti volunt (plures autem volunt) æternam felicitatem obtinent, quamvis plures ſunt qui pereant, & in damnationem vertant.

CAPUT IV.

Deo Mundi unitate, & de Planetarum incolis, tum de ipſius Mundi perfectione.

39. INter opera ſingularia, quibus Deus O. M. ſuam omnipotentiam, ſapientiamque pariter infinitam oſtendit, jure optimo hæc orbis terrarum conſtitutio, ac ex nihilo procreatio recenſetur. Sapienter itaque Theofraſtus terrarum orbem theatrum quoddam dixit magnum, divina mente repletum, & cœleſtis indicandæ ſapientiæ gratia tum multis undique collucentibus ornamentis illuſtratum. Utrum autem unus, an plures mundi ſint, reperio omnium ætatum Philoſophos inter ſe admodum diſſentientes. Innumerabiles enim finxit Epicurus, unum autem mundum eſſe docuit Plato apud Ciceronem. Quæ opinio, quamquam certiſſima ſit, nihilominus ea naturali dumtaxat ratione definiri non poteſt; id quod ſignificare Diogenes Cinicus voluit, cum Epicureum quemdam de mundorum infinitate ſerio diſſerentem percuntatus eſt, quamdudum e cœlo veniſſet.

40. Nihilominus de mundorum pluralitate ab eruditis tractari ſolet, non quia plures mundos exiſtere velint (unicum enim, & ſingulare eſſe fatentur) ſed quia hic terrarum orbis in plures veluti partes diviſus, & diſtrubutus ſit huic noſtro orbi quam ſimillimas; quas & iiſdem pollere proprietatibus, & iiſdem animalibus, & hominibus ratione utentibus habitari credunt. Quam opinionem doctiſſimus Ugenius omnium primus ex ſimilitudine planetarum cum terra

Digitized by Google

terra oſtendere conatus fuit; quia hujus mundi inſtar corpora ſunt opaca, rotunda, gravia, & a ſole illuminantur, & calefiunt, eumque in finem circa ipſum moventur. Ugenium plures Recentiores ſecuti ſunt, quos inter Cardinalis Cuſanus D'Reita e Capuccinorum Familia, VVolfius, Caſtelius e Soc. Jeſu, & omnium eloquentiſſime Fontanellius in Dialogis de pluralitate Mundorum, & alii bene multi.

41. Nec tamen hæc opinio placet: argumentum enim ex analogia petitum, quo ſolum adverſariorum innititur opinio, ſi quid probat, nihil aliud certe probat, niſi in corporibus cæleſtibus ea reperiri, quæ ex terra gigni, & efformari poſſunt, non autem illa, quæ ex arbitrio, & voluntate Dei pendent. Quid ſi ne iſtud quidem arguitur? Quis enim neget in Europa plantas, atque arbores quam plures inveniri, quæ nuſquam in America inveniuntur, & contra? Simile quid de belluis dicendum eſt. Quemadmodum ergo ex terræ ſimilitudine male quiſque argueret, ea omnia, quæ in Europa ſunt, & in America ſimiliter inveniri; ſic quamvis planetarum maſſa noſtræ quam ſimillima habeatur, non idcirco & arbores, & plantæ eædem, & belluæ, & reliqua omnia inveniri debent, quæ in noſtro Orbe conſpiciuntur. Quod ſi argumentum ex analogia petitum, ne in his quidem rebus ex terra concretis, & natis, ſatis ratum, firmumque ſit, quid de his ſentiendum putabimus, quæ a libera Dei pendent voluntate? Quæ enim ratio ſufficiens, ac ne probabilis quidem conjectura afferri poterit, quæ Deum ad illarum rerum creationem compulerit? Ergo etſi adverſariis daremus, plantas in planetis, & arbores inveniri, ac cætera omnia, quæ ex vi, & efficacitate terræ gignuntur, quæque totidem veluti effectus ex terra emanati haberi debent; at non idcirco homines exiſtere credendi ſunt, quorum anima a Deo ex nihilo quotidie procreatur.

42. Quare ego ſatis mirari non poſſum Philoſophos (ſi Ugenium excipias, qui invenit, & Fontanellium, qui omnibus eloquentiæ gratiis fabulam illuſtravit) in hanc ſerio abire potuiſſe ſententiam, quæ non ratione, ſed ſolum authoritate definiri debuiſſet. Ut enim Mundi numero ne infi-

niti ſint, aut contra finiti, & unicus tantum exiſtat; an plures numero, minime ratione conſequimur; ſic habitentur nec ne Planetæ abſurdum eſt conſtituere ſine quodam Dei vel hominum teſtimonio. Quo, ſi utendum ſit, ut quidem eſt, multo mihi certe juſtior, & firmior illa opinio videtur, quæ negat, quam quæ ponit Planetarum incolas; quippe quæ aliquo innititur fundamento ab authoritate petito. Siquidem Moyſes, cum totius orbis creationem deſcripſiſſet, eaque omnia, quæ tum in Cœlo, tum in terra effecta fuerunt, narraviſſet, nuſquam meminit illarum creaturarum rationalium, quæ conditæ fuerunt in Planetis; idque cum hominum, & Angelorum creationem meminiſſet, qui non in hoc orbe creati fuerunt. Hoc autem Sacrarum Scripturarum teſtimonium maximum argumentum eſſe deberet, ut nullas alias creaturas rationales a libera ſolius Dei voluntate pendentes conditas fuiſſe arbitraremur præter illas, quas ab eodem genitas, & procreatas ex Sacris Litteris didicimus. Huc accedit, quod Præadamitarum exiſtentia ab Eccleſia damnata fuerit; ex quo aliquo modo deduci poſſe videtur, nullas alias creaturas rationales, quæ non ab Adamo orirentur, progenitas a Deo fuiſſe.

43. Præterea Planetarum incolæ alii aliis multo eſſent majores, & vero Jovicolas eſſe Terricolis majores, atque adeo altiſſimorum Gigantium inſtar, ab ipſis Adverſariis probatur, nec omni prorſus deſtituitur fundamento. Perſpicuum namque eſt, pupillam in lumine fortiori dilatari, coerceri autem in debiliori; cum autem in Jove lux meridiana in eadem Solis altitudine multo quidem debilior, ac in tellure ſit ob majorem a Sole diſtantiam; certe magis in Terricolis, quam in Jovicolis pupilla oculi conſtringi debet, ac propterea major. Ipſa præterea loquitur experientia, pupillam reliquo vulvo oculi, oculum vero reliquo corpori eſſe proportionalem, ut bruta animantia omnia eo oculos majores habeant, quo pupilla major, eoque corpus majus, quo major oculus: igitur Jovicolarum corpora Terricolarum corporibus multo erunt majora.

44. Hæc ipſa ratio evincit, etiam multo adhuc majores futuros incolas Saturnios, quia a Sole plus diſtant, itidem-

que

que Cometarum incolas, qui pene in infinitum a Sole recedunt. Contra vero Veneris, & Mercurii incolæ puſilli admodum, & homunculi, & felis inſtar erunt, quia minimum a Sole diſtant. Atqui hæc abſurda ſunt, & Philoſopho prorſus indigna, qui nihil umquam, niſi cum ſumma ratione fingit. Huc accedit, quod ex eo quod terra verſus polos rigeat; neque enim ea radiis Solis ob nimiam præſertim diſtantiam calefieri poteſt; magno vero æſtu verſus Equatorem ferveat, vel ob nimium frigus, vel ob nimium calorem vix erbæ generentur, nec beſtiæ, nec homines habitare queant. Quid igitur de illis orbibus ſentiendum erit, quorum alii a Solis radiis nullo modo calefiunt, & gelu, & frigore rigent, & alii contra aduruntur?

45. Quapropter cum argumentum ex analogia petitum nullum ſit, cum gravia momenta oppoſitum omnino evincant, cum altum præterea ſilentium apud Moyſen de Planetarum Incolis, qui rerum omnium ex nihilo procreationem grafice deſcripſit; reſque tota deinceps ex libera, & pleniſſima Dei pendeat voluntate, & plurima deinceps oriantur abſurda; ecquis erit Philoſophus, qui hoc credat, qui his nugis canoris, & næniis moveatur, quæ nulla certa, & firma ratione dicuntur, nec veroſimili aliqua conjectura confirmari poſſunt?

46. Neque enim ſi Deus, cum quidpiam molitur, ſumma cum ratione moliatur; idcirco Planetarum incolæ conſtituendi erunt. Quis enim finem demonſtrare poteſt, quem Deus in rerum ſibi creatione propoſuit? ex quo argui quoquo modo poſſit, Planetarum incolas ad Mundi perfectionem pertinere. Potuit illos quidem Deus procreare; at nulla ad ipſorum procreationem neceſſitate compellitur. Liber ergo fuit. Crearit ergo nec ne, certe nullo modo ex rerum omnium, quæ exiſtunt, creatione deducitur; quarum veri earum effectus dici, & haberi nulla ratione poſſunt. Ad authoritatem igitur confugiendum erit, ut de hac re certi ſumus, quæ certe nulla eſt pro Planetarum Incolis, quin potius, ſi quæ eſt, vix dubie eoſdem excludit. Nec magis ex eo evincitur Planetarum exiſtentia, quod Deus inutiliter infinita pene corpora creaviſſet; quæ Hominis intelligen-

ligentiam effugiunt: quaſi vero ſolus Homo ratione polleret nec infinitas propemodum alias creaturas ratione præditas Deus condidiſſet, quæ omnes ab ipſo res creatas intelligere, & divinam ipſius omnipotentiam admirari, & laudare potuiſſent. Huc adde, quod nihil quidpiam inutile dicere poſſumus, quod ad finem, quem Deus ſibi propoſuit, neceſſario pertinet, ſine quo nec Mundi perfectio, qualis nunc habetur, obtineretur, nec fortaſſe totius orbis machinamentum undique legibus æquatum perſtitiſſet.

47. Illud vero argmentum ex globorum cum noſtro ſimilitudine petitum ineptiſſimum eſt, & vix refellendum. Neque vero ex eo credendum erit, in Planetis eoſdem incolas, & animantes, & Homines, ac in hoc noſtro orbe terrarum inveniri, quia nobis, cum aliquam e longinquo Civitatem videmus, prorſus perſuaſum ſit, eam ab Hominibus habitari. Tunc enim ſolum maximum robur obtinebit argumentum, cum ab Adverſariis monſtraretur, ſi quemadmodum Civitates, ſic & Planetas opera manuum Hominum, eoſdemque ab ipſis prorſus efformatos fuiſſe. Verum hæc quidem ad profligandam fabulam ſatis; modo de Mundi perfectione agendum erit.

48. Et quamquam Mundus perfectus ſit, tamen non ita eum perfectum eſſe contendimus, ut alius perfectior a Deo minime creari potuerit. Leibnitianorum hæc quidem videtur opinio, qui etſi univerſum aliud perfectius eſſe poſſe concedant, tamen a Deo aliud perfectius creari minime potuiſſe volunt; quæ opinio quamquam ſibi quodammodo opponi, & omnipotentiſſimam Dei omnipotentiam circumſcribere, & coercere videatur; tamen ſi rite intelligatur, & explicetur, nec quid Leibnitiani demonſtrare voluerint; ſed quid tantummodo ex ipſorum momentis conſequatur, perpendamus, utrumque inter ſe aptiſſime conciliatur, nec ullam contradictionem involvit, nec Dei perfectiſſimam imminuit libertatem. Quare dicimus primo, poſſibilem alium Mundum perfectiorem fuiſſe: quæ propoſitio mihi quidem ſic certa videtur, ut ne eam quidem Leibnitius impugnarit, qui alium Mundum perfectiorem poſſibilem ſaltem agnovit. Nam licuit Auctori naturæ Deo longe nobiliores, & perfectio-

fectiores naturas procreaviſſe, quæ ipſius gloriam externam magis, magiſque commendarent. Neque enim in hoc repugnantia ulla, nec ulla evidens contradictio, quæ Dei omnipotentiam coerceat. Quid igitur erit, cur, Deum alium mundum perfectiorem condere minime potuiſſe, credamus; & cur hunc potius, quam alium elegerir, procrearit, nonne ex libera ſuæ voluntatis electione petendum erit, tum præſertim, cum bonitas, & ſapientia infinita bonitatem omnem finitam neceſſario ſuperet, nec ab ea propterea ad ſui creationem compelli poſſit?

49. Deus itaque ita liber eſt, ut omnis in agendo ratio ſufficiens ſit ipſe Deus, & pondus infinitum voluntatis ſuæ. Etſi enim in rebus creatis, & finitis principium rationis ſufficientis valeat, nec earum libertatem offendat; minime tamen in Deo valere poteſt, niſi ejus deſtruamus libertatem. Neque enim Deus majorem, nec intenſiorem habere poteſt idearum copiam, nec majorem objectorum bonitatem, majores in ipſo objecto cognoſcendo proprietates, efficere. Omnia namque nuda, & oculis ſuis aperta ſunt, ut nihil eorum latuerit. Quo ergo pacto liber, qui neceſſitate quadam agere teneretur, quique in eligendo majori rerum perfectione duceretur? Huc adde, quod in terminis repugnemus, dum Mundum alium perfectiorem eſſe fatemur, nec tamen a Deo procreari potuiſſe affirmemus. Nihil enim poſſibile, quod non cauſam dicat, ex qua procreetur. At quæ cauſa Deo potentior erit, quæ, quod non poteſt Deus, producat? Quare certum, & evidens eſt, opinionem Leibnitii manifeſtam contradictionem involvere, & infinitam Dei omnipotentiam coercere, ſi Mundus in ſe optimus eſſe dicatur.

50. Quare equidem exiſtimo, non hoc certe voluiſſe Leibnitium, ſed ea ſolum de cauſa optimum Mundum dixiſſe, quia nullus eo quidem aptior ad aſſequendum finem, quem ſibi Deus in rerum omnium procreatione propoſuit. Neque vero quidpiam aliud evincunt ipſius argumenta, niſi Mundum ad propoſitum finem aſſequendum optimum, & numeris omnibus abſolutum fuiſſe. Quæ opinio mihi quidem certa eſt, ſi in rerum creatione ipſarum tantum ordinationem ad finem a Deo præſtitutum aſſequendum, & determinatam

glo-

gloriam, quam ſibi propoſuit, obtinendam inſpiciamus. Omnes itaque naturæ, quas in hoc terrarum orbe conſpicimus, ſic inter ſe nexæ, & jugatæ eſſe debent, ut ea conſentione finis unicus aſſequatur. Et vero quis dubitet, quin ſic aptiſſime illæ quidem diſtributæ ſint ad finem a Deo propoſitum aſſequendum, ut & ipſi neceſſario reſpondeant, ut nec quidpiam abſit, aut adſit, quod impediat finis conſecutionem? Cuncta enim, quæ a Deo condita ſunt, ad illam gloriam oſtendendam, quam ſibi propoſuit, aptiſſima, & maxime convenientia ſunt. Nec enim Deo quiſquam ſapientior, aut Omnipotentior haberi poteſt. Quis enim admirabilem cœli ornatum, converſiones Aſtrorum incredibiles, & corporis humani fabricationem contempletur, qui non Dei gloriam, bonitatem, ſapientiam, & omnipotentiam agnoſcat?

51. Quamobrem ſi Deus ea omnia, quæ ad finem aſſequendum neceſſaria ſunt, minime condidiſſet, certe aliquid ad finis conſecutionem defuiſſet, atque adeo is quidem obtineri neutiquam potuiſſet. Si vero quidpiam perfectius produceret, finem ipſum, quem ſibi propoſuit, excederet, & ſuperaret, majoremque, quam vellet, gloriam oſtenderet. Quo enim res aut magis, aut minus perfectæ ſunt, eo magis, vel minus Dei gloriam, & excellentiam externam demonſtrant. Quo igitur pacto omnipotentiſſimus, & perfectiſſimus Deus haberetur, qui velle poſſet id, quod aut non attingeret, aut finem ipſum quodammodo ſuperaret, quem ſibi in rerum creatione propoſuit? Ex quo evidenter arguitur, Deum ſic omnia aptare, & ordinare debuiſſe, ut nihil impedierit conſecutionem finis, & nihil propterea abeſſet, quod finem attingeret, nihil, quod ſuperaret, adeſſet. Atqui, ſi mundus perfectiſſimus non eſt ſaltem ex fine a Deo præſtituto, quidpiam revera vel deeſſet, vel ſupereſſet, ut finis propoſitus haberetur, nec omnis propterea gloria, quam ipſe vellet, oſtenderetur, ſed aut major, aut minor pateſieret. Quod utrumque, cum æque Deum dedeceat, Mundum hunc omnium poſſibilium optimum ad finem a Deo præſtitutum prædicare compellimur.

52. Sed jam Leibnitianorum argumenta videamus. Et pri-

primo quidem ultro, libenterque fatemur, Deum, quidquid molitur, ſumma cum ratione moliri, finibuſque aptiſſima media accomodare, quod certe nihil aliud, niſi noſtram propoſitionem evincit. Illud vero negamus, Deum ex ratione ſufficiente, a rebus ipſis petita agere debuiſſe. Hoc enim Dei perfectiſſimam eriperet libertatem. Quare omnis ratio ſufficiens, cur Deus hunc mundum potius, quam alium effecerit, procrearit, & hanc potius gloriam, quam aliam quæſierit, ab ipſius dumtaxat libera electione petendum eſt. Quapropter errant, & quidem, opinor, vehementer Leibnitiani contendentes Deum finem optimum intendere debuiſſe. Quod temerarium eſt dicere, cum infinita Dei virtus, & potentia vires rerum omnium, & perfectionem ſuperet, atque ex ſe ipſo perfectiſſime beatus eſſet, nec cujuſcumque gloriæ externæ privatio quidpiam de ipſius infinita, & ſempiterna beatitate detraheret.

53. Quapropter gloriam externam cum eſſentiali Dei gloria aperte confundunt Leibnitiani, quarum alteram, quia a Deo nullo modo diverſa eſt, neceſſario Deus ipſe vult, & amat, & intendat, oportet, ſine qua nec perfectus, nec beatus eſſet; alteram, quia ex creatarum rerum perfectione ſolum oritur, velle poteſt; verum tamen minime neceſſario vult, quia ipſius felicitatem non auget, ſine qua propterea æque feliciſſimus, & beatiſſimus haberetur. Ut enim gloriæ externæ privatio, quæ ex creatione hujus Mundi conſurgit, nihil quidpiam de Dei felicitate detraheret, ut & ipſi Leibnitiani fatentur, qui Deum libere Mundum condidiſſe volunt, ſic nec cujuſvis externæ gloriæ privatio felicitatem imminuit, nec productio ipſam auget. Deus itaque in Mundi creatione non minus, quam in finis electione liberrimus fuit, ex cujus ſolummodo voluntate petendum eſt, ut hunc potius finem, quam alium ſibi propoſuerit, & hunc Mundum potius, quam alium effecerit, procrearit.

54. Nec tamen hunc mundum præ cæteris perfectioribus plus amat, nec inſipienter agit, cum minus bonum, & imperfectius præ meliori, & perfectiori eligit, quod erat alterum Leibnitianorum argumentum. Duplex namque

eſt

eſt amoris genus; quorom alterum *æſtimationis*, alterum *beneficentiæ* dicitur. Et illo quidem Deus res perfectiores plus diligit; hoc autem res etiam imperfectiores poteſt plus amare, & diligere. Neque enim Deus a finita perfectione rapitur, ut ſuam ipſi beneficentiam impertiatur. Liber quippe fuit in rerum omnium creatione; non autem liber, ſi amore beneficientiæ res perfectiores amare teneretur. Nec tamen inſipienter agit, dum libere, & pro ſuo arbitrio, & poteſtate agit, & ex pondere liberrimæ ipſius voluntatis compulſus, ut hunc finem potius, quam alium ſibi ex rerum creatione proponat. Poſito autem fine, inſipienter quidem ageret Deus, ſi optimum non eligeret ad finis conſecutionem, ſive id in ſe perfectum, ſive minus perfectum habeatur. Ita quiſquis ſapiens librariam officinam ingreſſus librum minus bonum præ meliori eligit, quem tamen magis idoneum deprehendit ad finem, quem maxime intendit, obtinendum. Ex quibus omnibus palam, & perſpicuum eſt, opinionem Leibnitii, ſi quemadmodum a nobis, ea intelligatur, nec divinam coercere libertatem, nec circumſcribere omnipotentiam, nec in terminis repugnare, Mundu hunc, poſito fine, optimum eſſe, & tamen alium longe perfectiorem poſſibilem, & a Deo creari potuiſſe.

CAPUT IV.

De Providentia Dei.

55. DEum providentiſſimum eſſe, & Sacræ litteræ teſtantur, & ratio ipſa aperte loquitur, & declarat. Etenim cum Deus cuncta, quæ fecerit, gubernet, itemque ſapientiſſimus ſit, ſanctiſſimis, & præſtantiſſimis finibus optima ſubſidia adjungat; cur non ergo providus? Quare providentiam Dei in duas veluti partes partimur; quarum alteram *communem*, alteram *ſingularem* dicimus. Et illa quidem toti rerum univerſitati conſulitur; hac vero ſeorſim ſingula adminiſtrantur, ſingulorum procurantur bona, & mala ſubmoventur, Quapropter Deus providentiſſimus eſt, qui Mundum,

quem

quem potentiſſime procreavit, ſapientius non minus regit, quam aſſidue adminiſtrat. Etenim quidquid eſt, atque in hoc terrarum Orbe conſpicitur, tum conſervat Deus, deinde ad ipſas rerum creatarum actiones efficiendas concurrit, tum denique gubernat, & ad finem, quem ſibi propoſuit, aſſequendum rite, & ſapienter diſponit: quibus profecto rebus providentia maxima, & Mundi adminiſtratio perfectiſſima continetur. Quid ni ſumme Deus providus? Tacitus præterea animi ſenſus, & anticipata quædam notio de providentia Dei graviſſimum in rem præſentem ſufficit argumentum. Etſi enim quis Dei providentiam verbo inficietur; re tamen fateri cogitur, cum numquam poſſit una cum verecundia exuere conſcientiam, cujus aſſidua, nec interrupta voce de Dei providentia admonetur. Certa namque, & evidens, atque animis noſtris inſculpta, & penitus inſita notio illa eſt, qua Deum res noſtras curare ſentimus; quæ quamvis proſperis rebus, ut ſapienter Lactantius, nonnihil debilitetur; tamen ſi gravior neceſſitas preſſerit, ſi belli terror infremuerit, ſi frugibus imbrem Cœlum negaverit, ſi ſæva tempeſtas, ſi famis, ſi peſtis advenerit; tum demum ad Deum confugimus, tum opem expoſcimus, tum denique fateri cum Virgilio cogimur.

„ Oh! qui Rex hominumque, Deumque
„ Æternis regis imperiis, & fulmine terres &c.

56. Nihilominus nonnulla declaranda ſunt, quæ contra Dei providentiam congeruntur. Et primum quidem: ſi Deo res homimum curæ ſint, quare genus humanum, cui certe conſultum oportuit, tot malis divexatur? Cur ſubjacet tot morbis, tot fortuitis caſibus, tot incendiis, naufragiis, innumeriſque calamitatibus, quibus prævidendis, & propulſandis nullum ſæpe præſidium ſuppetit? quæ cum deinceps ſine ulla hominum culpa accidant, quo pacto cum divina providentia cohærent? Optime, inquam. Nam in primis, ut ait Tullius " prætermiſſis bonis malorum accuſatio, vi„ tiorumque ſelectio non recta accuſatio eſt; cur infinita „ illa reticentur, in quibus Dei providentia luculenter elucet? " Illud præterea addimus, hæc, & ſimilia, quæ afferri poſſunt, mala, quamquam in ſe mala appareant, & ve-

ro

ro imperfecta ſint, non quia mala libere agit, & permittit Deus, ſed quia utilia ipſi Homini ſunt, & maxime apta ad illum finem ab ipſo præſtitutum obtinendum. Si quidem avocant cogitationes hominum a rebus creatis, atque ad virtutem, reſque ſempiternas conſectandas, & deſiderandas traducunt, erga Deum fiduciam noſtram exercent, delendis peccatis deſerviunt, & pejorum ſæpe remedia ſunt. Quam multi enim immature idcirco rapiuntur, ne deinde in æterna ſupplicia devolvantur? Quare deſinat Epicurus illud trilemma auribus inculcare: *Deus aut vult tollere mala, nec poteſt, & imbecillis eſt; aut poteſt, nec vult, & invidus; aut nec vult, nec poteſt, & Deus non eſt*. Nam ſi velit, poteſt tollere; libere tamen relinquit, tum ne jura libertatis evertat; ſunt enim naturæ liberæ ea omnia quaſi conſectaria quædam, & virtutum omnium inſtrumenta; tum quia utilia perſæpe, quandoque etiam maxime neceſſaria ad adipiſcendam, obtinendamque felicitatem.

57. Deinde ſi Deus tangatur hominum fatis, cur quoſdam patienter ſinit accumulare crimina criminibus, & quaſi delicatior in aliis ſe præbet, & primum, vel alterum peccatum pænis, & exitio graviſſimo mulctat? Anne hæc æqua in omnes clementiæ diſtributio, anne hoc ſincerum benefaciendi ſtudium? Fateor equidem, hoc argumentum efficax, & robuſtiſſimum eſſe, & hominis rationem, & penetrationem fortaſſe ſuperare. At quis Dei conſiliarius fuit, ut poſſit de omnibus operibus ipſius, & finibus a ſe præſtitutis judicare? Illud vero certum, omnia Deum diſpoſuiſſe ſapientia, rexiſſe juſtitia, & miſericordia, & beneficentia erga Homines maxima permiſiſſe. Itaque cum Auguſtino dicimus, *melius judicavit de malis bona facere, quam mala nulla eſſe permittere*. Et vero ſi fines, quos Deus in rerum effectione habuit, quantum humana mente conſequi licet, perſcrutari velimus, quidpiam ſemper bonum, & utile reperiemus, quod Deus in permiſſione malorum ſibi proponere potuiſſet. Siquidem impios homines fortaſſe patienter tolleraт Deus, vel quibuſdam ipſorum bonis operibus, vel Sanctorum præcibus, vel ut tandem aliquando reſipiſcant; adeo,
ut

ut aliquid bonitati, & providentiæ ſuæ ſanctiſſimæ conſentaneum ſemper conſequatur. Contra vero repentina morte quoſdam e medio tollit, ne peccandi licentiam confirmet, rapitque ſceleratum, quem fortaſſe ſciat, ſi vitam produceret, admiſſurum in ſe majora ſcelera, atque acerbioribus ſuppliciis plectendum fore; id quod miſericordiæ potius, quam ſevitiæ argumentum eſt.

58. Tertium, ſi Deus genus humanum legibus obligare voluiſſet, quibus ad propoſitam beatitudinem perveniret; cur eas omnes multis gentibus minime explicavit? Cur Nationes plurimæ ita efferatæ, & immanes reperiuntur, ut ea honeſta ducant, quæ Naturæ legibus adverſantur? Plures namque Nationes ſunt, quæ infantes, quos educare nolunt, frigori, & mediis beſtiis exponunt, ſenes, deſperata valetudine in foveam dejiciunt, liberos Diis immolant, & ſexcenta innumera hujus generis flagitia cum natura ipſa pugnantia admittunt.

59. Verum hæc quidem omnia, ſi in examen revocentur, cum divina providentia vel maxime cohærent. Etenim ſi hujuſmodi Populi natura id faciant, cujus veras leges nulla ſua culpa ignorent, non utique fraudi vertendi ipſis erunt immanes illi, & ſævi mores, nec quidpiam habebunt propterea, cur adverſus Deum conquerantur; ignoratio namque invincibilis legis naturalis excuſat a peccato: id quod adverſus Bajum, & Janſenium definivit Eccleſia: quamquam ſine vitio Naturæ prima principia, legeſque vix invincibiliter ignorari poſſe fateamur. Quapropter ſi qui ſunt abſurdi in populis errores, moreſque inſtar pecudum, hi profecto non ex providentiæ divinæ vitio, ſed ex ipſorum propriis cupiditatibus, & ex effrænata licentia peccandi proficiſcuntur.

60. Fatemur tamen difficile admodum ſæpe eſſe, legum generalium, ſive communium in eventibus ſingularibus applicationem; unde tanta morum varietas interdum exiſtat. Quod autem Deus ſuarum legum Interpretes aliquibus populis providerit, non autem aliis, facit id quidem ſapientiſſime, & pro ſumma, quam in genus humanum habet, poteſtate; quamquam vix Natio aliqua reperitur, quæ non

 pec-

peccato, & vitio ſuo ſit ejuſmodi interpretibus deſtituta; *In omnem enim terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

61. Quartum: indignum majeſtate divina videtur, ut cuncta etiam minima, & viliſſima per ſe ipſum adminiſtret. Rectius itaque Epicurus, qui Deum voluptate ſua beatum, & contentum in otio conſidere, & quaſi deliteſcere arbitratur. Hæc impii: quaſi vero Deus, quæ agit, & molitur, labore, & moleſtia moliretur, & faceret; cui omnia præſentiſſima ſunt, & quæcumque voluit, unica, & ſimpliciſſima voluntatis actione decrevit, creavit, conſervat, & adminiſtrat. Ut enim viliſſimarum rerum procreatio, ſic & ipſarum providentia adeo nihil de dignitate, & felicitate Dei detrahunt, ut contra omnipotentiſſimam ipſius potentiam, & divinam pariter ſapientiam mirum in modum oſtendant. Quod quidem facile quiſque ſibi ſuadebit, qui Deum immenſum, cuncta pervidentem, & pervadentem, & potentiſſimum deinceps fore judicavit, qui nec fatigetur cura, nec flectatur labore, nec rerum viliſſimarum adminiſtratione a reliqua Mundi gubernatione avocetur. Quocirca res omnes invicem nexæ, & jugatæ ſunt, mutuo conſequuntur, & ad finem, quem Deus ſibi propoſuit, ſic accurate reſpondent, ut ſi una tantum deeſſet, vel leviſſima quidem, minime finis aſſequeretur.

CAPUT V.

De Religione generatim.

62. PEr Religionem cultum ſummi honoris, & obſequii intelligimus, quo Deum pura, integra, & incorrupta mente veneramur: qui ſi vitioſus fuerit, hoc eſt, ſi vel ex erroneis circa naturam colendam opinionibus proficiſcatur, vel ei, cui non debetur, præſtetur, vel ritibus abſurdis, & a re, quæ colitur, abhorrentibus exhibeatur, ſuperſtitioſus erit, & tota Religio vana, & ſuperſtitioſa nominatur, quæ & ad Atheiſmum ducit, vel potius eſt totius Atheiſmi fundamentum. Satius quippe fortaſſe eſt, nullos, quam

Deos

Digitized by Google

Deos impios, & crudeliſſimos venerari. Religio autem vera in duas partes deinceps dividitur, quarum altera *naturalis*, & homini inſita, & una pene nata cum ipſo eſt; altera *revelata* dicitur; quippe quæ cum myſteria contineat, quæ ratione humana conſequi non poſſunt, tum ab ipſo Deo hominibus fuerit comunicata. Evidens itaque eſt, Religionem revelatam naturali omnino præferendam eſſe, tum quia majoribus nitatur teſtimoniis, auctoritate nimirum Dei infallibili, tum quia ea imbecilitati humanæ mentis, undique arctis limitibus circumſcriptæ, conſulatur, ut de Deo digna, & juſta loqui non minus, quam ſentire, ipſumque quodammodo contemplari, & perſcrutari queat.

63. Utramque vero Religionem in duas alias quaſi partes ſubdividimus, *Theoreticam* ſcilicet, & *Practicam*; quarum illa poſtulat, ut recte de Dei natura, & attributis ſentiamus; hæc autem, ut ipſum Deum diligamus, & veneremur, atque hoc totum externis ſignis, atque indiciis teſtemur. Quare dicimus, Deo ſolum deberi Religionem, quæ tum interno cultu, tum externo conſtet; quæ propoſitio certa eſt. Nec vero poſſumus dubitare, Deum perfectiſſimum eſſe, & ſumme beneficum, fontem, & originem felicitatis humanæ, qui cum omnia condiderit, tum omnia conſervat, gubernat, & ſua providentia admirabili adminiſtrat, atque ad finem a ſe præſtitutum aſſequendum diſponit. Quid autem certius, quam huic ſummum honorem, & obſequium deberi, atque hoc externis ſignis neceſſario declarandum? Et vero ſi arcta ſanguinis neceſſitudo, & beneficentia ſuo quaſi jure poſtulat, ut parentes, natuque majores omni officii genere proſequamur; idque declaremus, & mutuis officiis, & externis ſignificationibus; nonne ipſa natura duce compellimur, ut hæc ipſa multo cumulatius, & ferventius communi omnium parenti, & auctori Deo præſtemus? Quocirca gentes, & omnes nationes, quæ Dei notionem habuerunt, (habuerunt autem omnes) cultu eum externo proſequutæ fuerunt, & ritibus, & ſacrificiis, & externis ſignificationibus coluere. Ex quo apparet, inſitum etiam eſſe humanæ menti de externa Dei Religione judicium; communis namque naturæ vox, lex naturæ putanda

 eſt,

eſt, quam nullo modo didicimus, ſed ex ipſa natura arripuimus. Atque hinc perſpicuum eſt, Religiones illas omnes falſas eſſe oportere, in quibus vel plures Dii coluntur, vel pravæ, & indignæ de Deo exiſtunt opiniones, vel amor ſummus, & obſequium, cujus hominis animus capax eſt, minime tribuatur. Quod quidem perfectiſſimam illam naturam dedecet quam maxime: quamquam error non tam in ipſa, ut ita dicam, Religione, quam in ritibus potius ſuperſtitioſis Religionis ſitus eſſe videatur.

64. Sed dicit Epicurus, & qui eum ſequuntur, recentiores Philoſophi de grege porcorum Epicurei, quorum plures his noſtris temporibus inveniuntur: Hominum genus vel maxime religionibus perturbatur: innumera bella, & ſcelera eadem de cauſa ſuſcipiuntur; produntur parentes, amicitia, patria; omnia denique divina, & humana violantur; quæ omnia certe externam ſaltem Religionem eſſe e medio tollendam evincunt, nec a Deo poſtulari poſſe. Atque hoc quidem illud argumentum eſt, quod centum oris Philoſophorum perſonat, & ultra modum augetur. Quo tamen nihil debilius, aut ineptius fortaſſe. Si quid enim probare poſſet; illud vero probaret, tollendas omnino eſſe hominum ſocietates, & ferarum inſtar montibus, & Silvis habitandum. Nam quis ignoret ob ſocietates plurima bella, & prælia ſuſcepta fuiſſe? Quare dicimus, ea omnia incomoda non ex ipſa Religione, ſed ex pravis hominum cupiditatibus, & moribus efferatis oriri. Qui ita argumentantur, ii profecto ignorant, vel ignorare ſe ſimulant, nihil eſſe præſtabilius Religione, eamque omnium ſocietatum vinculum, & fundamentum eſſe; ſiquidem ſupra monſtratum fuit, Atheorum Rempublicam, quæ nulla Religione niteretur, exiſtere nullo modo potuiſſe. Itaque Religio in quocumque ſtatu hominem comitatur, ſive eum in ſocietate conſtituas, ſive in ſilvis ſimul cum belluis cohabitare velis.

65. Quocirca Philoſophi omnes in id omnino conſentiunt, qui quamvis de Deo indigna ſæpe, & prava ſenſerint, tamen Religionem aliquam, quæ vinculum perfectiſſimum ſocietatis eſt, & externam Deorum venerationem Reipublicæ ſaltem cauſa retinendam eſſe voluerunt, ut quos leges,

&

& ſuplicia non poſſent, eos ſaltem in officio Religio retineret. An autem qui ſilvis ſolus habitaret, a cæterorum Hominum conſuetudine ſejunctus, cultu quodam externo Deum colere teneatur; non ita certum.

66. Nec vero neceſſitas in cultu externo ex eo tollitur, quod Deus omnia rimet, & penetret, & omnium deinceps cordium perſcrutator ſit, & hominum cogitationes intelligat. Certiſſimum namque eſt Deo O. M. cultum deberi maximum; qui cum præterea more humano ipſi tribuendus ſit, nec niſi quibuſdam ſignis, & externis ſignificationibus exhiberi poſſit; ecquis erit, qui dubitet deneceſſitate externæ Religionis. Quapropter omnes Homines non ſolum Deum amare, & venerari totis animi viribus debent, ſed etiam, quantum in ſeipſis eſt, efficere, ut omnes ad eundem amorem excitentur, & inflamentur; id quod certe fieri nullo modo poſſe vident, & perſpiciunt omnes, ſi cultu externo Deus minime coleretur. Quid quod nonne homines conſtituere poſſunt, & vere conſtituunt ſocietatem quamdam fidelium, cujus Deus ipſe caput, & moderator eſt? Quæ autem ſocietas eſſe poteſt, quæ minime externis quibuſdam ſignis vinciatur, & non mutuis, & externis officiis foveatur? Quo auttem pacto hoc cultu quodam externo extare poteſt. Quæ cum ita ſint, negari profecto non poteſt, quin Deo debeatur Religio, quæ cultu non minus interno, quam externo conſtet; idque præſertim ſi Hominem in ſocietate poſitum contemplemur. Verum hæc quidem hactenus de Religione generatim.

67. Nunc vero in ipſius Religionis veritatem inquirendum eſt; quæ tanta eſt, ut cum ratione inſanire videretur is, qui eam fallacem, & in errorem inducere oſtendere conaretur. Etenim Religio naturalis illa dicitur, quæ de Deo tum quid ſentiendum, tum quid faciendum præſcribit, quod ipſa ratione præeunte, & magiſtra conſequimur. Quis autem ratione duce, & Magiſtra impelli in errorem poteſt. Ex quo evidenter confiteri compellimur, Religionem naturalem non modo veram eſſe, verum etiam neceſſario veram? Et quidem pars theoretica Religionis naturalis docet, immortales eſſe hominum animos, liberos, mereri, & deme-

reri eos poſſe, & ad ultimum quemdam finem ordinatos eſſe: Deum præterea unicum, immenſum, æternum, & prorſus Infinitum, cujus bonitate, & ſapientia hæc rerum omnium univerſitas gubernatur: juſtum præterea ut improbos pæna, & ſuppliciis, probos vero, & juſtos muneribus, & præmiis afficiat; quæ omnia certiſſima ſunt, & ſola ratione quam evidentiſſime conſtant, & perſpicua fiunt.

68. Pars vero altera, quæ practica dicitur, jubet Deo O. M. amorem, & obſequium, & ſervitutem exhiberi maximam; quæ omnia cum Dei æquitati, & ſapientiæ, tum naturæ hominum conſentanea eſſe, is ſolus poterit inficiari, qui operam det, ut cum ratione inſaniat. Quamobrem Religiones omnes, quæ huic naturali Religioni opponuntur, veræ eſſe non poſſunt, & vero rejiciendæ ſunt. Itaque & Ethnicam, & Mahumedanam Religiones fallaces, & erroris plenas eſſe dicimus, quarum altera fœdiſſimis ſuperſtitionibus maculata, ut nihil ea turpius ſit, aut magis rationi inimicum; altera ex hebraica, Chriſtiana, & ethnica Religione male conſarcinata per ſe ipſa fatiſcit, & ſuis ipſa dogmatibus impugnatur, ut inutile prorſus videatur, longiorem de hoc quæſtionem inſtituere.

69. An autem Religio naturalis perſe ipſa ſufficiat, & apta ſit, tum ad mores Hominum rite inſtituendos, tum ad ultimum finem aſſequendum, acriter apud Philoſophos diſputatur. Hanc autem quæſtionem, quæ graviſſima eſt, penitus exhaurire, & evolvere brevitas, & inſtituti noſtri ratio non ſinit; integram vero prætermittere dignitas argumenti non patitur. Quare dicimus Religionem naturalem per ſe nullo modo ſufficere, tum ad omnia ejus dogmata demonſtranda; tum ad finem ultimum prorſus aſſequendum. Revelatio itaque, & quædam divinitatis communicatio neceſſaria fuit, quæ mentis aciem firmaverit, eoque direxerit, ut ſua ipſa mens ratione minime abuteretur, & de rebus, pro ut revera ſunt, non pro utilitate, aut cupiditate judicaret. Et vero quamvis mens humana omnia Religionis naturalis principia aſſequi poſſit, nullumque ſit, quod ipſius aciem, & penetrationem effugiat; ea tamen omnia comprehendere, & illa certitudine, & evidentia minime poteſt comprehere, quæ

ad

ad mores Hominum informandos, vitamque rite inſtituendam omnino neceſſaria eſt. Etenim ardua, & difficilis res eſt, in eventibus ſingularibus principia generalia, & maxime communia applicare, juſtaſque ex ipſis conſecutiones deducere, ut ſepe aqua hæreat, nec ſimus de veritate ſecuri. Atque hinc illa opinionum varietas oritur, quæ nulla eſſet profecto, ſi quemadmodum principia, principiorum æque certas, & infallibiles conſecutiones videremus. Itaque quamvis mens humana principia omnia rectitudinis, & honeſtatis percipiat, eaque ipſi ingenita, & ingenerata ſint, de omnium tamen humanarum actionum honeſtate, & turpitudineidem ferre judicium neutiquam poteſt. Itaque de ipſarum honeſtate dubitet, neceſſe erit: quæ dubitatio illam certitudinem, & evidentiam excludit, quæ ad mores Hominum informandos, vitamque rite inſtituendam requiritur. Atque hæc quidem argumenta ejus generis videntur eſſe, quæ divinæ revelationis neceſſitatem evincant etiam pro illo felicitatis ſtatu, in quo Hominis ratio, ſive pars ipſius ſuperior, ut Scholaſtici amant dicere, Deo ſubjiciebatur; appetiones autem rectæ rationi, ut nihil in ipſo turbatum, nihil inflamatum, nihil diſcor eſſet, nec cupiditas umquam rationem anteverteret, ſed eam tamquam famula, & pediſſequa ſequeretur. Ut ut autem hoc ſit, quod definire non poſſumus, cum vix duraverit ille felicitatis ſtatus; illud vero certum, & evidens, hujuſmodi argumenta neceſſitatem divinæ revelationis prorſus evincere pro præſenti infelicitatis ſtatu, in quo ut graviter, & ſapienter Leo magnus" voluntas Hominis vaga, incerta, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, honoribus tumida, curis anxia, ſuſpicionibus inquieta, gloriæ, quam virtutum avidior, famæ quam conſcientiæ diligentior, & per omnem ſui experientiam miſerior fruendo his, quæ concupierit, quam carendo, nihil in ſuis habet viribus, niſi periculi facilitatem; quoniam voluntas mutabilis; quæ non ab incommutabili regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni." Lib. 1. cap. 6. *De vocatione gentium*.

70. Et vero qui, quantum valeat voluntas, ad mentem,

& rationem inflectendam, perpenderit; is facile ſuadebitur, omnem rationem penitus conticeſcere, ubi ea inordinatis cupiditatibus inflametur, ut id verum putet, & juſtum, & ſanctum, quod utile ſibi, & bonum videatur. Ut enim oculus, ſi nihil officiat, aut corrumpat, iis viribus, quibus primum præditus eſt, objecta intra ipſius ſphæram poſita ſumma claritudine perſpicit; ſi vero aut nervus opticus obſtruatur, aut humor chryſtallinus denſior evadat, aut ab objectis removeatur longius, & morbis purgari debet, & novis indiget viribus, ac mediis; ita mens, & ratio Hominis, quæ oculo quam ſimillima eſt, ſi corpori quodammodo mancipata ſit, remotaque ab æternis objectis, & vanis erroribus depravata, medico eget, & roborari, & ſuſtineri, & dirigi oportuit, ut juſta Religionis naturalis principia invenerit, ac in ſuo vero lumine collocarit. Satis id quidem luculenter apparet tum ex innumeris, & abſurdis, ac inter ſe repugnantibus opinionibus, in quibus miſere delabuntur hi, qui ſolum rationis lumen, tot erroribus, & cupiditatibus obcæcatum, ſequuntur, tum ex ipſa difficultate nonnulla Religionis naturalis principia demonſtrandi. Atque hoc quidem poſtquam mens & ratio noſtra divinæ revelationis radio, & lumine illuſtrata, & roborata fuit.

71. Itaque ea in primis ſejungenda ſunt, quæ divina revelatione comperimus, ab iis, quæ naturali tantum lumine aſſequuti ſumus. Uſu namque perſepe evenire ſolet, ut rationi ſolummodo tribuamus, quod Fidei acceptum referre debebamus. Patuit hoc quidem in Juliano, Maximo, Porphirio, Jamblico, aliiſque recentioribus Philoſophis, qui divinis jam oraculis edocti, atque illuſtrati ſaniora de Religione ſcripſerint, quam priſci illi Philoſophi, qui de ea ſolo rationis lumine diſceptarunt. Ad horum autem ætatem animum revocare debemus, ut conſtituere poſſimus, quantum ad Religionem demonſtrandam mens, ratio, & natura valeat; quamquam ne veteres quidem Philoſophos omni prorſus revelatione caruiſſe, mihi quidem certiſſimum eſt. Hebreorum namque libri ad ipſos pervenire potuerunt, imo & perveniſſe, & eos perlegiſſe Philoſophos non levibus conjecturis, & fundamentis comprobatur.

72. Ni-

72. Nihilominus in tanta ſunt varietate, atque adeo inter ſe diſſident tum in definienda Dei natura, tum in finibus bonorum explicandis, in quibus rebus vel maxime nititur Religio naturalis, ut longum foret ipſorum numerare ſententias, errores, & deliramenta. Sed quid dicam de abſurdis Populorum moribus, ut omnem cum verecundia mentem, & rationem exuiſſe videantur? Quem enim non pudeat turpitudinem myſteriorum Eleuſinorum, Orphicorum, Dianæ, & aliorum deſcribere? Quis baccanalia commemorer, quæ ebrietatis, impudicitiæ, & omnis libidinis exercitationes erant; quæ ut primum Romam inducta ſunt, a Senatu proſcripta fuerunt, tamquam probrum, & fœdiſſimum Civitatis dedecus? Quis ferat ſceleſtiſſimos Homines, & crudeliſſimos ad dignitatem Deorum evectos fuiſſe? Quis non indignetur, cum publicas Meretrices Lupam, Faulam, & Floram, Lupanarium magiſtras, a Romanis publico cultu donatas fuiſſe? Sed quid dicam de Venere, cujus impuriſſimos amores theatra omnia perſonabant? Sed eſt & aliud minus ferendum, & quod omnes gentes horrere debuerant, Religionem nempe, quæ ad efferatos Hominum animos emendandos, eoſque mitiores, juſtiores, & temperatiores efficiendos, conſervandumque humanum genus, & ſalvandum, non ſine maximo Dei benficio data eſt, in ipſorum perniciem converſam fuiſſe? Quis enim ignorat, integras nationes, & Populos, quorum pluſquam triginta Euſebius commemorat in præparatione evangelica, & plures alias Viatores invenere, filios ſuos, & filias ſacrificaſſe, & immolaſſe Dæmoniis?

73. Tantum ſuperſtitio valet, ut ipſum rationis lumen penitus obſcurarit, extinxerit, eamque opprobrio obduxerit ſempiterno. Quod ſi ne in his quidem rebus, quas ipſa horret, & adverſatur natura, ratio Homines in officio continere potuit, nec efficere, ne quod aperte horridum, impium, & injuſtum ſequerentur; ecquis erit, qui putet, omnia Religionis naturalis principia ab imbecilla mente Hominis comprehendi poſſe, atque ea certitudine, & evidentia demonſtrari, ſine qua nec mores Hominum informari poſſunt, nec vitæ curſus dirigi, nec virtutis amore Homines inflamari?

Qua-

Quare deſinat Tindalius Deiſtarum patronus, & rationis amatores, quorum plures hoc ſæculo noſtro reperiuntur, Naturæ perfectionem extollere, & incredibiles ipſius vires. Perfecta quidem ea eſt; at ſumma cum imbecillitate conjuncta. Maxima ipſius vis ad diſcernendum verum, & ad veritatem natura ſua fertur, at cupiditatibus occupatur. Quidquid ipſa edicit verum, & rectum ſine dubio habetur; ac ne edicat, & ne vitium pro honeſtate traducat, plurima obſtant, & impediunt: quam propterea qui plus juſto extollunt, ipſi e regione opponuntur evidentiſſime.

74. Sed quamquam divina revelatio omnino neceſſaria ſit ad omnia naturalis Religionis principia demonſtranda, viteque rationem rite inſtituendam, minime tamen ea neceſſaria ad ſalutem credenda eſt; nihil aliud profecto, poſtulante Apoſtolo, *quam accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt, & inquirentibus ſe, quia remunerator ſit*, nec vitio deinceps verti poſſit Homini, qui errore invincibiliter id, quod in ſe injuſtum, & inhoneſtum eſt, tamquam honeſtum, & juſtum operaretur. Maxime nihilominus divinæ providentiæ proprium, & conſentaneum eſſe dicimus, in tanta rerum obſcuritate, & infirmitate mentis humanæ, ut quæ per ſe Religio naturalis loqueretur, ipſe Deus oſtenderet, & doceret per ſe, quid Hominem ſentire, & facere vel maxime oporteret ad æternam felicitatem omni certitudine, ac evidentia adipiſcendam. Ex quo & neceſſitas non ſolum divinæ revelationis ad mores Hominum informandos, ſed ipſius revelationis exiſtentia, quam modo demonſtraturi ſumus, apertiſſime, clariſſimeque monſtratur.

CAPUT POSTREMUM.

De Religione revelata, & de Chriſtiana præcipue.

75. Religionem revelatam poſſibilem eſſe, is ſolus inficiari poterit, qui lumine rationis deſtitutus brutis animantibus quam ſimillimus videatur. Nec enim in eo aliquo apparet contradictio; quid ni ea poſſibilis? Deum autem loquutum fuiſſe, hominibuſque quædam dogmata tra-

tradidiſſe, quibus caſta, & pura mente coli, & venerari voluit, tam certum eſt, quam certum, & evidens ſit, fidem humanam aliquod pondus apud homines habituram. Quibus ita poſitis, & conſtitutis, de Religione Chriſtiana in hoc poſtremo capite agendum erit; quidquid enim de ea demonſtraverimus, de Hæbraica item Religione monſtratum erit. Sic enim altera cum altera juncta, & copulata eſt, ut ſatis ex eo conſtet Deum utriuſque Religionis Parentem, & Authorem extitiſſe, qui ſibi ſemper conſtans eſt, nec ſibi contrarius eſſe poteſt. Itaque Hæbraica Religio typus, & umbra fuit Religionis Chriſtianæ; cujus omnia vaticinia, myſteria, & cerimoniæ Chriſtum venturum prædicabant, qui totius revelationis initium, & finis fuit, & verum, & unicum complementum.

76. Religio itaque Chriſtiana illa dicitur, quæ ab Auctore Chriſto profecta ritus, & inſtituta continet in libris novi fœderis comprehenſa; quorum præcipua ſunt Chriſti acerbo ſuplicio mors, mortis ad vitam reditus, & præclarus de morte ipſa triumphus; miracula præterea, præcepta, & miranda, & divina prorſus doctrina, & geſtorum ipſius mirabilium memoria; quæ omnia ſi fixa, & firma fuerint, & fide humana prorſus certa, nulla profecto de chriſtiana Religione poterit eſſe dubitatio.

77. Demonſtratur itaque primo: Hiſtoria novæ legis eam habet certitudinem, quam profana quævis. Siquidem & pares, atque adeo firmiores characteres habet; auctores ſcilicet æquales, oculatos, probos, & inculpatæ vitæ homines, nullaque præterea cupiditate ductos. Nihil namque ea teſtificatione niſi tædia, dolores, graviſſima ſuplicia, & mortem denique acerbiſſimam ſibi poterant polliceri: ita deinceps firmos, & robuſtiſſimos, qui pro rerum geſtarum, quas literis conſignarunt, confirmatione omnia perferre, & mortem oppetere minime dubitarunt. Auget præterea fidem ipſa rerum deſcriptarum natura. Quæ enim narrantur, res erant in omnium oculis poſitæ, & in publico Judeæ theatro geſtæ, eodemque in loco continuo pervulgatæ, quin refellerentur, & a viris deinde graviſſimis omnibus continenter ſæculis communi, & mirabili conſentione probatæ,

atque

atque ad nos nuſquam interrupta ſerie tranſmiſſæ. Quem-
admodum ergo Cæſaris commentarios veros, & genuinos
eſſe credimus, quod & rebus, quas ipſe ſceribit, interfue-
rit, imo & præfuerit, & conſequentium deinde ætatum
teſtimonio illi quidem confirmati fuerint; quid ergo erit,
ut de veritate Hiſtoriæ Sacræ dubitemus?

78. Et in primis quidem Scriptores temporum illorum æquales habemus, ut patet teſtimonio ſummorum virorum Clementis, Policarpi, Papiæ, Ignatii Martyris, qui erant Apoſtolorum Auditores. Quorum ſubinde judicium ſucceſſores magna conſentione amplexi ſunt, Irenæus, Juſtinus, Origenes, aliique, tum Tertullianus, Ciprianus, Euſebius, Hieronymus; quæ ſummorum virorum auctoritas numquam interrupta fide, & integra ad noſtra uſque tempora continua ſerie, ac ſucceſſione permanavit, & exterarum etiam gentium, huic Religioni ſumma contentione adverſantium, calculo, & judicio comprobata fuit. Ergo cuiquam ne ſano potuit umquam in mentem venire, ſuppoſitis Auctorum nominibus fingi potuiſſe libros, qui totam Synagogam, & potentiſſimarum nationum Religiones everterent? Potuiſſe ne perſuadere Iudæis ſuarum legum tenaciſſimis, cæteriſque populis, poſthabita avita ſuperſtitione, fabulam, quæ & prodigiis plena erat, & inſtituta ad illum diem inaudita, prioribus everſis inſtitutis, indiceret? Atqui commentarii illi etiamſi atrociſſimis calumniis impetiti fuerint, numquam ea de cauſa reprehenſi ſunt, quod commentitii fuerint, quin potius hoſtes infenſiſſimi, & ipſius ætatis Auctores poſuere. Huc accedit, quod Hæretici, qui primis ſæculis adoleſcentem Religionem & ore, & literis crudeliſſime lacerarunt, numquam librorum autenticitatem in controverſiam adduxerunt; idque potiſſimum cum argumentis ex Hiſtoria Sancta petitis pleniſſime confoderentur. Quæ omnia ſi quod aliud, evidens certe, & robuſtum argumentum efformant, libros novi fœderis veros, & genuinos eſſe. Quod unum ſi detur, quod tamen negari non poteſt, ſi fides humana ſarta, tecta ſit, confecta res erit, & veritas Religionis inviciſſime, & ineluctabiliter demonſtratur.

79. Etenim miracula Chriſti, eiuſque Sectatorum invi-
ctum

ctum ſuppeditant veritatis Religionis Chriſtianæ fundamentum. Habent enim, uti monſtratum eſt, hiſtoricam omnem certitudinem, nec modo ea confutata non fuerunt, ſed ab ipſis etiam Fidei hoſtibus penitus comprobata, & ne indubium quidem vocata fuere. Erant præterea hujus generis miracula, ut non ſolum excederent naturæ leges, & Dei majeſtate, ſapientia, & bonitate digniſſima, verum etiam perpetua, per plura ſæcula continuata, palam edita, communiter, & conſtanter, & multis ante ſæculis prænunciata, & a viris Sanctiſſimis tum Dei nomine, tum in confirmationem doctrinæ puriſſimæ, atque caſtiſſimæ operata. Hæc autem omnia non minus evidenter evincunt, Religionem noſtram a Chriſto Domino inſtitutam fuiſſe, quam ipſam veriſſimam, divinam, & prorſus infallibilem eſſe. Neque enim Deus patrare poteſt miracula ad errorem confirmandum, niſi velimus Deum, qui Author miraculorum eſt, poſſe homines fallere, & in turpiſſimum errorem inducere. Nam quod majus, aut evidentius argumentum haberi poteſt ad loquutionem divinam oſtendendam? Nam ſi Deus loquutus fuerit, idque Hominibus voluiſſet oſtendere, quibus majoribus ſignis, & teſtimoniis uti potuiſſet?

80. At quid dicam de celerrima ipſius propagatione? Niſi enim Deus & ipſius Author, & propagator fuiſſet; num infinitis pene ſuperatis obſtaculis breviſſimo temporis intervallo propagari potuiſſet? Nam quæ promulgabatur doctrina, myſteriis plena erat, quæ ſola ratione comprehendi non poterant; neque minus hominum naturæ, propenſionibus, & deliciis inimica, quam repugnans Judæorum ritibus, Gentium exterarum ſuperſtitionibus, & inſtitutis, & diſciplinis arrogantium Philoſophorum. Evertebat præterea ſæculorum dominatione rata, & firma inſtituta, Religiones, mores. Fidei præterea erat impedimento cum Sapientium odium, & Populorum contemptus, tum minæ, edicta, ſuplicia ab Imperatoribus, & Gentium rectoribus ferociter intentata. Promulgatores deinceps hujus legis erant numero pauciſſimi, homines quidem ignari, & bonarum artium, & literarum ſcientia deſtituti; humiles præterea, obſcuri, ſumma

ma rerum omnium egeſtate, & viliſſima nati conditione. Nihilominus hæc tot, & tanta impedimenta victa, & ſuperata fuere, & Chriſti omnis Religio propagata fuit non una, aut altera Civitate, non uno Regno, aut Natione, ſed toto, qua late patet, Terrarum Orbe, eademque ad nos uſque integra, & incorrupta perſeverat.

81. Quod quidem fieri minime potuiſſet, niſi a Deo ipſo ea profecta, & inſtituta fuiſſet. Neque enim minus portentoſum eſt, & divinum quidpiam, & excellens arguit, quod de tot, tantiſque obſtaculis Religio breviſſimo tempore triumphaverit, quam quod longiſſimis ſæculis integra, & incorrupta permanſerit. Nihil enim ita firmum, & ſanctum eſt, quod ætas delere non poſſit, aut labefactare vetuſtas. Atque hoc quidem potiſſimum videmus in omnibus Religionibus ab hominibus inſtitutis, quæ aut breviſſimo tempore viguere, aut infinitis pene variationibus corruptæ fuerunt. Huc adde quod, quæ propagationi Religionis Chriſtianæ offerebantur impedimenta, non dignitatum pollicitationibus, aut opum, aut diliciarum, non vi, non dolo, non artibus malis ſuperata fuerunt, ſed natalium obſcuritate, abjectiſſima vitæ cenditione, novitate, ac ſeveritate doctrinæ, & eo quidem tempore, cum ipſius Religionis Auctor, & Magiſter infami ſupplicii genere e medio ſublatus fuit. Quis ergo ejus divinitatem non agnoſcat? Quis ſanus eum in dubium vertat?

82. Niſi enim Deus ipſe auctor extitiſſet, & Parens, num fieri potuiſſet, ut duodecim piſcatores divinitatem Chriſti, qui in latronum ſocietate crucifixus fuerat, Orbi Terrarum ſuaſiſſent? Temerarium id quidem, atque inſanum plane conſilium, ſi more hominum res æſtimari debeat. Nihilominus ea velocitate Religio propagata fuit, ut uno die octo mortalium millia ei nomen dederint; atque eo potiſſimum tempore id effectum fuit, cum Sanguine adhuc fumarent Carnificum manus, verſaretur in ore, & oculis omnium ignominia, & paſſionis dedecus, ſtaretque Crux infamiæ monumentum.

83. Poſtea per totam Judæam Fidei lumen diffunditur, penetravit deinde Græciam, Aſiam deinceps, & in omne

de-

demum Romanum Imperium invehitur: Corruunt inania Deorum ſimulacra, Templa deſtruuntur, ritus vetuſtiſſimi, & avitæ cerimoniæ antiquantur, totuſque fere terrarum Orbis breviſſimo tempore ab ignorantiæ tenebris, & erroris ad lucem veritatis, ab effrænata licentia ad morum integritatem, & ab impia ſuperſtitione ad Chriſtiana ſacra traducitur. Num hæc imbecillitatis humanæ, an divinæ omnipotentiæ argumenta ſunt; quæ ſola invincibiliter potuit de tot, tantiſque impedimentis, viliſſimis inſtrumentis, armiſque triumphare?

84. Ex quibus hoc breve, & evidens argumentum efformo: ſi ea, quæ pro Religione Chriſtiana argumenta protuli, evidenter non evincunt, Deum hominibus loquutum fuiſſe, nihil certe erit, quod Divinam poſſit revelationem arguere, neque eam hominibus Deus ulla ratione, ſi more humano uti velit, poterit demonſtrare; atqui hoc vel maximum abſurdum eſt. Quis enim in dubium vertat, quin Deus cum hominibus poſſit loqui, & ſignis externis ſuam loquutionem manifeſtare, certumque eum de ipſa reddere? Concludendum igitur eſt, propoſita argumenta divinæ revelationis exiſtentiam evidenter evincere.

85. Mitto infiita propemodum alia argumenta tum ex puritate, & ſanctitate doctrinæ petita, tum ex ſimplicitate una cum ſublimitate, qua geſta omnium, & dicta Servatoris noſtri narrantur, quæ manus impoſtorum effugiunt, cum ex ipſius Servatoris noſtri æquabilitate vitæ. Nec vero purus Homo ille, qui nihil umquam humile, aut abjectum egit, & ſummam, & infinitam potentiam cum manſuetudine, & comitate ſumma conjunxit. In quibus rebus pertractandis numquam quid dicatur, poteſt deeſſe, & quibus Apologiſtæ Religionis de omnibus ipſius inimicis triumfarunt. Quæ enim adduximus tanti roboris, & momenti ſunt, ut divinæ revelationis evidenter comprobent exiſtentiam.

86. Contra vero, quæ ab inimicis Religionis opponuntur, vix robur habent, & ſunt profecto leviſſima, & vix refellenda, præſertim ſi invictiſſimis pro Religione argumentis comparentur. Neque enim ſi aliquos libros antiquorum nonnulli ceu ſpurios repudiarint, veluti Lucæ Evangelium

Cerin-

Cerinthus, & Carpocrates: Joannis evangelium Alogi; acta Apoſtolorum, & Pauli Epiſtolas Severiani; & Cerinthiani, & alia alii, idcirco confecta res erit. Quod argumentandi genus, ſi valeret, eodem jure dicerem Herodoti hiſtoriam Conſtantini temporibus confictam fuiſſe, quia id Jacobo Gauderio placuit, Eneidem Virgilii a Benedictinis elucubratam, quod id voluerit Harduinus: quo certe nihil putidius, aut riſu dignius.

87. Nec majorem vim, aut robur habet aliud argumentum quo probare nituntur, libros novi fœderis corruptos fuiſſe, nec integros ad nos uſque perveniſſe; Quod quidem probant tum authoritate Victoris Tununenſis Epiſcopi Africani, qui narrat: *Meſſalla Conſule, Anaſtaſio Imperatore jubente, Sancta Evangelia tamquam ab Idiotis Evangeliſtis compoſita reprehenduntur, & emendantur*, tum ex variantibus, & multiplicibus ipſorum codicum lectionibus, quarum triginta millia ab VVeſtenio numerantur, cum vix totidem verba novum teſtamentum contineat.

88. Mirum autem eſt, quantum hujuſmodi argumentis triumphet Collinus; quæ tamen ſi rite ponderentur, nihil vero, niſi inopiam argumentorum contra Religionem demonſtrant. Nam primum etſi totum detur, non illud quidem evertit codicum integritatem. Neque enim Eccleſia, quæ ſemper in accurandis libris ſacris diligentiſſima fuit, Anaſtaſii illo codice utitur, ſed illo, quem per manus Apoſtolorum acceperat.

89. Quod autem ad variantes lectiones attinet, duplicis generis ſunt illæ quidem; rerum ſcilicet, & verborum; quarum illæ certe exiguo numero ſunt, nec ſyſtema deinceps doctrinæ evangelicæ incertum, aut dubium reddunt, nec hiſtoriæ evangelicæ veritatem. Ejuſmodi namque ſunt, quibus etſi careremus, & doctrinæ ſyſtema idem, & integram evangelicam hyſtoriam haberemus. Quid quod collatis veterum PP. libris ut Kunſterus, & Millius fatentur, integræ veritati reſtitui illæ quidem poſſint facillime. Quod quidem novi teſtamenti codicum integritatem comprobat luculentiſſime.

90. Verborum vero lectiones plurimæ, & variæ ſunt
&

& totum fere numerum abſorbent VVeſteni I. Quod quidem admirabitur nemo, qui cogitet decem ſupra quatuor ſæculis, quibus ars typographica ignorata fuit, infinita SS.ſcripturarum exemplaria deſcripta fuiſſe, nec ſemper ab accuratis, & doctis Scribis, nec mirum propterea, quod ipſorum incuria, & ignorantia plurimi errores irrepſerint. Huc adde, quod veteres quandoque PP. evangelicas ſententias memoriter citare ſoleant, quin loca conſulerint, dum ſcribunt; quod ſententias quaſdam, quas ex traditione dumtaxat habuerunt, veluti ſcripturam deſcribant, quod ſæpe ex antiquis nonnulli apocryphis libris uſi fuerint, quos id temporis a genuinis non ſatis diſcernere potuerunt. Itaque Gelaſius Papa in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum plurimas ſcripturas veluti apocryphas rejecit, & damnavit, ut evangelia ſecundum Ægiptios, Hæbreos, duodecim Apoſtolos, Petrum, Mathiam, & alias Apoſtolorum epiſtolas, & alia acta Apoſtolorum, quæ illis temporibus ferebantur.

91. Nihil jam ſupereſt, niſi ut nonnulla dicamus de miraculis antiquorum, ut Veſpaſiani, Apolonii Thianæi, & Magorum Ægipti, & aliorum Gentilium, quæ, qualiacumque fuerint, ut ſapienter Divus Auguſtinus de Civitate Dei, non ſunt profecto ea cum aliis, quæ in Populo Dei facta fuerunt, nec virtute, nec magnitudine conferenda. Quorum plura, ut ipſe teſtatur Auguſtinus, veluti totidem ludificationes Phantaſiæ, & ſenſuum fuere, alia res miræ potius, quam vera miracula ex fine potiſſimum, quo operata fuere, non difficulter diſcernenda. Neque enim Deus poteſt patrare miracula ad falſam doctrinam confirmandam, Deorumque cultum firmandum, quem ipſa Natura improbat, & evertit. Alia denique prorſus conficta, quemadmodum ex miraculis Veſpaſiani ex Tacito, & Suetonio didicimus, & alia aucta potius, quam prorſus conficta, ut de Apolonio Moſſhemius arbitratur: qui cum pro illa temporum barbarie, nec indoctus Medicus eſſet, & Philoſophus Phyſicus haberetur partim arte medica, partim phyſicis cognitionibus, partim etiam fraudibus ea certe agere, & operare, & prædicere potuit, quæ populo rudi, & ignaro, & ad ſuperſtitionem proclivi mira ſane, & ſtupenda

Digitized by Google

miracula viderentur: quæ ſubinde aucta variis Gentilium narrationibus mirum nemini videri debet, quod veluti quædam portenta traducta fuerint. Qui plura de Religione revelata deſiderat, adeat Clarkium, Forſterum, Dittonum, Sickem, Huetium, Abbadiam, Utvilum, alioſque plures, qui in hoc argumento tractando de hoſtibus Religionis mirum in modum triumpharunt.



APPEN-

APPENDIX
AD METAPHYSICAM

De Fato, ſive de concordia divinæ libertatis cum humana.

1. ETſi mens humana claritudine ſumma perſpiciat, Deum liberrimum eſſe, omniaque pervadere, & prævidere, & decernere, nec de ſua ipſius deinceps libertate dubitare poſſit; tamen non æque videt, & percipit, quo pacto utraque libertas circa ipſam actionem concurrat, quin quidpiam de altera detrahatur. Atque hinc neſcio quid ſemper titillat animum, & anxium, & ſollicitum reddit, ut nec ſit de ſuamet ipſius evidentia ſecurus, & plane impedit, ne mens totis viribus aſſentiatur. Hoc autem & in ipſis geometricis demonſtrationibus accidit, vel cum aliqua inſurgit difficultas, quam penitus diſſipare non poſſumus, vel cum de extenſione veritatis dubitamus, nec ſumus de Hypotheſi ſecuri, in qua veritas illa neceſſaria obtinetur. Patuit id quidem in demonſtrationibus illis, quæ pro veritate legum Galilæi prolatæ fuerunt; quarum etſi nemo vitium aliquod demonſtrarit, nec parologiſmum invenerit, de ipſarum nihilominus veritate ab aliquibus dubitatum fuit, quia nimirum Hypotheſes, in quibus illæ neceſſario valerent, obſcuræ admodum erant, nec eadem conſtabant certitudine, & evidentia. Quapropter in concordiam utriuſque libertatis divinæ nempe, & humanæ inquirendum eſt, & plane monſtrandum, eas inter ſe adeo non opponi, ut optime invicem cohæreant, omniſque oppoſitio diſſipanda, quæ ex concurſu utriuſque libertatis conſurgit. Quæſtio autem hæc omnino philoſophica eſt, nec tam Theologo, quam Philoſopho digna, ab eoque tractanda, & enodanda eſt. Siquidem nihil hac in re ex divina revelatione didicimus, quod minime lumine rationis aſſequamur, nec ordo ſuper-

naturalis, ad quem in præſenti providentia nullis noſtris meritis, aut operibus, ſed ſola Dei gratia, miſericordia, & beneficentia infinita evecti ſumus, quidpiam detrahit de juribus libertatis, eamque prorſus auget, perficitque, & æque præterea Deus actiones liberas creaturæ ordinis Naturæ, quam ſupernaturales videat, & decernat.

2. Quocirca antiquiſſima quæſtio eſt, & jam a veteribus Philoſophis agitata; an divina decreta, & præſcientia quidpiam detraxerint de juribus libertatis: in qua enodanda quæſtione duæ, meo quidem judicio, hypotheſes permixtæ, & confuſæ fuerunt, & qui eas accurate diſtinxerit, & quantum argumenti dignitas poſtulabat, ſeparaverit, nemo hactenus inventus fuit, nec mirum propterea quod nonnulli poſito illo antecedenti fatum quoddam induxerint, & ſubſtulerint libertatis jura. Nam ſi quoddam fatum conſtituendum ſit; certe non aliud, quam quod ex infinita Dei virtute, & poteſtate oriretur. Neque enim in atomorum viribus aliqua neceſſitas concipitur, quemadmodum confinxit Epicurus, multoque minus ea ſine quadam ratione ſufficiente, & ſine aliqua cauſa antecedente, vel conſequente, quemadmodum volunt Maumedani; quorum altero nihil impius, altero nil ſtultius fortaſſe.

3. Quamobrem dicimus nullum fatum exiſtere, & integra perſiſtere omnia libertatis jura, etiamſi Deus *Decreto* quodam *efficaci*, *abſoluto*, & *antecedenter inevitabili* res omnes decreverit, & fallacem, & erroris plenam fuiſſe conſecutionem tum Cryſippi ex eo antecedente deductam, tum Hæreticorum, qui ab eodem principio profecti libertatem humanam funditus ſuſtulerunt. Nihilominus confitendum eſt hujuſcemodi rem admodum obſcuram, & ſic undique difficultatibus, & denſiſſimis tenebris obvolutam eſſe, ut eas nemo hactenus diſſiparit. Nec vero Molina, qui ut ego quidem exiſtimo, nodum omnem diſſolvit, hoc præſtitit; quin potius falſum antecedens, quam falſam, & fallacem conſecutionem fore judicavit.

4. Quamobrem in id vel maxime connitendum eſt, ut antecedens, quod plurimis Scripturæ, Conciliorum, & PP. teſtimoniis quodammodo confirmatur, verum eſſe monſtremus;

Digitized by Google

mus; erroneam autem, & fallacem conſecutionem ex eodem deductam. Quod niſi præſtiterimus, numquam, opinor, ſatis, quantum par eſt, Hæreticos confundemus, nec eorum ſyſtemata disjiciemus, quæ illo antecedente tamquam lapide quodam angulari innituntur.

5. Sed ut res omnis, quæ denſiſſimis tenebris revoluta fuit, in toto ſuo lumine collocetur, illud vero vel maxime perpendendum exiſtimo, tantam non eſſe creaturæ vim, & poteſtatem, ut in omni hypotheſi, in qua ea collocatur, perpetuo eamdem actionem exerceat. Sunt enim ipſius vires admodum imbecilles, & prorſus finitæ, infinitæ vero hypotheſes; in quibus omnibus ipſum conſtanter, & invariabiliter conſenſum præſtare, tam excedit creaturæ vim, & poteſtatem, quam vim finitam motum, & effectum infinitum producere; præſertim cum ne eo quidem conſtituto evertantur libertatis jura, compellaturque voluntas aut conſentire, aut diſſentire, in quacumque ſingnlari hypotheſi collocetur.

6. Hoc autem, quod ratione conſequimur, omnium fere deinceps philoſophorum conſentiente opinione firmatur. Siquidem vix unus, aut alter Theologus invenitur, qui metaphyſice minime repugnare velit, tantam concedere creaturis vim, ut omnibus divinæ gratiæ auxiliis diſſentiat, eoque numquam ea convertenda ſit infinitis ſapientiæ, & omnipotentiæ viribus. Verumtamen id phyſice repugnare volunt, & Creaturæ excedere poteſtatem. Idem omnino de actionibus ordinis Naturæ dicimus. Nec enim minus fieri poteſt, ut creatura omnibus auxiliis Divinæ gratiæ diſſentiat, quam diſſentiat ſub omni hypotheſi, in qua inveniri, & collocari poteſt a Deo.

7. Ex quo tamen evidenter concludendum eſt, phyſicam libertatem creaturæ omnino perſiſtere, etiamſi ipſius actio ſit ſub aliqua indefinita hypotheſi, vel ſub indefinito auxilio infallibiliter eventura. Igitur & ipſa libertas, & omnia ipſius jura integra ſine dubio remanebunt, etiamſi ipſius actio in aliqua ex infinitis hypotheſibus neceſſaria ſit, & infallibiliter prorſus habeatur. Ita ſimiliter Homo ſingula peccata venialia ſingularibus hypotheſibus vitare

 po-

poteſt, quamquam omnia omnino non poſſit, nec quodlibet ſingulare in omni hypotheſi. Duplex itaque genus libertatis diſtinguendum eſt, quorum alterum & ſine altero vero concipitur, & ſine altero perfectiſſime obtineri poteſt. Quare libertas creaturæ in eo ſolum certiſſime poſita eſt, atque ex eo plane concipitur, quod ea, ſi in quavis definita hypotheſi collocetur, vel ſub quovis definito auxilio, conſentire non minus, quam diſſentire queat, ſeque in hanc potius, quam in alteram partem inflectere in illa definita, & determinata hypotheſi ab ipſa ſit, & ex ipſius arbitrio, & poteſtate pendeat. Atque hoc quidem quamquam illa ipſa, & individua actio, ſive conſentio minime poſſibilis phyſice, aut methaphyſice concipiatur in omni hypotheſi, in qua creatura inveniri, & collocari poteſt a Deo.

8. Quæ cum ita ſint, ita Deum liberrimum eſſe dicimus, ut ipſius perfectiſſimam, & abſolutiſſimam libertatem ante quamlibet Creaturæ determinationem, & voluntatem concipiamus. Itaque ea nec vitari, nec poni poteſt Creaturæ juribus, nec conſtituitur propterea ſcientia media Molinæ, (a) nec eadem Deus dirigitur in decernendis actionibus

(a) *Per ſcientiam mediam illam ſcientiam cum Molina intelligo, qua Deus videt actiones liberas Creaturæ ſub aliqua conditione futuras. Nec enim in verbo invidia eſſe poteſt: quæ, ſi vitari non minus, quam poni poſſit Creaturæ viribus, media quaſi erit inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. Nonnulli autem Theologi, qui Molinæ partitionis rectitudinem non agnoſcunt, omnes, & toti in demonſtrando ſunt, hujuſmodi ſcientiam neque in decretis divinis, neque in actionibus liberis Creaturæ inniti potuiſſe. Illud itaque impugnant, quod certum eſt, & negari profecto non poteſt. Nam quis neget, Deum rerum omnium ſcientiſſimum eſſe, eaſque ſub omnibus conditionibus agnoviſſe, & pænitentiam Syriorum, & Sydoniorum prævidiſſe? Illud vero omittunt, quod ſolum inquirendum, & monſtrandum erat. Nam hoc inquiri dum-*

Digitized by Google

nibus liberis Creaturæ; quas propterea etiamſi eas minime prævidiſſet, decernere ſimiliter potuiſſet. Itaque Deus perfectiſſima ſua libertate cuncta juxta propoſitum ſuæ voluntatis diſpoſuit, & quæcumque voluit, fecit, & quæcumque decrevit, adimplere potuit.

9. At hoc quidem quamquam creatura jus ſuum perfectiſſime retineat, nec quidpiam detractum fuerit de juribus libertatis. Ad hoc quippe ſatis, ſuperque eſt, ut Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ vires omnes Creaturæ cognoſcat, definitis quibuſdam limitibus circumſcriptas eſſe, & infinitorum auxiliorum pondus; ſuamque inflectendorum cor-

---

dumtaxat, & demonſtrari debuit, an Creaturæ actio, quæ divinæ præſcientiæ terminus eſt, poni, vel omitti poſſit ipſius poteſtate, & arbitrio; an ne ſecus. Si primum detur, certe præſcientia vitari, & poni poterit a Creaturis, eaque & vitabilis prorſus evadet, & a ſcientia ſimplicis intelligentiæ plane diverſa. Cumque præterea eadem a ſcientia viſionis evidentiſſime ſecernatur, qua res abſolute, non autem ſub conditione futuræ prævidentur; ecquis erit, qui Molinæ partitionem improbet, aut rejiciat? Neque enim hujuſmodi Scientia, aut cum ſcientia viſſionis, aut cum ſcientia ſimplicis intelligentiæ confundi poteſt, ſed medium inter utramque locum occupat. Sin alterum, & ne præſcientiæ divinæ terminus poni, & omitti queat arbitrio, & voluntate Creaturæ; certe tum quidem inutilis, & ſupervacanea omnis Molinæ partitio exiſtimanda erit. Quippe Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ videret terminos omnes, qui ſub aliqua conditione neceſſario futuri ſunt. Cur non ergo per ipſam ſcientiam videri poterunt actiones liberæ Creaturæ, ſi ſub aliqua conditione neceſſariæ prorſus evadant? Atque hoc quidem quocumque pacto illas videat, ſive in ſe ipſis, ſive in ſua omnipotentia, aut in ſuorum auxiliorum efficacia videat. Quapropter partitio Molinæ tum ſolum improbari poterit, cum monſtratum fuerit, actiones Creaturæ ipſius arbitrio, & poteſtate poni, & omitti ſub aliqua conditione minime potuiſſe.

Digitized by Google

dium omnipotentiſſimam omnipotentiam, cui reſiſtere minime poſſit Creatura, videatque propterea conſenſum, aut diſſenſum ſub aliquo indefinito auxilio infallibiliter, atque inſuperabiliter eventurum. Nec vero Creatura jus, aut libertatem habet, omnibus in hac re Philoſophis, & Theologis conſentientibus, ut ſub omnibus divinæ gratiæ auxiliis, vel, ut in ordine naturali maneamus, ſub omni hypotheſi, in qua ea collocari poteſt, diſſentiat, ſeque conſtanter, & invariabiliter a conſentiendo abſtineat; cumque præterea omnium etiam Philoſophorum, & Theologorum judicio minime efficere poſſit Creatura, ut hac potius, quam alia hypotheſi collocetur, & illud auxilium conferatur, ſub quo prævidebitur diſſenſura; quo pacto decretum divinum, quo ſolum eligit, & præfinit actionem ſub aliqua ex infinitis hypotheſibus neceſſario futuram, vitari poterit Creaturæ viribus? Siquidem omnis ipſius libertas pleniſſima perfectiſſime concipitur, nec aliquod ipſius jus infringitur, dummodo in quavis fixa, & determinata hypotheſi collocetur, ea conſentire non minus, quam diſſentire, queat, ſeque inclinare in eadem hypotheſi in unam potius, quam in alteram partem ab ipſa ſit. Ex quo palam, & perſpicuum fit, quo pacto Deus decreto *antecedenter inevitabili*, & *prorſus irrevocabili* actiones liberas Creaturæ præfinire potuerit, quin jura libertatis infregerit, & violarit. Quare fallax, & erroris plena evidenter conſecutio eſt tum Cryſippi, tum Hæreticorum, qui, poſito illo antecedenti, de Hominis libertate actum, & conclamatum eſſe voluerunt.

10. Nihilominus Deus infinita ſua perfectione tenetur, ea tantum media ſeligere, quæ apta, & idonea ſunt ad finem a ſe propoſitum aſſequendum. Verumtamen hujuſmodi neceſſitas conſequens eſt, atque ex Dei perfectione oritur: qui nihil profecto velle, & definire poteſt, quin omnia velle neceſſario teneatur, quæ ad ſuam voluntatem perfectiſſimam obtinendam neceſſaria ſunt. Nec vero Deus mutabilis eſt, nec inconſtans, ut Homo, qui finem ſæpe deſiderat, media autem adverſetur, ſine quibus tamen, quæ optat, aſſequi, & obtinere non poteſt. Quapropter ſi aptitudo

Digitized by Google

tudo mediorum ad finem a Deo propoſitum aſſequendum ex libera quodammodo electione, & determinatione Creaturæ pendeat; quid erit certius, aut evidentius, quam divinam libertatem ad media decernenda per ſcientiam conditionatorum conſtitui, ab eaque dirigi in conferendis auxiliis, nec decreto antecedenter inevitabili ea diſponere potuiſſe, quibus a ſe propoſitum finem certiſſime, & infallibiliter aſſequeretur?

11. Quamobrem duplex in Deo libertas diligentiſſime diſtinguenda eſt, nec temere altera ex altera concludenda, nec quod de altera vere dici, & affirmari poteſt, alteri ſine ullo diſcrimine tribuendum. Quarum prima liberas actiones Creaturæ præfinit Deus, eaque quidquid voluit, fecit, quin, ut faceret, potuerit impediri; altera qua media apta, & idonea eligit, ordinat, & diſponit, quæ poni non minus, quam impediri ſine ulla profecto controverſia poteſt a Creatura, ſi omnis mediorum aptitudo, & efficacia ab ipſius libera electione, & determinatione repetenda ſit.

12. Omnis itaque quæſtio huc redit, atque in hoc ſolummodo omne, ut ego quidem exiſtimo, Molinæ ſyſtema verſatur, ab eoque dumtaxat repetendum omne *ſcientiæ mediæ* principium, & fundamentum; ſcilicet an mediorum aptitudo, & efficacia ex Creaturæ pendeat electione, & determinatione, an ex ipſa auxliorum natura, aut duplicis delectationis differentia, vel quod idem eſt, an Deus perfectiſſime liber intelligatur ad definienda auxilia, vel ad Creaturam in quacumque definita hypotheſi collocandam, quin prius per *ſcientiam mediam* eorum aptitudinem viderit, nec quam actionem Creatura ſit in ea hypotheſi præſtitura.

13. Atque hæc quidem opinio Molinæ, opinor, eſt, ſi non tam quod ipſe dixit, quam quod ipſe fortaſſe voluit, diligentiſſime ponderetur, qui nec Creaturam ſub omnibus, & infinitis Divinæ gratiæ auxiliis diſſentire poſſe voluit, nec jus, nec libertatem ipſius per hanc potentiam conſtituit, nec diſpoſitionem, & electionem gratiarum, quibus conſenſus ipſius certiſſime, & infallibiliter obtinetur, a viribus, & electione Creaturæ, ſed a libera electione, & benefi-

cen-

centia Dei repetendum duxit: ex quo ut ſibi conſtans omnino eſſet, concludere profecto debuiſſet, Deum decreto antecedenter inevitabili res humanas decernere potuiſſe, quin jura libertatis infregerit. His namque duabus poſitis conditionibus, negari profecto non poteſt conſecutio, niſi verbis inutilibus laboremus.

14. Quare mihi certum, & exploratum habetur, nihil aliud contendiſſe Molinam, quam Deum decreto antecedenter inevitabili, & prorſus efficaci in hypotheſibus ſingularibus, & ſub fixis, & determinatis auxiliis actiones liberas Creaturæ decernere minime potuiſſe, quin jura libertatis everterit. Itaque & in ipſa Cryſippi hypotheſi locutus fuit, & Hæreticorum, qui ex eadem hypotheſi humanæ libertatis jura funditus ſubſtulerunt. Quapropter nemini mirum videri debet, quod falſum, & erroneum potius antecedens, quam ex illo deductam conſecutionem exiſtimarit, nec tam amplam, & abſolutam Deo conceſſerit poteſtatem, eamque quodammodo circumſcripſerit. In eo tamen, opinor, erravit, quod duas divinas libertates non accurate diſtinxerit, eaſque quodammodo permiſcuerit, & quod de divina libertate ad media conferenda dumtaxat negari vere poterat, de divina, & abſoluta Dei libertate ad definiendas actiones Creaturæ negaverit. Atque hinc nonnullorum in ipſius ſyſtema odium; hinc quod pluribus nimis durum illud quidem, & a ſenſu ſcripturarum prorſus abhorrens, nec divinæ ſapientiæ, & omnipotentiæ conſentaneum videretur.

15. Neque enim Deum ſine perfectiſſima libertate concipimus, nec perfectiſſimam illam dicimus, quæ ab alio pendet, nec ſine alterius electione, & determinatione, & voluntate concipitur. Itaque primum monſtrandum erat, Deum liberrimum fuiſſe, nec Creaturarum inniti voluntatibus in rebus liberis tantumodo decernendis, ſuamque libertatem a ſua ſolum perfectione, non autem a Creaturæ juribus circumſcribi. Aliud quippe eſt, mediorum efficaciam in hypotheſibus ſingularibus ex voluntate Creaturæ pendere, aliud vero longe diverſum eſt, quod ipſa Creatura poſſit impedire electionem omnium mediorum, eaque omnia ine-

fica-

cia, & irrita reddere, & plane efficere, ne ipſius libera
lo, in aliqua ex infinitis hypotheſibus decernatur.

16. Nihilominus ſi Molinæ hypotheſim reneamus, Deum
res liberas Creaturæ ita definire velimus, ut & actio-
n non ſolum, verum etiam medium definitum, vel hy-
heſim definitam eligat, in qua conſentio Creaturæ infal-
iliter obtineri debet, veriſſimum, & certiſſimum ipſius
tema judicamus, nec *decreto efficaci abſoluto, & inevita-
i actiones liberas Creaturæ*, in hypotheſibus tamen ſingu-
ibus fixis, & determinatis Deum decernere potuiſſe. Nec
ro Deus ſub aliqua fixa, & determinata hypotheſi, vel
aliquo auxilio definito actionem liberam Creaturæ præ-
it, quin prius certiſſime præviderit, eamdem ſub illa hy-
theſi conſenſuram.

17. Ad quod obtinendum illud vero neceſſe eſt, ut vel
pectet quodammodo, videatque electionem, & determi-
tionem Creaturæ ſub illa definita hypotheſi, vel quod
nfertur auxilium ejus generis ſit, ut cum oppoſita Crea-
ræ actione conjungi nullo modo queat, quod Thomaſianis
cuit, vel quod Auguſtiniani volunt, ſit relative efficax,
c cum diſſenſu ſaltem in ea hypotheſi valeat copulari. Si
imum detur, Molinæ ſyſtema veriſſimum, evidentiſſimum-
e erit, nec a quopiam poterit in dubium revocari. Ne-
e enim Deus poteſt media conferre, quin eorum aptitu-
iem, & efficaciam viderit; quæ ſi quodammodo ab ele-
one, & determinatione Creaturæ repetenda ſit, non ne
m prius viderit Deus neceſſe erit? Nec enim Decretum
ivinum irritum, aut inefficax eſſe poteſt; quod certe ac-
leret, ſi medium minime aptum, nec idoneum conferret
propoſitum a ſe finem obtinendum. Hoc itaque certum,
que evidens prorſus exiſtimo; quia ex hypotheſi conſtitu-
neceſſaria, nec umquam fallaci deductione conſequitur. Ex
o etiam alterum evidentiſſime concludendum eſt, liberta-
m nempe divinam ad decernendum conſenſum ſub quavis
a, & definita hypotheſi per ſcientiam mediam neceſſario
nſtitui, & ab eadem dirigi Deum in eligendis auxiliis, eo-
e ipſam antecedenter vitabilem conſtituendam eſſe, ſi ni-
rum in ea hypotheſi Creatura diſſenſerit, totumque pro-

pte-

Digitized by Google

pterea evitabile decretum, quo ipſius actio in ea fixa, & determinata hypotheſi præfinitur, ejuſdem viribus, quemadmodum a Molina conſtitutum fuit, hæc una ſi adſit conditio, ſi nimirum irritum efficere auxilium Creatura poſſit, & omnis ipſius aptitudo, & efficacia Creaturæ determinatione innitatur. Nihilominus Deus in hac hypotheſi liber adhuc omnino conſequenter eſt in conferendis auxiliis. Etſi enim neceſſitate quadam conſequente Deus teneatur, ne Creaturam collocet in illis hypotheſibus, in quibus ipſa libere prorſus prævidebitur diſſenſura; ex innumeris tamen hypotheſibus, in quibus eadem videbitur conſenſura, quamlibet voluerit, poterit præfinire. Etenim hypotheſis electio a Deo ſolum, non autem a Creatura petenda eſt; quæ efficere dumtaxat poteſt, ne auxilium detur, vel ne in ea hypotheſi collocetur, in qua prævidebitur diſſenſura, ſi ipſius conſenſio prius fuerit præfinita. Atque hoc quidem non tam a Creaturæ viribus, quam a divina perfectione petendum; vi cujus adigitur Deus, ne media eligat, quæ inepta prorſus, nec idonea ſunt ad finem a ſe propoſitum aſſequendum.

18. Sin alterum & ne aptitudo quidem, & efficacia mediorum Creaturæ voluntate innitatur; certe tum quidem decreto etiam antecedenter inevitabili poterit Deus & conſenſum non ſolum, ſed hypotheſim etiam, in qua conſenſus obtinendus eſt, inſuperabiliter definire. Itaque Deum liberrimum concipiemus; cujus libertas nec poni, nec tolli poteſt creaturæ ullis viribus, nec ſcientia conſtituitur, quæ quoquo modo innitatur viribus voluntatis. Itaque Deus actiones liberas creaturæ ſub aliqua conditione futuras, vel in ſe ipſis videret, vel in ſuorum auxiliorum vi, & pondere, atque adeo in ſua met omnipotentia videret; ſed utro modo ita videret, ut nullimode illæ quidem innitentur viribus voluntatis, eoque per ſcientiam neceſſariam ſimplicis intelligentiæ videret. Atque hinc inutilis prorſus, & ſupervacanea Divinæ ſcientiæ Molinianæ partitio eſt. Quidquid enim Deus videret in hac hypotheſi, certe quidem aut per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, aut viſionis

nis

nis cognoſceret. Atque hæc quidem omnia ex hypotheſi certa ſunt, & negari profecto non poſſunt.

19. At quo pacto in eadem hypotheſi Creatura libera concipietur? Quippe quæ nec efficere poterit, ut hypotheſis adſit, aut abſit, nec ſub eadem hypotheſi oppoſitam actionem exercere? Quis igitur reſtat libertati locus? Quid eſt, quod ex Creaturæ pendeat poteſtate? Neque enim libertatem concipimus, quin aliquid pendeat ex voluntate Creaturæ, & quin inflectere ſe in unam potius partem, quam aliam ab ipſa ſit, ipſiuſque viribus tribuatur. Nec vero libertas ex eo ſolummodo demonſtratur, quia motus contrarii effici a voluntate queant, ſed ex eo dumtaxat, quod illi motus contrarii ab ipſa quoquomodo repetantur. Nec vero lapis liber dicitur, quamvis motus contrarios poſſit inducere, & agi in oppoſitas partes, & prorſus dirigi. Atque hoc quidem ea ſolum de cauſa conſtituimus, quia neque lapidis determinatio ad motum, neque directio ab ipſo ſit. Quod quidem ſimiliter eveniret in rebus creatis, ſi pro earum arbitrio, & voluntate effici nullo modo poſſet, ut hypotheſis vel adeſſet, vel abeſſet, eaque poſita conſentire, vel diſſentire neceſſario deberet, & mechanica quadam ratione ageretur; idque quamvis in altera hypotheſi, & poſita alia determinatione, & directione, ſeu quod idem eſt, ſub diverſo auxilio, ſeu diverſa cupiditate diſſentire poſſet, & motum contrarium inducere. Nam hoc totum poteſt lapis; nec tamen liber. Illud ergo ad libertatem neceſſarium eſt, ut quidpiam ex libera ſolum electione Creaturæ habeatur; quæ ſi minus efficiat, ut hypotheſis definita adſit, nec divinam libertatem compellat, ut in illa determinata hypotheſi collocetur, eam ſaltem impedire queat, & efficere, ne conſtituatur, ſi ipſius actio definita fuerit, ut conſentire, vel in eam hypotheſi diſſentire, Creaturæ viribus tribuatur; tum præſertim cum nulla adeſt repugnantia, nec quidpiam Deum dedecens, nec quod indignum Divina ipſius majeſtate, & potentia videatur, nec quod divinam omnipotentiam circumſcribat ad quidquid ipſe voluerit decernendum.

20. Nam quid intereſt, quod medii aptitudo, & effica-

cia

cia ex ipſa mediorum natura oriatur, an pendeat ex libertate Creaturæ, potiſſimum cum, ne ea quidem hypotheſi conſtituta, omnia media irrita, & inutilia, & prorſus inefficacia Creatura ipſa poſſit efficere, nec ſub omnibus mediis diſſentire, nec impedire propterea voluntatem divinam ad quamlibet voluerit ipſius liberam actionem definiendam. Mediorum quippe aptitudo, & efficacia ita oritur a Creatura, ut ex infinitis aliquod ipſius creaturæ conſenſione efficax, & aptum neceſſario, & infallibiliter habeatur; quo ſi Deus uti voluerit, quem ſibi propoſuit finem, inſuperabiliter aſſequetur.

21. His adde quod mediorum aptitudo, & efficacia, vel in ipſa Auguſtinianorum ſententia relativa ſit; eaque ex duplicis delectationis differentia potius, quam ex auxiliorum vi, & natura repetatur eoque prorſus ab extrinſeco ſit. Cur non ergo eadem ex viribus voluntatis oriri poterit? Quæ enim ratio ſufficiens, aut quod momentum ita efficax excogitari poterit, quod alterum, non autem alterum evincat, & ſuadeat? Quid ſi in viribus potius voluntatis, quam ſummæ efficaciæ eſſe ſcimus, quam in delectationum differentia hujuſmodi gratiarum efficacia collocanda ſit? Quod tamen ſi daremus, & voluntas pro majori delectatione neceſſario ageretur; cur animus, niſi iners plane ſit, & corpori quam ſimillimus terrenas ipſas cupiditates frœnare nullo modo poſſit, aut intenſiores efficere majori, vel minori bonitatis conſiderarione, ego vero non video; ut adhuc in hujuſmodi hypotheſi omnis delectationis differentia quoquomodo oriatur ex viribus voluntatis; potiſſimum cum, ne eo quidem conſtituto, quemadmodum ſupra obſervatum eſt, ſempiterna, & ſuprema Dei voluntas nec impediri, nec irrita fieri poterit Creaturæ viribus, id quod erat fortaſſe totum, & unicum Adverſariorum fundamentum.

23. Quapropter non minus certum, & exploratum arbitror, quod poſito *decreto Divino efficaci, & antecedenter inevitabili viribus Creaturæ* falſa, & erronea ſit tum Cryſippi, tum Hæreticorum conſecutio, quam illorum Theologorum, qui ex eodem antecedenti deduci voluerunt, Deum teneri ad conferendas gratias aut natura ſua, aut re-

lative

ive ſaltem efficaces, ut quidquid antecedenter ad quam-et determinationem Creaturæ ab ipſo decretum, & con-:utum fuit, infallibiliter, & inſuperabiliter obtineret. ve enim mediorum efficacia ex ipſorum natura oriatur, e ea relativa ſit, vel oriatur ſolummodo ex viribus eaturæ, numquam decretum Divinum, quo rem eligit, pediri, aut vitari poteſt a Creatura, quemadmodum ex ſtris probationibus omnino certum, & exploratum exi-mo. Ex quo evidenter concludendum eſt, ex illo antece-nti minime omnem mediorum aptitudinem, & efficaciam luci potuiſſe, & hujus generis eſſe potius, quam alterius. iocirca ad alia certiſſime principia confugiendum erit, ut jus illa ſint generis, demonſtremus. Quod ſi poſita medio-m aptitudine, aut natura ſua efficaci, aut relative ſaltem icaci libertas humana nullo modo ſubſiſtat, quemadmodum iam, ubi de libertate hominis egimus invincibiliter de-nſtravimns; ſubſiſtat vero, ſi tota, quanta ea eſt, ex vi-ous voluntaris proficiſcatur, ut ea, & ſub quovis definito xilio, & ſub quavis definita hypotheſi collocetur conſen-e, non minus quam diſſentire queat: equis erit, qui ſe-s putet, nec ſyſtema Molinæ probet, recipiatque, quod tum quantum eſt, totum inquam, hoc innititur fundamen-li principio.

24. Etenim ſi aptitudo mediorum, & efficacia a Creatura , atque ex ipſius determinatione, & electione proficiſci-r, certe Deus in conferendis auxiliis nullo modo liber ncipitur, niſi prius eorum efficaciam, aut inefficaciam rſpexerit, eoque electionem, & determinationem Creatu-præviderit. Itaque hujuſmodi libertas, & conſtituitur r conditionatorum ſcientiam, quæ tum a ſcientia viſio-:, tum ſimplicis intelligentiæ diverſa erit, eademque ne-ſario Deus dirigetur in auxiliis conferendis; quæ cum :ari antecedenter poſſit viribus creaturæ, ſi nimirum ipſa illa fixa, & determinata hypotheſi, vel ſub illo fixo, determinato auxilio diſſenſerit; evidens ſane, & perſpi-am eſt, decretum illud, quo media eliguntur, vel quo de-itur conſenſus ſub fixa, & determinata hypotheſi vitari ibus, & poteſtate Creaturæ, nec antecedenter inevita-

bile

bile conſtitui potuiſſe illæſis juribus libertatis, quemadmodum a Molina excogitatum fuit, & ut ego quidem exiſtimo plane demonſtratum.

24. Hoc itaque noſtrum ſyſtema, quod nos ſolis momentis a ratione petitis confeciſſe putamus, innumeris equidem ſcripturarum, Conciliorum, & Patrum teſtimoniis demouſtrare potuiſſem; quin & eorum omnem oppoſitionem diſſipare, quam ſæpiſſime in hujuſmodi teſtimoniis reperimus. Alia ſiquidem pleniſſimam, & perfectiſſimam Dei libertatem evincunt, infinitam gratiarum vim, & pondus, & inflectendorum cordium omnipotentiſſimam Dei omnipotentiam ut ſæpe, & ſapienter Auguſtinus, cunctaque propterea eum juxta propoſitum ſuæ voluntatis diſponere, & ordinare, & decernere potuiſſe, quin ea, aut irrita eſſe, aut vitari, aut potuerit impediri: quæ teſtimonia ſi rite ponderetur evincere enim vero videntur, Deum decreto efficaci, & antecedentur inevitabili res liberas Creaturæ decernere potuiſſe, ipſiuſque perfectiſſimam libertatem ante omnem libertatem intelligi, ſuamque voluntatem quamlibet antecedere voluntatem. Aſt alia contra mediorum aptitudinem a cooperatione Creaturæ pendere demonſtrant; cujus voluntatem quodammodo ſpectat Deus, omniaque juxta præſcientiam diſponit, atque ita vocat, ut vocantem non reſpuat, ut ſapienter Auguſtinus, non autem, ut reſpuere nullo modo potuerit: quæ teſtimonia, ſi prioribus conferantur vix inter ſe conciliari poſſunt, niſi libertatem Divinam, qua res eligit, & decernit, ab illa, qua media confert, dividamus: quarum altera, non autem altera vitari, & impediri poteſt viribus Creaturæ.

25. Verum hoc quidem totum videant eruditi Theologi, ad quos præſertim ſpectat veritates illas naturales, quæ ad mores hominum informandos, & ad Religionem rite inſtituendum pertinent, ex ſcripturarum teſtimoniis, & PP. invictiſſime demonſtrare. Nobis quippe ſatis, ſuperque fuit indicaviſſe, hoc noſtrum ſyſtema etiam ex principiis fidei, cui noſtram rationem ſubjicimus, & PP., quos maximo in honore habemus, auctoritate ſimiliter demonſtrare potuiſſe.

26. Hactenus ſummum jus Dei, & Creaturæ expoſuimus, qui-

quidve Deus, & Creatura poſſint, ſartis, tectis utriuſque juribus. Ex quo minime concludendum eſt, Deum alia ratione actiones liberas Creaturæ decernere neutiquam potuiſſe. Nam potuit, & infinitis pæne modis hoc potuit, atque illa etiam ratione decernere potuiſſet, ut Creaturarum cooperationis habuerit rationem, ut eo majores ipſis gratias contulerit, quo major earum cooperatio præviſſa fuerit. Quam propoſitionem ſic certam exiſtimamus, ut a quopiam ſine evidenti temeritatis nota inficiari poſſe judicemus. Quis enim ita audax poterit inveniri, qui adverſus Deum vires ſuas experiri velit, aut ita arrogans, & ſuperbus, qui Deo legem imponat, aut ita potens, qui ejuſdem libertatem, & omnipotentiam coerceat, atque ad decernendum hoc modo potius, quam alio divinam voluntatem compellat? Nec vero quidpiam in hac hypotheſi eſt, quod Deum dedeceat, & quod ſapientia, & majeſtate Divina indignum arbitremur; quin potius maxime ex eo Dei bónitas, & ſapientia, & beneficientia, & in Creaturas incredibilis, & ſingularis amor commendaretur; qui gratiarum omnium theſauros in manu Creaturæ poſuiſſet, quin jura ſuæ perfectiſſimæ libertatis amiſerit, quin minuerit omnipotentiam, quin depreſſerit majeſtatem. Omnis quippe neceſſitas conſequens foret, atque ex liberrima Dei voluntate ſolummodo oriretur, non autem ex meritis, aut viribus Creaturæ. Quod quidem adeo non imminuit perfectiſſimam, & abſolutam Dei libertatem, ut contra ipſam augeat, perficiatque.

27. Poſita autem hujuſmodi hyporheſi, illud enim vero ex ea conſequitur evidentiſſime, Creaturam nempe poſt liberam determinationem, & electionem divinam, jus quoddam ſibi acquirere, a Divina ſolum voluntate oriundum, ut, ſi impleverit conditionem, quam Deus libere omnino poſuerit, & Divinis auxiliis cooperata fuerit, non ſolum in quavis fixa, & determinata hypotheſi vitare decretum de diſſenſu poſſit; verum etiam efficere, ut decretum de conſenſu adſit, quod tamen nullis ipſius meritis, aut juribus debebatur. Implere namque conditionem requiſitam a Deo, & divinis auxiliis cooperare, & quantum eſt ex ſe iiſdem

accuratiſſime reſpondere ad ipſam pertinet, & a ſola ipſius poteſtate, & arbitrio repetendum. Priuſquam ergo Deus quidpiam in hac hypotheſi definiret; ſpectare quodammodo teneretur (neceſſitate tamen non antecedenti, ſed conſequenti) cooperationem Creaturæ, & conditionem impletam prævidere: qua ſcientia, quæ tum a ſcientia viſionis, tum a ſcientia ſimplicis intelligentiæ proculdubio diverſa foret, neceſſario, & infallibiliter dirigeretur Deus, ne vel irritum ipſius decretum evaderet, aut ſuæ ipſius contradiceret voluntati. Siquidem Deus liberrime, & a nullo coactus legem tuliſſet, eamque ſibi libere impoſuiſſet, ut qui plus auxiliis cooperatus fuerit, magiſque beneficils ſuis reſponderit, huic uberiores gratiæ conferrentur.

28. Quæ duo ita certa, & evidentia ſunt, ut, meo quidem judicio, nemo ſanus in dubium revocare poſſit. Siquidem alterum ex Dei infinita perfectione, & ex pleniſſima ipſius libertate, & poteſtate oritur; alterum, poſita lege, & libera determinatione divina, certa, nec fallaci conſecutione deducimus.

29. Quo autem pacto Deus revera decreverit liberas actiones creaturæ, non ita certum. Neque enim ex eo, quod potuerit, feciſſe conſequitur. Itaque hujuſmodi quæſtio non tam ratione, quam Scripturarum, & Patrum auctoritate, & ſenſu Eccleſiæ, & Fidelium dirimenda erit. Et vero cum Dei præſentem providentiam contemplor, quæ omnis gratiæ, & miſericordiæ infinitæ eſt, in qua Deus infinita ſua miſericordia, & beneficentia ſumma cum reverentla agere voluit cum Creaturis, ſeque ipſum exhinanivit formam ſervi accipiens, ut ſervos faceret Filios Dei; tum facile adducor, ut credam, ita eum illas ſaltem actiones Creaturæ, quæ ad ſalutem æternam ordinatæ ſunt, præfinire voluiſſe, ut illis ſolummodo, qui divinis gratiis reſponderint, & quantum eſt ex ſe cooperati fuerint, illam auxillorum, & gratiarum ſeriem impertiri voluerit, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur.

30. Verum hoc quidem liberrime, atque ſua ſolummodo beneficentia, & miſericordia actus, non autem ullis meritis, aut viribus Creaturæ, quæ certiſſime numquam Deum compellere

Digitized by Google

lere potuiſſet, ut ſecum ageret tanta reverentia, & in manibus ſuis gratiarum ſuarum theſauros quodammodo collocaret. In hac itaque hypotheſi, in qua maximum divinæ miſericordiæ, & beneficentiæ argumentum eluceret, Creatura non ſolum vitare poſſet prædeſtinationis decretum, verum etiam conſequenter ad liberam determinationem divinam efficere, ut illud decretum adeſſet, illamque gratiarum ſeriem ſibi acquirere, & comparare, qua certiſſime liberantur, quicumque liberantur; ſi nimirum divinis auxiliis omnino gratuitis ea cooperata fuerit, ſi, quantum eſt ex ſe, egerit, ut ipſis cumulate reſponderit, & ſi legem a Deo datam, & libere prorſus conſtitutam impleverit.

31. Quapropter decretum divinum prædeſtinationis non minus libera Dei electione, & voluntate, quam cooperatione nititur Creaturæ. Nam ſi Deus decreto quidem antecedenter inevitabili Creaturas prædeſtinare voluiſſet, illamque gratiarum ſeriem, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur, cuicumque voluerit, impertiri, & quin ad ipſarum cooperationem reſpexerit, nec eamdem prævIderit; potuiſſet utique. Nullum quippe aliud jus habet Creatura, quam ne ipſius impediatur libertas: quæ integra prorſus perſiſtit; etiamſi Deus decreto antecedenter inevitabili eas prædeſtinare voluiſſet, quemadmodum ſupra monſtratum eſt. Ex quo evidenter perſpicitur, donum, & maximum quidem donum fuiſſe, nec umquam comparandum ullis meritis, aut juribus Creaturæ, quod Deus illo uti noluerit jure, quod habet in Creaturas maximo, & quod omnem gratiarum ſeriem in ſuis veluti manibus poſuerit; eamque ipſis certiſſime tribuendam voluerit, quæ requiſitam conditionem impleverint. Poſita autem hac liberrima Dei voluntate, & conſequenter ad ipſam, certiſſime jus quoddam a Creatura acquiritur, quo non ſolum vitare poſſit prædeſtinationis decretum ſub quavis fixa, & determinata hypotheſi, vel ſub quovis auxilio definito, verum etiam illud ſibi acquirere, & quodammodo comparare. Itaque hoc decretum donum eſt, & quidem ſingulare, & maximum, quia antecedenter ad liberam electionem Divinam, nec ſibi acquirere illud poterat Creatura, nec ipſum impedire, & ne devi-

tare quidem: quamquam conſequenter ſolummodo ad electionem, & determinationem divinam totum innitatur voluntate, & arbitrio Creaturæ, ipſique debeatur, ut quicumque voluerit ſalvus fiat.

32. Atque hoc quidem univerſæ catholicæ Eccleſiæ judicium videtur eſſe, PP. omnium, & Conciliorum authoritate firmatum, quæ a Chriſto Servatore noſtro inſtructa perpetuo docet, non ſolum divinum prædeſtinationis decretum omnino gratuitum, & maximum donum fuiſſe a Divina miſericordia, & beneficentia ſolum repetendum, verum etiam omnes homines ſalvos fieri potuiſſe, eoſque certiſſime, & infallibiliter ſervari, & divinam miſericordiam adipiſci, qui egerint quantum eſt ex ſe, & quantum potuerint, divinis gratiis accurate reſponderint. Qui duo Eccleſiæ ſenſus, meo quidem judicio, invicem conciliari nullo modo poſſent, & veram contradictionem involverent, ſi decretum prædeſtinationis aut *inevitabile antecedenter* poneretur; aut *antecedenter evitabile Creaturæ viribus*. Nam ſi primum, non utique efficere poſſet Creatura, ut illud decretum abeſſet, vel adeſſet; impertitur enim, cui vult Deus, quin meritorum Creaturæ habuerit rationem, & quin prius ea aliqua ratione præviderit. Atque hoc quidem, quamvis ipſa ex ſe cuncta faceret, quæ ad ſalutem adipiſcendam neceſſaria ſunt, & quantum viribus conniti poſſet, divinis auxiliis reſponderet. Neque enim Homo vim, & poteſtatem habet, ut & omnibus divinæ gratiæ auxiliis diſſentire poſſit, & irritam propterea reddere voluntatem Divinam, & ut decretum divinum ſub omnibus, & infinitis auxiliis impedire queat. Atque hoc quidem omnibus in hac re Theologis conſentientibus, ne Moliniſtis quidem exceptis, qui divinarum gratiarum pondus, & vim agnoſcunt, quibus omnibus Creaturam diſſentire poſſe nolunt, omnemque deinceps diſtributionem illarum gratiarum, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur; & quod detur illud auxilium, quod eficax prævidebitur, a ſola libera Dei electione, & voluntate proficiſci volunt: quamquam illud decretum ſub quavis fixa gratiarum ſerie vitabile prorſus conſtituant.

33. Ergo ſi Deus ita prædefinire Creaturam voluiſſet, certe

certe maximum, & ſingulare foret donum divina prædeſtinatio, nullis aut meritis, aut cooperationibus aſſequendum. At quo pacto quicumque voluerit, ſalvus fiet? Qua ratione prædeſtinationis decretum pendere poterit a Creatura, quod neque vitari, nec poni poteſt, quacumque cooperatione, aut meritis, aut juribus Creaturæ? Vel enim homo prædeſtinatus eſt, & ſalvabitur, vel prædeſtinatus non eſt, & flammis æternis deſtinabitur. Prædeſtinetur autem, nec ne, efficere nullo modo poteſt. Nullum quippe aliud jus in ipſo concipimus, niſi ut in quacumque fixa, & determinata hypotheſi collocetur, libere diſſentiat, eoque peccet, ſibique quodammodo æternam damnationem acquirat, & libere conſentiat, & prædeſtinetur, ſi Deus voluerit ipſum in ea hypotheſi collocare; veruntamen Deus nullo modo tenetur, ut Creaturam prædeſtinet, eamque in illa hypotheſi collocet, in qua ea prævidebitur conſenſura; poteſt enim in infinitis aliis hypotheſibus eandem conſtituere, in quibus prævidebitur diſſenſura; quas omnes cum nec vitare, nec impedire queat; quomodo judicabimus, eam, ne reprobaretur, efficere potuiſſe? Ergo quid cauſæ erit, ſi hujuſmodi hypotheſim teneamus, ut Deum præcemus, orationibus, & gemitibus exoremus, præcibus fatigemus, & laboremus, & inſtemus operibus? Quomodo ſatagemus, ut (*a*) *per bona opera certam noſtram vocationem, & electionem faciamus*? Quid efficere poſſumus, *ut emundemur ab iſtis*, hoc eſt a vaſis ligneis, & fictilibus, *& fiamus vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum præparatum*; (*b*) *ut teneamus, quod habemus, ne alter* accipiat coronam noſtram; (*c*) *ut bonis operibus, aut malis vocemur*, ut vult Auguſtinus? Neque enim hujuſmodi noſtris operationibus, aut cooperationibus inniti poteſt prædeſtinationis decretum, nec ipſis debitum eſt, nec jus quoddam acquirimus ad divinam voluntatem inflectendam, nec vero iiſdem efficere poſſumus, ut in bono opere maneamus, & ut re vera divina prædeſtinatio adſit, aut vero abſit

---

(a) *Petri* 2. *C.* 1. (b) *Pauli Rom. C.* 1.
(c) *Apoca. C. III.*

abſit. Donum quippe Dei eſt, & maximum quidem, & ſingulare donum, nec cuiquam jure, aut meritis dandum, ante omnem ipſius liberam determinationem. Quis ergo eſſet de ſua ipſius ſalute ſollicitus? Quis niteretur bonis operibus inſudare, ſi nihil illæ quidem ad ſalutem conferrent? Quis non in deſperationem ageretur, ſi divinam beneficentiam numquam a ſe comparandam recognoſceret?

34. Atqui hoc totum, quod ex ea hypotheſi infallibiliter conſequitur, cum ab Eccleſiæ ſenſu aborreat, tum plurima ſcripturarum, & Patrum teſtimonia contradicat, ex quibus certi ſumus Divinæ prædeſtinationis decretum quodammodo pendere ex cooperationibus Creaturæ, ut quicumque voluerit, ſalvus fiat. Veruntamen ita illud inniti debet cooperationibus Creaturarum, quemadmodum divinam omnipotentiam, & ſapientiam decet, ut tamen omnino gratuitum ſit illud quidem, & maximum beneficium eſſe perſiſtat, nec ullis viribus, aut meritis Creaturæ debeatur. Atque hinc divinæ prædeſtinationis decretum non poteſt antecedenter vitari creaturæ viribus, quod erat alterum. Donum quippe eſt, & omnino gratuitum. Quod autem tale, nec acquiri profecto, nec vitari poteſt Creaturæ viribus. Quod quidem ut in toto ſuo lumine collocemus, fingamus hujuſmodi decretum antecedenter vitari potuiſſe Creaturæ viribus. Illud ergo ſequetur, vel Creaturam ſub omnibus auxiliis divinæ gratiæ conſentire potuiſſe, eoque neceſſario prædeſtinandam a Deo, vel ſi id minus; efficere ſaltem, ut illud ſibi auxilium daretur, ſub quo prævidebitur conſenſura. Utrumque autem hoc abſurdum vel maximum eſt, quod perpetuo etiam a Moliniſtis negatur, qui nec Creaturam omnibus auxilis divinæ gratiæ conſentire poſſe volunt, nec & ut hoc auxilium potius, quam aliud tribuatur, ex viribus Creaturæ proficiſci. Quod ſi nihilominus daremus; certe prædeſtinationis decretum nec gratuitum, nec donum eſſet, nec, cui vult Deus, impartiretur, ſed eſſet omnino debitum Creaturis; quippe quæ certiſſime, & infallibiliter efficere potuiſſent, ne prædeſtinarentur, ſi nimirum omnibus auxiliis diſſenſiſſent, & neceſſario prædeſtinarentur, ſi omnibus auxiliis eumdem conſenſum præſtitiſſent. Quo ergo pacto

Deus

Deus liber in prædeſtinatione conciperetur, qui nec creaturam, quamvis vellet, reprobare, nec quamvis maxime cuperet, prædeſtinare potuiſſet. Ex quo planum, & perſpicuum eſt, nec Creaturam omnibus auxiliis divinæ gratiæ diſſentire, nec prædeſtinationis decretum viribus Creaturæ vitari potuiſſe.

35. Quapropter cum divinæ prædeſtinationis decretum *antecedenter* vitabile a Molina conſtituitur, nihil aliud profecto vult, niſi illud quidem in quavis fixa, & determinata hypotheſi, vel ſub quavis fixa, & determinata gratiarum ſerie vitari potuiſſe: quippe qui perpetuo negat, & quod Creatura omnibus divinis gratiis diſſentire poſſit, nec efficere propterea, ne prædeſtinetur, & quod Deus, quamvis cum præſcientia, minime tamen ex præſcientia operetur. Quod idem eſt, ac dicere, Deum nullo modo teneri, aut illas gratias ſubtrahere, quas inefficaces præviderit, aut illas impertiri, quas anteviderit efficaces, eaſque propterea dividere, prout vult; eoque quemque prædeſtinare potuiſſe juxta propoſitum voluntatis ſuæ. Ex quo evidenter conſequitur prædeſtinationem divinam in Molinæ ſyſtemate ſimpliciter inevitabilem conſtitui, eaque ſolum de cauſa eam vitabilem poſuiſſe; quia quacumque facta hypotheſi ſingulari, & ſub quovis definito auxilio eadem vitari potuiſſet, ſi nimirum in ea hypotheſi Creatura diſſenſiſſet. Quod quidem certum eſt, nec a quopiam negari poteſt, qui divinorum auxiliorum efficaciam ex Creaturæ quodammodo repetat voluntate.

36. Quamobrem ſi divinæ prædeſtinationis decretum nec vitabile antecedenter, nec inevitabile conſtitui poſſit: quorum alterum Creaturæ eripit poteſtatem, ut ea, ſi voluerit ſalva fiat; alterum divinam libertatem circumſcribit, & omnem gratiam, & beneficium divinæ prædeſtinationis tollit, quid tandem erit, quod obſtet, aut impediat, quominus *conſequenter ad liberam determinationem Dei*, & vitari non minus illud quidem a Creaturis, quam acquiri potuiſſe dicamus? Totum quippe jus, ſi quod in Creaturis concipimus, totum quantum eſt, totam, inquam, divinam voluntatem conſequitur, ab eaque ſolum oritur, & ab eadem proculdubio repetendum, ut ipſum jus donum ſingulare ſit, & maximum bene-

neficium. Nec vero Creatura jus quoddam habet, ut prædeſtinetur, nec ullis meritis, aut bonis operibus inflectere poteſt voluntatem divinam, ut ſuæ cooperationis habuerit rationem, &, ut ſalvaretur, dederit poteſtatem, illamque gratiarum ſeriem contulerit, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur. Verumtamen conſequenter ad divinam voluntatem hoc totum Creatura poteſt, eaque jus quoddam acquiritur, ut ſi voluerit, & quantum ex ſe egerit, ſalva fiat, a divina tamen beneficientia illud quidem ſolummodo repetendum, quia nullis aut meritis, aut ipſius operibus debebatur. Ex quo facile intelligimus, quid ipſa efficere debeat, *ut ſe emundet a vaſis ligneis, & fictilibus, ut teneat, quod habet, ne alter accipiat coronam ſuam, ut bonis operibus, aut malis vocetur, & ut inter illos ſeligatur, quorum Deus vidit mentes de ipſo præſumentes, non de ſe ipſis, nec de Baal*, quemadmodum divinis oraculis odocemur.

37. Infinitus autem eſſem, ſi omnia Scripturarum, & Patrum teſtimonia proferre vellem, quibus & jus divinum ad prædeſtinandam Creaturam, antequam quidquam in ipſa præviderit, & antecedenter ad quamlibet ejuſdem voluntatem, & jus aſſeritur Creaturæ conſequenter ad Dei voluntatem, ut prædeſtinetur. Maximum itaque donum prædeſtinatio eſt, nec volentis, neque currentis, ſed Dei ſolummodo miſerentis, quemadmodum paſſim Scripturæ teſtantur, quia nullis meritis, aut juribus ea acquiri, & comparari potuit ante omnem determinationem, & electionem Divinam. Quare non nos eligimus Deum, ſed ipſe elegit nos; quippe qui nobis contulit poteſtatem, ut eum poſſemus eligere. Verumtamen poſt legem ab ipſo Deo libere latam, ut *illi ſolummodo ſalvi fiant, qui rite cooperarint, & egerint quantum eſt ex ſe, ne in vacuum divinam gratiam receperint*; divina certe prædeſtinatio *corona juſtitiæ eſt, quam reddet dominus in illa die juſtus judex*, ut inquit Apoſtolus. Neque enim Deus injuſtus, ſi ea nullimode, & ne conſequenter quidem deberetur. Atque hinc non difficulter concipitur, quid ſibi velit Molina, qui etſi in ſua Concordia perpetuo neget, Deum quemquam ex præſcientia prædeſtinare, eamque cauſam, & conditionem fuiſſe divinæ prædeſtinationis;

nis; tamen *vocationem ad gratiam*, quæ effectus prædeſtinationis eſt, *non ſine prævia ſcientia*, & *conſideratione uſus liberi arbitrii fieri* confitetur. Quaſi vero diceret, Deum nec præſcientia commotum, nec uſu liberi arbitrii impulſum, ſed ſua ſolummodo beneficientia, & miſericordia actum, & omnino libere eos prædeſtinare, & vocare voluiſſe, quos libero arbitrio recte uſuros præviderit. Neque vero alia ratione uſus liberi arbitrii, & præſcientiæ haberi poteſt conſideratio. Itaque quamvis rectus uſus liberi arbitrii nec cauſa, nec ratio ſufficiens poſſit eſſe, vi cujus Deus Creaturam prædeſtinare debuerit; in eo tamen poteſt inniti ſufficiens ratio, cur Deus libere prorſus voluerit. Ita quamvis excellens animi natura, & perfectio ſufficiens ratio non ſit, cur Deus eum in ævum conſervare debuerit, ſufficiens tamen ratio eſt, & jure habetur, cur eumdem in ævum voluerit permanſurum.

38. Quapropter divinæ prædeſtinationis myſterium conſequenter ad voluntatem divinam iiſdem verbis Apoſtoli declaramus. *Quos præſcivit* divinæ gratiæ reſponſuros, acturoſque quantum in ſe erat, ne in vacuum Dei gratiam receperint, *hos prædeſtinavit*. Præſcientia igitur in præſenti providentia divinam prædeſtinationem antecedit, ne nimirum prædeſtinet, quos divinis auxiliis præviderit abuſuros; eaque divinam libertatem ad prædeſtinandam Creaturam conſtituit, ab eaque neceſſario dirigitur Deus, ne ſuæmet contradicat voluntati; cumque præterea ea operibus malis vitetur, bonis autem ponatur: idcirco fit, ut divinæ prædeſtinationis decretum vitari non minus, quam poni conſequenter poſſit a Creatura, ipſique quodammodo debeatur. *Quos autem prædeſtinavit hos*, & *vocavit*, vocatione nimirum ſancta, & efficaci, illam nempe gratiarum ſeriem conferendo, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur: *quos autem vocavit*, *illos* & *glorificavit*.

39. Hoc autem prædeſtinationis ſyſtema, quod fortaſſe novum aliquibus videri poterit, minime novum, ſed vetus exiſtimari debet; omniumque fere Theologorum judicio firmatur; qui etſi Creaturam de *condigno* perſeverantiam finalem ſibi demereri nolint; eam tamen de *congruo* ſibi demere-

mereri poſſe conſtituunt. Non primum, quia ante divinam voluntatem nullum jus agnoſcant in Creatura, vi cujus Deus eam prædeſtinare teneatur; idque etiamſi divinæ gratiæ auxiliis præmunita ſit, & dona ſupernaturalia ſibi demereri poſſit, & prorſus ſupernaturaliter agat. At vero prorſus alterum; nam poſita lege divina, ut illi ſolummodo prædeſtinentur, & ii ſalvi fiant, qui divinis auxilis reſponderint, & egerint quantum ex ſe, ne Dei gratiam in vacuum receperint, jus quoddam creatura acquirit; quamquam donum, & maximum beneficium ſit illud quidem, vi cujus, ſi rite eo uti voluerit Creatura, ſalva fiet, & in bono opere perſeverantiam ſibi poterit demereri.

40. Maxime hoc quidem Deum decuiſſe dicimus *apud quem non eſt diſtinctio, Judæi, & Græci. Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum; omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*. Et vero quamvis Deus injuſtus non eſſet, nec quidpiam de juribus Creaturæ detraheret, nec ipſi injuſtitiam inferret, etiamſi dona ſua, & beneficia, cui voluerit ſolummodo, impertiretur, nulla habita ratione ad cooperationem Creaturarum, quemadmodum ex Apoſtolo didicimus; (*a*) acceptor tamen perſonarum certiſſime haberetur, ſi pro aliqua æqualitate, aut cooperationum, aut meritorum ſua dona neutiquam diſpenſaret. Siquidem ille perſonarum acceptor & eſt, & vere dicitur, qui nulla habita ratione meritorum, quod ſuum eſt, pro ut vult, diſtribuit, quin cuipiam neget, quod debet, nec ſit propterea injuſtus.

41. Quod ſi quis dixerit, Deum in hac hypotheſi teneri, ad diſtributionem gratiarum, eoque majores Creaturis impertiri, quo major earum cooperatio prævifa fuerit, atque ex prævifione quodammodo decernere debuiſſe; huic ne repugnabimus quidem. Veruntamen omnem neceſſitatem conſequentem eſſe dicimus, eamque ſolum a lege ab ipſo Deo libere lata prorſus proficiſci. Cujus propterea voluntas, & perfectiſſima deliberatio ante omnem voluntatem, & determi-

(a) *Epiſt. ad Rom.*

minationem Creaturæ concipitur, quin ab eadem vitari, aut poni, aut potuerit impediri. Quod quidem adeo Deum non dedecet, nec lædit aliquod ipſius jus, ut maxime ex eo divinæ libertatis amplitudo, & poteſtas, & perfectiſſima jura pateſiant. Maxime autem Deum dedeceret, ſi illa neceſſitas antecedens foret, & ex juribus Creaturæ, non autem ex libera electione Dei oriretur. Quocirca ſupra monſtratum eſt, decretum de divina prædeſtinatione antecedenter ad divinam determinationem a creaturis minime vitari potuiſſe; tum quia Creatura jus nullum, aut libertatem habet, ut omnibus divinæ gratiæ auxiliis diſſentiat, & omnibus aſſentiatur; tum quia minime poteſt efficere, ut illud auxilium ſibi detur, ſub quo prævidebitur conſenſura, & prædeſtinetur, aut illud, in quo prævidebitur diſſenſura, & reprobetur. Nam hoc & Deo eriperet poteſtatem, & circumſcriberet omnipotentiam, nec divina prædeſtinatio omnino gratuita, nec donum eſſet Dei, ſed prorſus debita meritis Creaturæ: quod quidem abſurdum vel maximum eſt, & a ſenſu Scripturarum, & Patrum abhorrens.

42. Sed quamquam in noſtro ſyſtemate duo jura, Dei nempe, & Creaturæ clariſſime demonſtrentur, illudque etiam evidentiſſime videamus, ſummum beneficium, & donum maximum cum ſumma juſtitia incomprehenſibili Dei ſapientia conjungi potuiſſe; divina nihilominus prædeſtinatio miſterium eſt, undique tenebris, & difficultatibus obvolutum. Neque enim homo, ut Deus videt, nec cæterorum corda pervadit, nec ipſorum cogitationes intelligit, nec quantitatem gratiarum, & cooperationis metiri, & æſtimare poteſt, multoque minus inveſtigare, quam ille conditionem implendam a Creaturis exegerit, ut, quæcumque voluerint, ſalvæ fierent.

43. Quo fit, ut in eventibus ſingularibus ad Deum confugere teneamur, & exclamemus cum Apoſtolo: Oh! altitudo Sapientæ, & ſcientiæ Dei. Quam incomprenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus? Sat nobis, ſuperque fuit, oſtendiſſe, decretum divinum non eſſe antecedenter inevitabile, quia quicumque voluerit, ſalvus fieri nullo modo poſſet, nec antecedenter vitabile fieri potuiſſe,

quia

Digitized by Google

quia nec donum, nec gratia foret, Deoque eriperet libertatem, ſolumque conſequenter vitari, & quoquomodo a Creaturis pendere potuiſſe, quin in eventibus ſingularibus requiſitas a Deo conditiones demonſtrare poſſimus. Ut enim Deum providum eſſe ratione convincimur, nilque cum ipſius providentia pugnare poſſe, ex infinita Dei perfectione, & rerum omnium ſciencia deducimus; quo autem pacto plurima, quæ in hoc terrarum orbe accidunt, cum divina providentia cohæreant, definire non poſſumus; ita prædeſtinatio myſterium maximum involvit, ab eo ſolummodo declarandum, qui juxta Iſaiam Prophetam, ***non ſecundum viſionem oculorum judicat***, ***neque ſecundum auditum aurium arguit***, ſed omnes cordis propenſiones pervadit, inclinationes conſiderat, affectiones videt, & omne datarum gratiarum pondus metitur, quamque ipſe libere omnino legem tulerit, perfectiſſime recognoſcit, vi cujus ***judicet in juſtitia pauperes***, ***& arguat in æquitate pro manſuetis terræ***, ***& percutiat terram virga oris ſui***, ***& ſpiritu labiorum ſuorum interficiat impium***.

44. Illud denique conſiderandum eſt, nos per cooperationem, niſum, & animi alacritatem, & promptitudinem intelligere, qua quiſque nititur, quantum eſt ex ſe, divinis auxiliis reſpondere; quamquam alius alio uni, eidemque gratiæ magis, aut minus reſpondeat, ut hoc certiſſimum dumtaxat teneamus, & affirmemus, eos nempe omnes, qui egerint, quantum ex ſe erat, ut divinis vocationibus accurate reſponderint, & divinis auxiliis obtemperaverint, eos, infallibiliter a Deo prædeſtinandos fore, & æternam ſalutem, & felicitatem conſequuturos.

Finis Tomi I.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Librorum, & Capitum, quæ tum in Dialectica, tum in Metaphyſica continentur.

PROLEGOMENON I. IN PHILOSOPHIAM. Pag. 3
PROLEGOMENON II. 24
PROLEGOMENON IN DIALECTICAM. 26
LIBER I.
Triplicem humanæ mentis cogitationum claſſem, leges, & principia comprehendens. 34
CAP. I. *De humanæ mentis objecto.* ibid.
CAP. II. *De ſimplici humanæ mentis perceptione.* 36
CAP. III. *De prima humanæ mentis conſecutione, ſive de primo inveniendæ veritatis principio.* 43
CAP. IV. *De aliis idearum generibus.* 51
CAP. V. *De idearum ſignis.* 54
CAP. VI. *De definitione, & diviſione.* 61
CAP. VII. *De judicio, & enunciatione.* 66
CAP. VIII. *De ratiocinatione, & syllogiſmo ſimplici.* 72
CAP. IX. *De Syllogiſmo compoſito.* 80
CAP. X. *De reliquis argumentandi generibus.* 84
LIBER II.
LOGICAM THEORETICAM COMPLECTENS. 89
CAP. I. *De perceptionum veritate, tum interna, tum externa.* ibid.
CAP. II. *De ſcientia, & evidentia.* 93
CAP. III. *De opinione, fide, & de Authoritatis pondere.* 108
CAP. IV. *De methodo tum tradendæ, tum inquirendæ veritatis; de errore item, præjudiciis, aliiſque ſcientiarum impedimentis.* 111
CAP. V. *De legendis libris, de Collegiis adeundis, & de concertatione literaria rite inſtituenda.* 117
PROLEGOMENON I. IN METAPHYSICAM. 121

PRO-

PROLEGOMENON II. 125

METAPHYSICÆ LIBER I.

De Ontologia. 127

CAP. I. *De Ente, & non Ente.* ibid.

CAP. II. *De exiſtentia Entis, unitate, bonitate, & veritate ipſius, deque ordine.* 135

CAP. III. *De Ente abſoluto, & relativo; deque Ente ſimplici, & compoſito.* 141

CAP. IV. *De ſubſtantia, & accidente.* 149

CAP. V. *De extenſione, ſpatio, loco, & tempore; deque Ente finito, & infinito.* 156

CAP. VI. *De loco, tempore, deque ante finito, & infinito.* 162

LIBER II.

PROLEGOMENON

In Coſmologiam. 171

CAP. I. *De Mundi origine, deque ipſius communibus proprietatibus.* 172

CAP. II. *De vera corporum natura, proprietatibus, eſſentia, & præcipuis ipſorum affectionibus.* 180

CAP. III. *De virium corporearum origine, & principio, deque toto Boſcovichii de lege continuitatis ſyſtemate.* 189

CAP. IV. *De elementis corporum compoſitorum, & natura, deque ſancta continuitatis lege.* 210

CAP. V. *De diverſis vis inertiæ magnitudinibus, & rationibus, deque legum mechanicarum variationbus adhuc poſito motu æquabili, & uniformi.* 222

CAP. VI. *De naturali, & ſupernaturali, deque perfectione, & ordine Univerſi.* 231

LIBER III.

PROLEGOMENON

In Pſycologiam. 241

CAP. I. *De Natura Animi noſtri, & exiſtentia.* 243

CAP. II. *An materia cogitet, vel ſaltem Dei potentia cogitare poſſit?* 255

CAP. III. *De Animi noſtri immortalitate.* 260

CAP. IV. *De Commercio Animi, cum Corpore.* 270

CAP. V. *De intellectu, voluntate, & memoria; deque idearum noſtrarum origine, tum de ideis innatis, non autem impreſſis, deque vi deducendi, reflectendi, & abſtrahendi.* 285
CAP. VI. *De Hominis libertate, deque ipſius libertatis origine, & impedimentis.* 300
CAP. VII. *De vi ſentiendi, & imaginandi Animi.* 318
CAP. VIII. *De Memoria, oblivione, & reminiſcentia.* 329
CAP. IX. *De Brutorum anima, deque ejus principio, & origine.* 332

LIBER IV.

PROLEGOMENON

In Theologiam. 355
CAP. I. *De exiſtentia Dei, & attributis univerſe, deque unitate præſertim, tum de Atheorum Republica.* 359
CAP. II. *De Intellectu, & Voluntate Dei.* 371
CAP. III. *De bonitate, & beneficientia Dei, tum de ipſius voluntate ſalvandi omnes, & de origine bonorum, & malorum.* 377
CAP. IV. *De Mundi unitate, & de Planetarum incolis, tum de ipſius Mundi perfectione.* 38[illegible]
CAP. V. *De Providentia Dei.* 3[illegible]2
CAP. VI. *De Religione generatim.* 3[illegible]
CAP. POSTREM. *De Religione Revelata, & de Chriſtian[illegible] præcipue.* 402

APPENDIX

AD METAPHYSICAM


De Fato, ſive de concordia divinæ libertatis cum humana. 411

Digitized by Google

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
40	32	eſt	non eſt
65	19	nullum	nullam
125	34	inda	ſpiritus
166	26	A	B
179	24	Boſcovichio	a Boſcovichio
184	38	copulati	copulatis
212	38	AQD	7QD
241	25	ſcientias	ſcientia
258	16	in	ni
258	18	ropemodum	propemodum
274		CAP. III.	CAP. IV.
285		CAP. IV.	CAP. V.
297	4	nullo	nullo modo
300		CAP. V.	CAP. VI.
303	1	epræſentationem	repræſentationem
318		CAP. VI.	CAP. VII.
329		CAP. VII.	CAP. VIII.
332		CAP. VIII.	CAP. IX.
336	12	erint	erunt
340	37	motiones	motionis
90		CAP. IV.	CAB. V.
94		CAP. V.	CAP. VI.
108	10	nori	novi

Benedictus Gaspari Vissanus

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible]gle

Digitized by Google